B.

LUCERNA MYSTICA

PRO DIRECTORIBUS ANIMARUM

QUÆ

Omnia prorſus difficilia & obſcura quæ in dirigendis Spiritibus evenire ſolent mira dexteritate clarificat.

QUAQUE

Cuncta ad Scientiam Myſticam neceſſaria, rerumque ſupernaturalium quidditates, ubicationes, cauſæ, ac effectus breviter & compendiosè clareſcunt.

Acceſſit ad calcem

MANUDUCTIO PRACTICA BREVIS

In Gratiam Directorum juxta ejuſdem Operis Doctrinam.

AUCTORE

JOSEPHO LOPEZ

EZQUERRA

PRESBYTERO CANTABRO ÆSOPOLENSI.



VENETIIS, MDCCXXII.

Apud Jo: Baptiſtam Recurti ſub ſigno Religionis.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

BEATISSIMIS

Totius Cantabriæ tutelaribus divo IGNATIO ONNEZ DE LOYOLA, Patriarchæ Inclyti Ordinis Societatis JESU, ejusque Divo Filio FRANCISCO XAVERIO, Orientis præclarissimo Apostolo.

NOn grati pectoris egregium facinus undique circumfusi (MOECENATES CANTABRI COELESTES) *inclytos tales quæsitare Patronos; cum haud solum materies vobis debita jure, sed etiam Cantabria nostra (imo & vestra) quidquid possidet, quidquid influit, quidquid denique à suis genitis producit, vestro creditum obsequio, debitum cultui, & venditum beneficiis, potius solvere habet, quàm elargiri. Non ergo gratitudini, sed justitiæ adscribenda venit hujus operis affectuosa dicatio, quod à Concive vestro, à reverenti Filio, atque humillimo servo, è thesauris Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, & Mysticorum depromptum, vestris submittitur almis cothurnis.*

TU IGNATI SANCTISSIME, *Jesuitici Phalangis inclyte vexillare, qui è nostratibus à Nobilissima de Onez exortus progenie, primum armis terrestrem Orbem, deinde Cœlestem precibus, & virtutibus tuis, tuorumque tutasti; projectis nimirum, atque suspensis humanæ militiæ tegumentis, ac stellantis Mariæ ad pedes in Serrato Monte omnino abdicatis, horridaque Athanagriæ Urbis deserta petens, lacbrymarum profluviis, & Contemplationis imbribus (ut iterum Mundo restitutus uberiùs proficeres) tuum prius spiritum irrigasti.*

Relicta igitur, vel melius tecum procedente eremo, Romam (assumptis Lutetiæ XAVERIO, *aliisque Comitibus) Ordini tuo fundamenta jacturus, divino amore ardens appulisti; ubi Sol Urbis effectus, & Orbis, velut à Zona torrida, tot Mundum fulgidis clarigasti radiis; quot Socios & tuæ Religionis Alumnos immisisti. Ubi denique dierum, & virtutum plenus, in senectute prorsus bonam temporalem vitam cum æterna commutasti, atque in Divorum numerum relatus stirpem tuam Nobilissimam, Cantabriam nostram & utramque sphæram, gloriosis honoribus cumulasti.*

Pariter & tu XAVERI SANCTISSIME, *tanti Patris, & Concivis parilis imago, qui ex consimili Xaveriorum collucenti stirpe, apud nostrates progenitus, cum jam apud Parisios fuisses sacræ scientiæ laurea redimitus,* SANCTISSIMUM IGNATIUM, *ejus Sociis adscriptus,*

adiicti; ubi tot rigoribus, tot virtutibus, totque divinis charismatibus ornatus, adeo vastam admirationem rapuisti tellurem, quòd remota Lusitaniæ oras, ejusque Regis aures stupenti clangore infecisti. Quamobrem à tuo IGNATIO, *Barbaris Orientalium Regionibus facem fidei delaturus, efficacibus, summisque fuisti precibus expetitus. Romę itaque vale dicens, & Lusitania novis tui Ordinis fundationibus ornata, Goam, Piscariam, Bergalam, Japoniam, fereque totius Orientalis Orbis Regionem, innumerabilibus conversionibus, laboribus, & portentis perlustrasti.*

Exinde ab ardenti penetrandi Synas desiderio, potiusquam à gravissima ęgritudine oppressus, & à penetrabili charitatis mucrone, magis quàm à dirissimę invaletudinis gladio confossus, haud solum confessoris diademate apud Ecclesiam canonicè cingeris, sed etiam (ut credi potest) inclyta apud Deum Martyrii palma coronaris.

Meritò igitur (GLORIOSISSIMI PATRES) *Mysticę hujus opellę, in Patronos vos, atque Mæcenates assumo; cum à tuis* (IGNATI SANCTISSIME) *cælesti doctrina refertis libris, veluti ab amęnissimo viridario nonnullos flores collegerim: Et in te* (XAVERI BEATISSIME) *mirabiles ecstases, raptus, divinæque unctionis charismata, totus stupens Orbis conspexit. Interdum enim tot consolationum imbribus irrigatus, ac illius fluminis impetu, qui lætificat Civitatem Dei, fuisti circundatus; quòd exuberante, atque ebulliente cordis vase,* SUFFICIT DOMINE, *iteratis vocibus inclamasti. Ad quos ergo, si non ad vos, opus nostrum, quo universa Mystica in unum collecta, de extraordinariis omnibus, & raris, quæ in toto spiritualis vitæ cursu solent occurrere, dicari poterat, & consecrari? Cum haud solum animabus innumeris, verum etiam Magistrorum Magistris, vestra cœlesti disciplina imbuistis?*

Quid enim aliud est ordo vester (quem ut mihi charissimum veneror, sanctissimum colo, & doctissimum miror) nisi scientiarum, virtutumque adeo excellens Gymnasium, quòd in eo nullus sit parvus, nullus incipiens videatur; sed omnes magni sunt, omnes perfecti, omnes denique consummati Magistri; qui dum suis omnium facultatum Mundum implent voluminibus, in scientia Mystica, & practica, per innumerabilium animarum directionem se se exhibent expertissimi:

Quibus (obsecro) fatetur DIVA MATER THERESIA A JESU, *sui sublimi spiritus instructionem debuisse? Nonne & ipsis? Quos habuit Magistros, & Ductores inter obscuras supernaturalium rerum procellas, nisi vestræ Religionis expertissimos viros? Eos candidis signis, & immarescibili gloria convestitos, quasi Catholicæ fidei vexillarios, in excessu*

mentis

mentis conspexit. Ipsi per totum terrarum Orbem, summis cum laboribus Evangelium portantes, ubi nec Phœbus suo jubare clarescit, Divini solis splendores communicant; quorum plurimi cruore proprio, gloriosa sibi Mausolæa construxere. Nec adeo solicite ministerium exercent Marthæ, quod Maria maneat querusola, quòd Soror ejus reliquit eam solam ministrare: Nulli siquidem ex Religiosis Cœtibus sunt, qui pluris eis (animarum ministerio intercapedine facta) orationis, & contemplationi (indefectibilibus quotidie horis) exercitio vacent.

Merito igitur vobis IGNATIO, ET FRANCISCO SANCTISSIMIS, *quasi Magistrorum instructoribus, libelli hujus instructionem consecro, atque in meæ devotionis pignus, totiusque Cantabriæ debitum obsequium offero; enixe orans, quod legentibus optatum fructum, mihique servo, ac concivi vestro, optatum fœlicitatis portum attingere, vestris precibus assequi dignemini.*

Apud Flaviobrigam Cantabriæ VI. Id. Apr. 1690.

Vester humillimus Servus
Josephus Lopez de Ezquerra.

Rev.

Rev. admodum Patris Fr. Nicolai à Sancto Elia, Carmelitarum Discalceatorum observantissimi Alumni; in Oscensi Collegio olim Primarii Sacræ Theologiæ Lectoris, terque sui Ordinis Definitoris Generalis munere decorati, & Provinciæ Aragoniæ Exprovincialis, Censura, & Approbatio.

Librum inscriptum *Lucerna Mystica* à D. Josepho Lopez Ezquera, Presbytero Cantabro Æsopolensi elaboratum semel, atque iterum magna animi mei voluptate legi, pervolvi, & lectitavi: legisse namque iterum, atque iterum legendi aviditatem excitavit. Hæc enim *Mystica Lucerna* animarum Directoribus (ne inter refluas errorisalicujus undas, quæ effervescenti veluti Euripo, liberius hac tempestate, quàm retroactis unquam sæculis æstuant, ac longe acrius pugnant; neve in turpissimam Quietistarum Scyllam, execrandamve Molinistarum Carybdim incidant, sed omnium vortices, & scopulos procul evitent) tutius, quàm portum navigantibus Pharos Ægyptia, veritatis tramitem indicat, quas declinare, quasve vias debeant premere ostendens. In hac ergo *Mystica Lucerna* viæ spiritualis Duce, quid non dubitare sit illis necessarium, & scire nullatenus sit ipsis injucundum invenient. Hic vias spiritus ambulantes, si alicujus erroris scrupulis anxiantur, quid eorum conscientias taliter consolident, reperient, ut novam sibi putent apparuisse lucem; non secus ac in tempestate periclitantibus, dum Santelmus apparet, ejus consolatricem lucem alacriter intueri non cessant. Hic denique omnes quod ad recte, & secure in via Domini incedendum Christiana expostulat disciplina taliter reperire gaudebunt, ut alibi forsan, & si summo studio indagitent, clarius, & brevius invenire non possint. Jure ergo hoc Opus *Lucerna* nuncupatur: lucis namque officium exercere Librum, qui dubitationes exorientes in directiones spirituum fugat, & declarat, quis non videat? Jure *Lucerna*: si namque Lucernæ illæ Militum Gedeonis ira hostes fugarunt, ut amplius contra Domini exercitum apparere non auderent, sic qui hac Mystica Lucerna illuminatus fuerit, victoriam contra hostes spiritus, ingruentesque errores consequi neutiquam dubitet. Jure *Lucerna*, qua si quis ducatur à veritatis tramite nunquam aberrabit. Jure *Lucerna*, de qua cum Marciano, forsan verius dicam.

Ista peritis tribuit cura vigil lucernis.

Seu clarius cum Architremio.

Prævia noctifugas ferat insopita lucernas.

Hanc ergo Lucernam matutinis, vespertinisque temporibus accensam, non aliter, ac illam templi celeberrimam debet, quisquis suæ, & alienæ conscientiæ consulit, habere: est namque hujus Lucernæ lumen animarum Directoribus apprime necessarium; ut suæ, & aliorum conscientiis tutissimum possint præstare ducatum. In hac ergo Lucerna nihil offendet, quod vel dogmatibus orthodoxis, vel morum probitati adversetur. Digna igitur est Lucerna, ut quantocius ad animarum utilitatem edatur in lucem; ut si qui forte sacratissima Theologiæ Mysticæ caligine cæcutiunt, viam spiritus lumine illius assequantur securam: quapropter hanc *Mysticam Lucernam* aureos, non æreostypos promereri concludo. Sic censeo, salvo, &c. in hoc Discalceatorum Carmelitarum Cæsaraugustano Conventu, die 14. Decembris 1691.

Fr. Nicolaus à Sancto Elia.

Appro-

Approbatio Rev. P. magistri Fr. Andreæ de Maya & Salaberria, Cæsaraugustanæ Universitatis Primarii Sacræ Theologiæ meritissimi Moderatoris, Regis Hispaniarum Concionatoris, & Archiepiscopatus Cæsaraugustani Synodalis Examinatoris.

LUcernam hanc Mysticam, pro Directoribus animarum, licèt aciem suam imparem esse meis oculorum radiis sentirem, ex regione sui oppositi libentissime vidi: Jussu tamen *Illustris admodum Domini Doct. D. Bortholomæi Sanz de Vera, Dignitatis, & Canonici Sanctæ Cathedralis Ecclesiæ Oxomensis, & in spiritualibus, & temporalibus Vicarii Gen. Officialis, & Provisoris Ecclesiastici, Gubernatoris, & Judicis Metropolitani Civitatis, & Archiepiscopatus Cæsaraugustæ. per Illustrissimum Dominum D. D. Antonium Ibannes de la Riva Herrera, Archiepiscopum Cæsaraugustanum*, &c Cui simile opus à me, jam diu desideratum, nebulam Molinistarum totam terram tegentem collustrans, inveni, *à Josepho Lopez Ezquerra, Presbytero Cantabro Æsopolensi* elaboratum. Merito luci, Lucernæ, & Soli in caliginoso loco coruscantibus comparatum Mysticum hoc Volumen reperio. Cui igitur adæquabo Lucernam istam, cum in superiorum sphæra luminarium collocatam aspiciam? Inter plurima quæ meretur Elogia, *Psalterium* ei nomen impono. Africanus namque Sol sic effatur: *Opus nostrum, Psalterium nostrum est*. In ipso Deo altissimo dulciter ejus Auctor psallit, *Nam quicumque manibus operatur, bona opera psallit Deo (S. August. sup. Psalm. 91.)* Psallit etiam in nomine Domini, quia non excellentiam, non nomen, nec propriam quærit gloriam: *Tunc psallet nomini Domini Altissimi* (prosequitur Augustinus) *quærens gloriam Dei, non tuam; nomen ipsius, non tuum: Si enim tu quæris nomen Dei, quærit & ipse nomen tuum.*

Ad quid, ò Domine; Psalterium hoc in lucem prodit? Non ad aliud, nisi *ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem (Psal. 91.)* Quandoquidem juxta Augustinum, *mane dicitur, quando nobis bene est*. Et bene omnibus est hujus Lucernæ lux, charitatis siquidem flammam in cordibus accendit. Misericordiam Dei etiam annuntiat, viam etenim veritatis ostendit, sine errore omnes expellit errores, & in veram pacem gressus nostros dirigit. Per noctem denique veritatem ostendit: *Nox dicitur* (ait Augustinus) *quando tristitia tribulationis est*. Et quæ major tribulatio, cum his temporibus mystica luminaria, ob Quietistarum tenebras, fere nubilosa appareant? Ad sonum igitur veritatis hujus Psalterii, fulgentemque splendorem hujus Mysticæ Lucernæ, errores fallacium Prophetarum confutati, symbola, & ænigmata Mysticorum Librorum exoluta, pericula, damna, spiritualia commoda, tenebræ, anfractus, illusiones Dœmonum, imo & universa, quæ animabus in via spirituali eveniunt, clarificata, & acutissime edocta; necnon & Magistris spiritualibus, in arduis, & obscurissimis omnibus, quæ in dirigendis animabus occurrunt, claræ, faciles, ac securæ notitiæ, practicæque instructiones mirifice eruditæ comparent.

Hujus operis Concinnator similis Danieli Prophetæ visus est, si Augustinum consulamus: *In nocte erat Daniel, quando orabat, erat enim in captivitate Hierusalem: tunc ipse in lacum Leonum missus est: tunc tres Pueri in ignem præcipitati sunt, hæc patiebatur in captivitate Populus Israel. Nox erat: Per noctem confitebatur Daniel veritatem Dei: Sic enim veritatem Dei annuntiabat per noctem: Dicebat in oratione peccavimus*, &c. Sic Populus Christianus, & vere Israeliticus; necnon & hujus Lucernæ Auctor, orando, & scribendo complet sicut Propheta. Quapropter cum in Lucerna hac Mystica nihil Sacræ Scripturæ, Sanctis Patribus, & probis moribus oppositum invenerim; imo & his omnibus doctrinam valde consonam, ut par est Psalterio spirituali, nam *Psalterium* (ait Augustinus) *præcepta legis significat*: Ideo dignam ut Typis mandetur judico, in Gollegio Sancti Vincentii Ferrerii die 17. Decembris Anno 1691.

Fr. Andreas Maya, & Salaberria

Rev.

Rev. Admodum patris Philippi Aranda Societatis Jesu, Sacræ Theologiæ in Cæsaraugustano Collegio Publici Professoris, Inquisitionis Hispanæ in Aragonia Qualificatoris, & in Archiepiscopatu Cæsaraugustano Examinatoris Synodalis, Censura, & Approbatio.

EX Commissione Perillustris Domini D. Bartholomæi Sanz de Vera, Oxomensis Ecclesiæ Primicerii, & pro Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino D. Antonio Ibannes de la Riva Herrera, Arthiepiscopo Cæsaraugustano, magno Castellæ Præside, Archiepiscopatus Gubernatoris, Librum, cui titulus est, *Lucerna Mystica pro Directoribus Animarum cum manuductione Practica*, Authore, *Josepho Lopez Ezquerra*, Presbytero Cantabro, legi diligenter, & cunctanter evolvi. Non contentus, Author, in rebus hisce sensum adeo prætervectis, atque adeo obscuris, accendisse *Lucernam*; *manum* exhibuit. Pronum est aliquando, nisi *manuducaris*, etiam *in luce media*, cespitare. Ut illustret *in via multiplici*, *Lucernam* accendit: ne *Lucernæ* desuper irradiantis illustrationis ex inexperto gressu subrepere possit *illusio*, *manuducit*. Ardet ipse zelo *manuducendi*, qui simul lucet industria *dirigendi*: Coeunt hæc simul munera in Authorem, & Librum: ut in Librum simul, & in Authorem apposite cadat illud Joannis Elogium, *Lucernæ ardentis, & lucentis*. *Accedite ad eum* (exclamabo cum Regio Vate) *accedite, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur*: id est, Exponente Dionysio Carthusiano, *corda vestra non fraudabuntur spe sua*.

Et quidem novissimis hisce temporibus, in quibus, ut cum fletu querebatur Apostolus ad Philippenses, *Inimici Crucis Christi*, *quorum finis interitus*, *& Deus venter*, *& gloria in confusione ipsorum*, *qui terrena sapiunt*, ardentes maligni spiritus tædas, Illuminatorum sectam suscitaturi, in obcæcationem potius, quàm in ductum simplicium animarum, accendere conati sunt; Opus erat *Lucerna Mystica*, quæ, discussis, fugatisque Tenebrionum istorum umbris, tutam, solideque calcabilem, ingressuris, *ad Sancta Sanctorum*, sua luce viam ostenderet. Et certe Cherub ille, qui juxta Ezechielem *intra Sancta Sanctorum*; id est, exponente Hieronymo, intra delicias spiritus, & in contemplationis arcano describitur, *duas* tantum dicitur habuisse *facies*, Hominis, & Leonis: cum extra Sancta Sanctorum, & in atriis Templi, nempe, in spiritualis vitæ quasi vestibulo, & in Orationis præliminaribus exercitiis, *quatuor* habuisse *facies*, Hominis, Bovis, Leonis, & Aquilæ, deprehendatur. Hæsi non semel ad disparem hujus Cherubini, intra, & extra Sancta Sanctorum, adumbrationem, imaginemque. Eccur, ajebam; si Scholæ Affectus præest, & Orationis, vel atria, Incipientibus, & Proficientibus; vel Arcana Perfectis, ostendit; non potius Seraphini ardentis, quàm scientis Cherubini præsefert imaginem? Non Seraphinos Deus in Duces inaugurat, sed Cherubinos: qui *Lucerna* mentis irradiante præpolleant. Hos vult in Ecclesia Deus ad Directores Animarum: sed, qui Incipientibus, & Proficientibus, modo collaborent ut Boves, modò dimicent ut Leones, modò, ut Aquilæ, prævolent: modò tandem compatiantur ut homines: Perfectis verò, & jam in Mysticarum Rerum arcanitatem admissis, Aquilæ volatibus, id est, ingenii proprii conatibus intercisis, & Bovis terræ hærentis relicta imitatione, maneant Homo solum, & Leo. Leo, ad perseverantiam fortis; ad Prudentiam, Homo: nihil enim, in hac via spiritus, nocere magis unquam potest, quàm, amisso, vel omisso Prudentiæ gubernaculo, temere se, ad cujuslibet auræ leniter adflantis motum, adjicere. Qui ad Lucernæ hujus lumen adnaviget, facile declinabit hos scopulos.

Tria maxime placent in Authore, & in Opere: Ordo, soliditas, & claritas. Ordo, methodicus est, & per portam *Aquilonis*, ut ajebat Hieronymus in quadragesimum Ezechielis, id est, purgato frigore Delictorum, *ad Austrum*, ubi jam incalescit meditationis igne, virtutum fervor in Proficientibus, & exinde ad Orientalem portam, ubi sese Contemplativis affundit Divinitatis exortus sol, Animas, sine discrimine *Occasus*, inducit. Soliditas, ejus videtur esse Lapidis, super quem apud Zachariam,

riam, septem oculi sunt. Qui sunt oculi, nisi Doctores Ecclesiæ: quos ita video ab Authore diligenter expensos ad accendendam hanc Lucernam suam, ut ejus calamus, Omnium Authorum, & Doctorum, qui suam in hanc rem symbolam obtulere, principiis nixus, & doctrina perfusus, non tam mihi Calamus scribentis, quàm Dirigentis Virga illa vigilans, & plena oculis videatur. Jam de Claritate, quæ in hac, ut ajebat magnus Dionysius, Caliginosa Theologia, non est facilis, non est cur loquar. Lucernæ splendor sua se luce prodet. Quare totum Opus in Animarum bonum, in Bonorum morum excitationem, & in Directorum indeficiens lumen, publica luce dignum censeo.

Cæsaraugustæ. Ex hoc Collegio Societatis Jesu. Die 18. Decemb. ann. 1691.

Philippus Aranda Soc. Jesu.

Approbatio R. P. Fr. Hieronymi de Lorte, & Escartin, in Sacra Theologia Lectoris Jubilati, Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris, Illustrissimi Domini Nuncii Theologi, Examinatoris Apostolici. Nunciaturæ Hispaniarum, Archipræsulatus Cæsaraugustani Synodalis Examinatoris, atque Provinciæ Aragonum S. P. N. Francisci Diffinitoris.

LIbrum hunc, haud abs re, *Lucerna Mystica pro directoribus animarum*, indigitatum; à Venerabili *Josepho Lopez Ezquerra, Presbytero Cantabro Æstopolensi*, compilatum; *à per Illustri Domino D. D. Bartholomæo Sanz de Vera, Cantore, Dignitate, & Canonico S. Cathedralis Ecclesiæ Oxomensis, & in spiritualibus, & temporalibus Vicario Generali, Officiali, & provisore Ecclesiastico, Gubernatore, & Judice Metropolitano Civitatis, & Archiepiscopatus. Cæsaraugustæ, per Illustrissimum Dominum D. D. Antonium Ioannem de la Riva Herrera, Archiepiscopum Cæsaraugustanum, &c.* mihi commissum, confestim legi, crebro evolvi, & impense sophum, atraque edifferentem, inveni. Ejus Epigraphe *Lucerna*, nam *pedibus, & semitis peccatoris lumen* (*Psalm.* 118.) *Ardens*, & massaliter *lucens*. (*Joan.* 5.) Ut *ardens*, facula est, corda circumquaque, usque ad imum urescens. Ut *lucens*, ab itinere Patriæ Cœlestis deviantibus, limpide propalat, & arctam viam hæsitantibus gnaviter enodat: Et si *lux justorum lætificat, Lucernam autem impiorum extinguetur* (*Proverb* 13) hujus Lucernæ luce exultabit probus, & Lucerna pravorum peribit: nam si Psalmistæ Regi adsciscitur fœlicitas fruendi splendore Hierusalem, juxta illud: *Propter David dedit Dominus Deus tuus Lucernam in Hierusalem* (3. *Reg.* 15) propter hunc Auctorem gaudet mystica Hierusalem, quæ est anima justi, splendida Lucerna, quæ profectui virtutum est proficua, Directoribus animarum perutilis, justorum gressibus apposita, probis moribus consona, pravis feralis, orthodoxæ fidei prona, Sanctis Patribus usitata, Sacris Paginis nixa, in omnibus suis verbis insimulata, & cunctis fidelibus æcumenica. Et quia, *nemo Lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit, sed supra Candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen.* (*Lucæ* 8. 16.) Idcirco, Lucernam hanc, ut intrantes viam perfectionis, lumen videant, quod typis mandetur, seu ut in lucem publicam prodeat, fore dignam, censeo.

In hoc Regali Cæsaraugustano Sancti Francisci Conventu die 19. Decembr. 1691.

Fr. Hieronymus de Lorte, & Escartin.

Cen-

Censura R. P. Fr. Antonii Perez, Sacræ Theologiæ eximii Lectoris, Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris, & Collegii Sancti Didaci Guardiani.

HAnc aspexi Mysticam Lucernam, quam accendit D. Josephus Lopez Ezquerra, Presbyter Cantabriensis pro Directoribus animarum, & de sub modio ponere studet super candelabrum Presbyter Anonymus, profectus animarum cupidus: Et dum laudo scientiam, & charitatem in utroque, ipsis gratias refero, pro tam divina luce. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, clamabat Propheta Rex, & ait Nicolaus de Lyra: *Hic ponitur Directio contemplationis*. Pedibus meis dixit; id est: *Progressui meo in operibus bonis*. Ut proportione servata in hac Lucerna Mystica, *Directio contemplationis* laudetur ex mirabili scientia D. Josephi Lopez Ezquerra, pro Directoribus Spirituum; *& animarum progressus*, cupiditati Anonymi debeatur. En miraculum: Cupiditas radix omnium bonorum, dum levare Lucernam satagit, luceque perfundere gressus, ut illuminet his, qui in tenebris ignorantiæ sedent, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis. Propterea additur: *& lumen semitis meis*, quia hujus Lucernæ lumine semitæ apparent planæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, ut attendens Director, securus possit incedere. Opus sane mirabile, tanquam Stella fulgida apparet in Oriente, ut ante oculos sapientium Directorum posita, tres viæ aperte demonstrentur, ad Regem Regum purius, & altius adorandum. In Oceano orationis fluctuat Contemplativus; in campo certaminis cum Diabolo congreditur: & in tenebris purgationis angitur spiritus: Gaudeat gaudio magno valde, quia apparuit stella, quæ in mari est via, in campo dux, & in tenebris Lucerna.

Neminem jam terreant tenebrosæ confusiones, quibus de scientia mystica communiter scribitur, & loquitur, quia accensa hac Lucerna, & in altum rationis collocata, dicere possumus: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*. Lucerna est præfulgida, & Stella orientalis mystica lucens, & flagrans; incendens, & illuminans, iter securum pandens ad sublimiorem gloriam, dum mentes docet, & arripit ad altiorem contemplationem, & vias parat, & planat ad puriorem Dei amorem. Amoris flamma in humano pectore accensa, non nisi ægerrime occultari potest, canebat Ovidius:

Quis enim celaverit ignem?
Lumine qui semper proditur ipse suo.

Amor incensus in corde Authoris difficillime obnubilabitur. Ipsemet Ignis in Anonymo cupido manifeste proditur, & in hac Mystica Lucerna pro animarum directione, semper ardebit Charitas utriusque, Ab Apostolo Paulo acceptam habuerunt hanc Christiferam methodum erudiendi omnes, ut testatur Divus Gregorius Homil. 17. in Ezechielem: Docentes, quæ Dei sunt quærere; falsa devitare; vera ut sunt, invenire; verè amabilia ardentius appetere, & in difficilibus viæ mysticæ gressibus pedes figere, dirigere, & manuducere, ut secutius, & abundantius possit anima proficere.

Christum Dominum Cruci affixum altissimæ Lucernæ accensæ similem intelliges, addito lemmate: *Ut luceat omnibus*. Utique Lucerna ista, illius ardore succensa, ad illam inextinguibilem, in qua inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, charitatis ardore ducit, elevat, rapit, docet mentes, & corda fidelium; accenditur enim, ut luceat omnibus. Aliam Lucernam accensam, & radiis solaribus expositam in mundo symbolico invenio, hoc Hemistichio insignitam: *Geminus me conspicit ardor*. Et hæc Lucerna, quasi geminata luce, Deum inspicit, & Proximum, juxta Divum Paulum: *Coarctor è duobus*: Ut primò diligatur Deus toto corde, & hinc proximus dirigatur solicite.

De Sacro Apostolo Gentium hanc concinit stropham Sanctus Petrus Damianus, in quodam Hymno:

Mican-

Micantis more lampadis ;
Perfundit Orbem radiis ,
Fugat errorum tenebras ,
Ut sola regnet veritas .

Ad cujus similitudinem more lampadis, accensa ista Lucerna, animas perfundit radiis, fugans errorum tenebras, ut sine hæsitatione, & periculo dirigantur ad solam Regiam veritatem adorandam, in eo qui est via, veritas, & vita: Ideoque eò splendidior conspicietur, quò altior, & superior elevabitur; siquidem tantò uberiorem diffundet splendorem, quò sublimiorem occupabit gradum. Altissima igitur petit, lucet, & ardet; dirigit potentias; manuducit mentes; erudit animas; docet omnes; flagrat amore corda; mereturque audire: *Festina extinctos reddere luci*, quod de Lucerna accensa extinctas illuminante, dixerat Engelgrave, Age ergo; festina in publicam lucem, ut suscites defunctos affectus; illumines obcæcatos spiritus; ignescas congelidas animas; Directores dirigas; Magistros doceas, spargens omnibus lumina claritatis, & charitatis, ad fervide orandum, pure contemplandum, & secure amandum.

Ergo mirabilis, & plausibilis erit ista Lucerna, dum omnia bona veniunt pariter cum illa. Ardeat igitur quasi Fanale æternum, ut orantes, & contemplantes mare profundissimum, & immensum adorabilis Deitatis, inducat fœliciter in desideratum portum Divini amoris. Ardeat inextinguibilis in manibus omnium Directorum animarum. Ardeat, & fulgeat, non extinguatur in tentationis, & purgationis nocte lumen illius, & nox sicut dies illuminabitur. Et ad rem præsentem dicamus cum Symbolographo:

Nos tenebræ sumus, & picea caligine tecti,
Undique, & ex nobis gratia nulla micat:
Sed mihi, dum splendet tua lux, Deus, omnia splendent:
Hinc lux grata mihi, vitaque grata venit.

Videns, & legens expievi mandatum Perillustris admodum Domini D. D. Antonii Blanco & Gomez, Regentis Regiam Cancellariam, & omnia perlustrans, nihil inveni prudentiæ dissonum, rationi oppositum, aut bonis moribus contrarium: Imo omnia maxime cohærentia Sanctæ Ecclesiæ consuetudini; communi Theologiæ; vestigiis Sanctorum, & ipsorum scriptis, aliorumque Doctorum, quos in scientia mystica, tanquam peritos, & laudabiles Magistros veneramur: Et toto cœlo, quantum distat lux ab umbris, distat hæc directio practica ab immundis Hæreticorum fraudibus, præsertim nostri temporis; qui turpissimam, & otiosam quietem in sua falsa oratione constituunt. Ideoque libens rogo, ut hanc Mysticam Lucernam ad publicam lucem prodire permittat. Sic sentio, salvo semper, &c.

In Collegio Sancti Didaci, die 3. Decembris, Anno 1691.

Fr. Antonius Perez.

b 2 NOI

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del Padre Fra Tomaso Maria Gennari, Inquisitore, nel Libro Intitolato: *Lucerna Mystica pro Directoribus Animarum Joseph Lopez Ezquerra*, non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Secretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo Licenza a *Gio: Battista Recurti* Stampatore che possa essere stampato osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 31. Aprile 1722.

(
(*Francesco Soranzo Proc. Riform.*
(*Z. Pietro Pasqualigo Riform.*

Agostino Gadaldini Segr.

PRÆ-

PRÆFATIO

EVULGATOTIS.

CUm meum munus obeundi causa, totam fere Mysticorum voluminum congeriem diligenter revolverim; ex quibus fateor, potius confusionem, quàm fundatam notitiam excerpsisse, quandoquidem in diversis diversa, in nullis omnia, in omnibus denique involutam symbolis, vestitam metaphoris, & occultam labyrinthis, supernaturalium rerum veritatem invenerim: Omnes fere de communibus loquuntur, communicationes narrant, effectus depingunt, impenetrabilem ad divina accessum exaggerant; tandemque in adeo sublimem regionem certant animas collocare, quòd potius ad eam languescat animus, quàm excitetur. Vix eorum ullus quidditates, ubicationes, & favorum causas, facili calamo describit; nec rationalis animæ, ejusque omnium facultatum, virium, & operationum (licèt valde necessariam) integram præbent notitiam. Quidam quidem ad distinguendos spiritus, generalem indicationem afferunt; nulli specialiter in omnibus offerunt signa, & integram in eis pro Directoribus indicationem præstant; quæ si ab eis adæquate quæsitanda est, ab innumeris proculdubio libris, immenso prorsus labore, necessarium est investigare. Quamobrem ardenti optabam desiderio, totius scientiæ Mysticæ materiem, atque hanc pretiosam Margaritam, exigua brevis voluminis concha penitus inclusam intueri, ubi nulla deficerent, & radicitus omnia, absque impenetrabilibus phrasibus, & metaphoris breviter tractarentur. Anima rationalis, ejusque organa, & facultates, comprincipia, atque rerum omnia supernaturalium quidditates, ubicationes, causæ, & effectus, & in eorum singulis doctrina practica pro Directoribus, ad omnia discernenda, & gubernanda, facili stylo, & compendioso calamo explicarentur; tandemque quòd hujus mystici templi velum, tot obscurissimis phrasibus obclusum, per facilem veritatis ostensionem reseraretur.

Sed Divina clementia sinceris meis votis annuit, & librum istum manuscriptum ad manus devenire disposuit, quem ex Doctorum, spiritualiumque virorum consilio, & prece, typis committere ad utilitatem Directorum decrevi. Ejus quidem Concinnator ostendit scientiam, demonstrat experientiam; qui licèt in Cantabriæ specubus, in rupibus Vasconiæ omen lateat, nomen patet: Liber loquitur, dum Auctor adhuc à bonis siluit, ut melius postea verbum bonum eructaret; Lector erit Judex, vel potius experientia: Omnia hic desideranda reperies; libros enim omnes comprehendit, & compendiat, & quæ sparguntur in omnes, in hoc mixta fluunt, & quæ diversa Beatos efficiunt, collecta tenet. Vale, & fruere.

SERIES

TRACTATUUM, ET CAPITUM

HUJUS VOLUMINIS.

Prolegomena animadversiones ad hujus Libri plenam intelligentiam apprime necessariæ.

TRACTATUS PRIMUS.

QUÆ, & quotuplex sit unio mystica: Quæ debeant esse Dotes Magistri spiritualis, & quænam sint animarum, & geniorum genera. 9
CAP. 1. Quæ, & quotuplex sit unio mystica, & specialiter de unione intellectus creati, cum intellectu divino. 9
CAP. 2. Quæ, & quotuplex sit unio mystica voluntatis. 10
CAP. 3. Quæ sit unio passivæ animæ cum Deo. 12
CAP. 4. De Dotibus, & conditionibus, quibus pollere debet Magister spiritualis. 14
CAP. 5. de his, quæ attinent ad irreprehensibilitatem Magistri spiritualis. 15
CAP. 6. De aliis dotibus generalibus spiritualis Magistri. 18
CAP. 7. De aliis dotibus prudentiæ quibus insigniri debet Magister. 20
CAP. 8. De variis animarum geniis; & de modo cognoscendi viam, & exercitia, quæ unicuique earum conveniunt. 22
CAP. 9. Quomodo cognoscere poterit Magister gradum orationis, & mysticæ perfectionis, ad quam animæ pervenire valebunt. 25
CAP. 10. Prosequitur antecedentis Capitis thema. 28
CAP. 11. Aliqua animadvertuntur ad rectam intelligentiam duorum Capitum antecedentium. 29
CAP. 12. De his, quæ Magister gerere debet, statim ac anima ejus directioni se exponit. 31
CAP. 13. Prosequitur materia antecedentis Capitis. 32

TRACTATUS SECUNDUS

De anima rationali, ejusque viribus, & potentiis. 35
CAP. 1. Quæ sit anima rationalis, secundum partem sensitivam, & de sensu communi, sive de imaginatione ibid.
CAP. 2. Prosequitur antecedentis Capitis thema, & modus exponitur, quo aliqui in spiritu transportantur. 37
CAP. 3. De appetitu sensitivo, sive potentia appetitiva materiali. 39
CAP. 4 De modo subjugandi appetitum ad rationis imperium. 41
CAP. 5. Præcedentis Capitis materia concluditur. 43
CAP. 6. De speciebus impressis, & expressis, tam naturalibus, quàm supernaturalibus, & ubi fiant, & recipiantur. 44
CAP. 7. Quæ sit anima rationalis, secundum ejus partem spiritualem, & superiorem. 46
CAP. 8. Utrum anima distinguatur realiter à suis potentiis. 48
CAP. 9. De prima, & superiori potentia animæ, scilicet, de intellectu, sive potentia cognoscitiva spirituali. 49
CAP. 10. Prosequitur materia antecedentis Capitis. 52
CAP. 11. De secunda potentia animæ, nempe de memoria, sive reminiscentia spirituali. 54

CAP.

CAP. 12. De tertia superiori animæ potentia, sive de voluntate spirituali, ejusque requisitis ad perfectam libertatem. 56
CAP. 13. De aliis requisitis ad perfectam libertatem voluntatis. 58
CAP. 14. Prosequitur, & concluditur materia voluntatis. 59

TRACTATUS TERTIUS.

De habitibus naturalibus, & supernaturalibus. 62
CAP. 1. de virtutibus, & earum habitibus, tam naturalibus, quàm supernaturalibus, & infusis, de quibus tractatur in communi. ibid.
CAP. 2. De modo quo habitus virtutum sunt in anima, & quomodo crescant, & minuantur, & de habitualis, & actuali eorum regulatione. 64
CAP. 3. De necessitate virtutum, tam Moralium, quàm Theologicarum. 66.
CAP. 4. Utrum habitus virtutum, tam acquisiti, quam infusi, maneant in anima gratia, & charitate deperdita, & quæ sit vere virtus. 68
CAP. 5. De Donis Spiritus Sancti in communi, & an sint habitus. 70
CAP. 6. De Donis Spiritus Sancti in particulari, cum doctrina practica in singulis. 73
CAP. 7. Prosequitur eadem materia. 75
CAP. 8. Concluditur materia de Donis, & agitur de fructibus Spiritus Sancti. 77

TRACTATUS QUARTUS

De Gratiis gratis datis. 79
CAP. 1. De Gratiis gratis datis in communi. Ibid.
CAP. 2. De Gratiis gratis datis in particulari, cum doctrina practica pro singulis, & præcipue de Gratia Sapientiæ, prima ex gratis datis. 81
CAP. 3. De Gratia Scientiæ, secunda ex gratis datis. 82
CAP. 4. De gratia fidei, tertia ex gratis datis. 84
CAP. 5. De Gratia sanitatum, quarta ex gratis datis. 85
CAP. 6. De Gratia operationis virtutum, quinta ex gratis datis. 87
CAP. 7. De Gratia Prophetiæ, sexta ex gratis datis. 89
CAP. 8. De Lumine prophetico, & differentiis prophetiæ. 91
CAP. 9. De his, quæ requiruntur ad Prophetiam, & de practica ejus instructione. 93
CAP. 10. De Gratia discretionis spirituum, septima ex gratis datis. 95
CAP 11 De modis, quibus Deus solet statum animarum Purgatorii manifestare. 97
CAP. 12. De modo, quo in hisce apparitionibus se gerere debeat Magister spiritualis. 101
CAP. 13. De apparitionibus Damnatorum, & de modo quo in eis se gerere debeat Magister. 103
CAP. 14. De practica instructione eorum, qui per visionem gehennæ, vel apparitionem Damnatorum convertuntur. 106
CAP. 15. De modo discernendi spiritus, & quid, & quotuplex sit spiritus. 108
CAP. 16. De spiritu divino, & de ejus cognitione practica. 109
CAP. 17. De spiritu diabolico, & de ejus cognitione practica. 110
CAP. 18. De his quæ observare debet Magister, ut practice cognoscat fructus boni, aut mali spiritus. 112
CAP. 19. De spiritu humano, & de ejus cognitione practica. 114
CAP. 20. De gratia linguarum, octava ex gratis datis. 116
CAP. 21. De Gratia Interpretationis sermonum, nona, & ultima ex gratis datis. 118

TRACTATUS QUINTUS.

De Favoribus supernaturalibus, & infusis, eorumque mirabilibus effectibus; & de practica illorum doctrina. 120
CAP. 1. De favoribus supernaturalibus in communi. Ibid.
CAP. 2. Prosequitur præcedentis Capitis thema. 122
CAP. 3. De favoribus supernaturalibus in

in particulari, & primo de visionibus exterioribus infusis. 124
CAP. 4. De practica instructione circa prædictas visiones exteriores, & materiales. 125
CAP. 5. De visionibus imaginariis, & infusis. 128
CAP. 6. De practica instructione circa hujusmodi imaginarias visiones. 130
CAP. 7. De visionibus intellectualibus infusis. 133
CAP. 8. De practica instructione Directoris, circa hujusmodi visiones intellectuales. 134
CAP. 9. De locutionibus, sive verbis supernaturalibus, & infusis, & specialiter de verbis successivis. 136
CAP. 10. De verbis formalibus infusis. 138
CAP. 11. De verbis substantialibus infusis 139
CAP. 12. De revelationibus, sive notitiis supernaturalibus, & infusis. 142
CAP. 13. De sensificationibus supernaturalibus, & infusis. 144
CAP. 14. De tactibus substantialibus infusis. 146
CAP. 15 De lachrymis supernaturalibus, & earum differentiis. 147
CAP. 16. De impetu supernaturali, & infuso. 150
CAP. 17. De practica instructione Directoris, circa hujusmodi impetus supernaturales. 152
CAP. 18. De deliquio virium naturalium. 154
CAP. 19. De practica instructione Directoribus, circa hæc materialia deliquia. 155
CAP. 20. De Ecstasi supernaturali, & divino. 158
CAP. 21 De Raptu supernaturali, & infuso. 160
CAP. 22. De Somno divino, sive de Morte mystica. 164
CAP. 23. De Ebrietate, sive crapula divini amoris, ac de sana spiritus insania. 167
CAP. 24. De inextinguibili Dei siti. 169
CAP. 25. De languore divino, sive de ægritudine divini amoris. 171
CAP. 26. De Vulnere divino, sive de plaga amoris viva. 173
CAP. 27. de Desponsatione spirituali animæ cum Deo. 176
CAP. 28. De Matrimonio spirituali, & divino. 178
CAP. 29. De mirabili elevatione corporis, quæ animabus in statu Matrimonii spiritualis consistentibus evenire solet. 182
CAP. 30. De Auctoris sententia, circa causam hujus elevationis corporis. 185
CAP. 31. De practica instructione Directoris, circa hanc corporis elevationem. 187

TRACTATUS SEXTUS.

De Purgationibus passivis animæ. 191
CAP. 1. De Purgationibus passivis in communi. ib.
CAP. 2 De purgatione passiva sensus, ejusque signis, & de primo ejus instrumento quod est lumen infusum. 194
CAP. 3 De secundo instrumento purgationis, nempe de appetitibus, & passionibus naturalibus. 197
CAP. 4. De tertio instrumento purgationis, quòd est Dæmonis astutia. 200
CAP. 5. de aliis cavillationibus Dæmonis, per se ipsum actis ad purgationem animarum. 202
CAP. 6. De aliis modis, quibus Demon per se ipsum cooperatur huic purgationi, & agitur de Energumenis, & de eorum signis. 204
CAP. 7. De commodis hujus purgationis passivæ. 208
CAP. 8. De purgatione passiva spiritus. 211
CAP. 9. De primo instrumento hujus purgationis, quod est lumen infusum modo purgativo. 213
CAP. 10. De secundo instrumento hujus purgationis, quod est amor infusus modo purgativo. 215
CAP. 11. De tertio instrumento hujus purgationis, quòd est commercium creaturarum. 217
CAP. 12 De aliquibus requisitis, & signis purgationis. 219
CAP. 13. De practica instructione Directoris, circa hanc purgationem spiritus. 221

CAP.

CAP. 14. De commodis hujus purgationis. 223
CAP. 15. De purgatione passiva amoris. 224
CAP. 16. De aliis laboribus, & afflictionibus, quibus animae extra purgationem exercentur. 227
CAP. 17. De alio genere animarum, quae torqueri solent extra purgationem. 228

MANIDUCTIO

Breviter practica juxta hujus voluminis doctrinam. 232

VIA PURGATIVA

Status Incipientium, ejusque exercitia, & directio practica. 232

VIA ILLUMINATIVA

Status Proficientium, ejusque exercitia, & directio practica. 236

VIA UNITIVA.

Status Perfectorum, ejusque exercitia, & directio practica. 242

STATUS

Unitorum, ejusque exercitia, & directio practica. 247

PRO

IN *domo Patris mei mansiones multæ sunt* (ait divina veritas *Jo:14. 2.*) Permultas namque, & diversas ad sui cognitionem animas adducit. *Ego sum ostium ovium* (iterum ait *Joan. 10. 9.*) *Si quis per me intraverit, salvabitur, & Pascua inveniet*; in eo quippe sunt *omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi* (*Ad Coloss. 2. 3.*) Nullus equidem Directorum ambigit, quòd in respectiva Christi imitatione, tota animæ perfectio consistat: Nullus hanc cœlestem januam ignorat; sed per omnes vias tuto ad eam ducere, rari intelligunt. Sunt aliquæ tritæ satis, & faciles: aliæ è converso, difficiles, & obscuræ, per quas absque supernaturali lumine, vix poterit Director, absque errore, aut offendiculo animas conducere. Ad faciles utique multi extant Doctorum libri; ad difficiles, non ita. Quamvis enim multa de contemplatione, ejusque supernaturalibus effectibus scripta sint, tamen sub obscurissimis locutionibus, phrasibus, & metaphoris, earum adinstar, quæ in asterismo chimicæ artis reperiuntur; ubi licèt de modo extrahendi spiritus loquatur, obscurissimis tamen figuris utendo, eadem quæ explanare intendunt, obscurant.

Idem ferè in Mysticis Libris conspicimus: Quidam enim, quia suæ experientiæ adæquatos non habent terminos, comparationibus, vel similitudinibus valde impropriis utuntur. Alii volentes Theologiam Mysticam omnino esse absimilem Scholasticæ, novos terminos inveniunt, quos novis etiam symbolis concludunt. Ex quibus omnibus ingens in Directoribus confusio, & animarum non exiguum dispendium enascitur, & Magistri experientia carentes in tortuosum labyrinthum irretiuntur. Putant namque contemplationem, & unionem divinam esse rem imperceptibilem, dum eam vident tot difficilibus nominibus insigniri. Rapiuntur in admirationem ad materialia deliquia, ecstases, raptus, luminis infusionem, elevationem corporis, aliaque hujusmodi; ignorant quidem eorum quidditatem; modum, causam, & ubicationem, quare nec bonum, nec malum spiritum in eis distinguere, & quæ retinenda, aut rejicienda sint, intelligere valent. Ignorant pariter quid homo sit, secundum omnes vires suas, & potentias; virtutum, & donorum habitus ubi subjectentur, modos infusionis divinæ; status animarum, & genios; signa infusarum purgationum, pericula, errores, & offendicula, quæ incurrere valet spiritus; nam licèt à Mysticis multa doctissime, & expertissime pertractentur, pro inexpertis Magistris, vix sufficiunt; quamvis ex-

pers-

pertis, & doctis satis abunde provideant. Quamobrem in hoc manuali Volumine, omnia quæ in hac obscurissima via, à limine usque ad verticem evenire contingunt, compendiatim exprimere decrevimus, ut tam expertis, & doctis Directoribus, quibus pauca sufficient, quàm inexpertis, & indoctis, quibus omnia necessaria sunt, occurrere valeamus. *Sapientibus* enim (ut ait Apostolus) & *insipientibus debitores sumus. Ad Rom* 1. 14.

In sex igitur Tractatus hanc partimur materiem, in quibus omnia quæ ad Mysticam Theologiam spectant, differuntur. In primo, quidditatem, & differentiam unionis mysticæ ostendimus; dotes, seu qualitates spirituali Magistro necessarias exponimus; ac denique modos dignoscendi genios, & aptitudines animarum, cum cæteris ad suum perfecte munus obeundum attingentibus, declaramus. In secundo, brevem animæ rationalis damus notitiam; eam nimirum, quæ ad directionem Magistri necessaria est. In tertio, quidditates, differentias, & ubicationes, sive subjectationes virtutum, & donorum exponimus. In quarto, de gratiis gratis datis agimus. In quinto, de omnibus favoribus supernaturalibus, plene cum omnibus ad praxim, & directionem necessariis. In sexto denique, de omnibus passivis purgationibus: & ad calcem operis, in gratiam Directorum, brevis adducitur manuductio practica, juxta hujus Voluminis doctrinam.

Nonnulla scholastice tractantur (valde enim necessarium est) quia non in captu mentis, sed in solida Theologia Scholastica Mysticam fundare, & fulcire debemus. Sententias Sanctorum Patrum, & auctoritates Doctorum, ne legentium oculis ob diversitatem characteris obstaculum sint, his notulis („) signamus, & distinguimus. Doctrina est omnibus communis, & contemplativis specialis; ad omnes enim instruendus est Magister, licèt scopus noster sit, eum pro difficilioribus, & supernaturalibus instruere. Sume igitur, pie Lector, in manu tua Lucernam hanc, si forte propter tepidi mei spiritus inefficaciam, non lucentem, ardentem tamen propter tui profectus, & Dei gloriæ avidum desiderium; à qua si pia, simplicique manu sumpseris, fortè lucem capies. Si verò obscuræ, aut tremulæ lucis tibi visa sit, eam tuis flatibus extingue. Non enim quæro gloriam meam, cum humanam laudem, vel vituperationem flocci æstimem; unde ab omnibus paratus sum corrigi, & emendari; non solùm correctioni almæ Matris Ecclesiæ Catholicæ, & venerando Sanctæ Inquisitionis Tribunali, me in omnibus submittendo, sed cuilibet etiam, qui meliori intelligentia polleat. *Vale*.

Rogo

Rogo, quòd magis pensetur intentio scribentis, quàm opus: magis dictorum sensus, quàm sermo cultus: magis veritas, quàm sermonum venustas.

S. Bonaventura in Prologo Itiner. Ascen. Mentis in Deum.

PROLOGOMENÆ ANIMADVERSIONES
Ad hujus Libri plenam intelligentiam apprime necessariæ.

1 MEritò quidem retrahi poterat calamus hanc aggredi pertractare materiam, cum hisce temporibus aliquorum Dogmatistarum temeraria præsumptio, ad Mysticam animæ cum Deo unionem, novas vias, inusitatos gressus, & erroneos anfractus, potiùs à Diabolico quàm à Divino Spiritu ducti, ad animarum perditionem, & morum corruptelam (Mundo scandalis infecto) docere, & practicare, non erubuerunt. Quinimo, & propterea viris spiritualibus, & doctis visum est, hanc nostram opellam debere Typis mandari, ut tam Directores, quàm directi gressus suos tutò figere possint in viis Justitiæ, & Sanctitatis, quas Beati Patres ab initio nascentis Ecclesiæ docuerunt, & in praxim deduxerunt; non parvulis ministrando escam perfectorum, sed observando indoles, habitudinem, motus, & habilitates animarum, ut unaquæque per illam viam, quæ magis ei conveniens sit, incedere possit.

2 Qui enim in mysticis libris sit mediocriter versatus, facile cognoscere poterit aliquam in pertractandis hujusmodi rebus confusionem; quia nimirum quod in se est facile, valde difficillimum, & inaccessibile depingunt: Quamobrem ob exiguam aliquorum intelligentiam, veniunt animæ in otia turpissima, allucinationes Diabolicas, & errores execrabiles, quando tota christianæ disciplinæ perfectio consistit in cognoscendo, & amando Deum super omnia, eique inserviendo, & obtemperando, quin (ut aliqui volunt) sint aliqui phantastici Paradysi, funda, illapsus, & laboryntia; nisi tantùm recedere à malo, facere bonum; Deum diligere, ejusque præceptis obedire. Nec ad id major suppetit difficultas, quam quòd anima se disponat, & in seipsam per respectivam imitationem induat Dominum Jesum Christum. Alia verò sunt phantasiæ præcipitia, & per altissimam, & delicatam funem ambulare; ex qua cadere (turbato capite) valdè contingens est.

3 Cum autem animæ, quæ efficaciter viam perfectionis arripiunt, & suas inordinatas passiones fideliter mortificant, exercitium virtutum sollicite procurant, & tam in oratione, quam extra faciem Domini quærunt semper, tot, & talia supernaturaliter experiri soleant, quarum si Director careat experientia, vel doctrina, facile poterit cum earum detrimento deplorabiliter errare: quamobrem sicut animabus necessarium est Magistro ductore procedere, ita Magistris necessarium est, nihil eorum quæ in hac via virtutis, & perfectionis occurrere possunt, penitus ignorare, ut in tam divisis eventibus, laboribus, obscuritatibus, tentationibus, & purgationibus, eas ducere, consolari, & proficere valeat.

4 Propterea oportet, quòd hæc nostra Lucerna Mystica omnia hæc majori qua possit claritate perfundat: Quare non solùm facilia, & communia, verùm etiam difficilia, & singularia ostendere debet; quin admiretur Lector, quod hisce temporibus sermonem faciat de contemplatione, tam activa, quam passiva, de tentationibus vehementibus, de internis, & obscurissimis purgationibus, de visionibus, revelationibus, cæterisque supernaturalibus favoribus; cum hæc omnia habeant, & patiantur animæ spirituales, & mysticæ; quarum causas, & effectus, si Director ignoret, nullum in eis remedium adhibere, & exiguum progressum facere

 potest;

potest; quinimo & affligere, & forsitan perdere, & illaqueare.

5. Curavimus quòd in hoc volumine, non solum experientia loqueretur, sed etiam solicite adesset cura referendi omnia ad Theologiam Scolasticam, & ad pondus validissimæ rationis, ut legenti pervium erit. Tamen animadvertere oportet, quòd doctrina pro consectanda spirituali via, videlicet, pro modo exercendi virtutes, sectandi mortificationem, develandi vitia, & compescendi deordinatas passiones, adeo accurate, diserteque in multis libris spiritualibus habetur, quòd supervacaneum prorsus esset, ea quæ ab illis doctiùs, & meliùs exprimuntur, nostro impolito calamo repetere.

6 Noster igitur scopus est, solùm de necessariis ad directionem animarum instruere Directores; & præcipue circa eas quæ verè, & tutò per viam difficilem, & supernaturalem incedunt, quæ per multum temporis debent exercere meditationem, sanctasque & pias considerationes, accomodatas illis viis in quibus versantur; scilicet, Purgativæ, Illuminativæ, & Unitivæ, quin ullo unquam modo nisi urgenti necessitate meditationem relinquant. Itaque dum à Deo non moventur, vel ad tranquillam pacem in termino meditationis non vocantur, debent semper meditari, quousque illum teneant, quin vacuæ, & otiosæ motionem Divinam præstolentur; sed dum affectu ad aliquam veritatem Catholicam carent, eam solicitè investigare satagant, quia ut bene notat P. Paulus Segneri, ex Societate Jesu, nullum extremum sequendum est; scilicet, nec semper meditari, nec semper meditationem relinquere; sed medium, videlicet meditandi quousque affectus excitetur ad quiescendum in termino meditationis, in quo ab ulterioribus discursibus cessandum est, ut communiter docent omnes.

7 Plures verò sunt qui ex assidua meditatione habitum sibi adeo compararunt, quod absque actualibus discursibus faciliter in termino (qui est Deus) conquiescunt, ac retrohabiti sui laboris fructum percipiunt, manentes in pacifica, simplicique Dei notitia, & amore; quæ comuniter dici solet oratio fidei, vel activa contemplatio, quam anima ex vi præteritarum meditationum acquisivit, & ex assiduitate persistendi in illa, diu perseverare potest in ipsa sancta quiete, & simplici, & amatoria Dei notitia; nam ut ait Bernardus: (*de oct. punc. punct.* 2) *Noscere debes, quod Divina virtus plus facere potest, quam homo cogitare; & quomodò frequentia actus simile sibi habitum generare consuevit, inde sæpiùs contingit, quod ad illud ad quod fortasse se homo à principio adstrinxit, cum quadam violentia, & difficultate, postrà faciliter operabitur; & tamen cum magna delectatione, dummodò non desistat.* Et alibi (*de flori. c.* 55) affirmat, quod debemus *assuescere contemplationi* quæ procul dubio debet esset activa, & non passiva, de qua non possumus habitum acquirere.

8 Placet pro confirmatione afferre verba valdè notanda B. Joannis à Cruce: (*Ascensio Mont Carmeli, lib.* 2. *ca.* 14) *Finis* (inquit) *meditationis, & discursus in rebus Divinis est, extrahere aliquam notitiam, & amorem Dei; & quoties anima eam extrahit, agit unum actum; & sicut multi actus in anima habitum generant, ita plures actus hujus amatoriæ notitiæ, quos anima divisim elicit, adeo veniunt continuati per usum, quod de eis habitus fiat: Itaque quod antea anima extrahebat per partes, suo labore meditando in particularibus notitiis, jam per usum versum est in habitum, & substantiam unius notitiæ amatoriæ, & generalis; non distinctæ, & particularis ut antea: Quare anima illico ac in oratione ponitur, sicut ille qui aquam habet collectam absque labore bibit in suavitate, quin eam iterum haurire necesse sit per canales præteritarum considerationum, formarum, & figurarum; eodem modo illico invenitur in actu notitiæ confusæ, amatoriæ, pacificæ, & quietæ, in qua sapientiam, amorem, & saporem bibit; & hæc est causa quare anima magnum laborem, & insaporem patitur, cum in hujusmodi quiete consistens, ad meditandum, laborandumque in particularibus notitiis revocatur; quia nimirum ei contingit sicuti infanti, qui sugens lac quod in materno ubere collegit, ab illo aufertur, ut iterum attractione manuum sibi recolligat: & veluti illi qui dum corticem abstulit, & substantiam degustat, si eam relin-*

linquere cogeretur, ut iterum eandem corticem ablatam auferret, neque corticem reperiet, nec ſubſtantiam quam è manibus ſolvit deguſtaret; parilis illi qui rem habitam relinquit, ut iterum teneat: Sic evenit multis hunc ſtatum ingredi incipientibus, qui putantes totum negotium conſiſtere in diſcurrendo, & intelligendo particularia per imagines, & formas, quæ ſunt cortices ſpiritus; eaſque non reperientes in illa amatoria, & ſubſtantiali quiete, ſeſe perditos credunt, tempuſque orationis vanè conſumere: Itaque quærere reddunt illam corticem ſuæ imaginis, & diſcurſus; quam (quia ablata eſt) nullatenus reperire valent; undè nec gaudent ſubſtantia, nec meditationem inveniunt, ſubindeque turbantur, ac ab arrepta via putant recalcitraſſe, Hactenus Beatus Doctor.

9. Quem locum, & alios ſimiles B. Joannis à Cruce, plures intelligere certant de paſſiva contemplatione, & non de activa; ſed malè, cum hìc ſermo fiat de contemplatione, de qua per repetitionem actuum generatur habitus: Paſſiva autem contemplatio, habitum generare non poteſt, cum per nullos actus aſſequi ab homine poſſit, ſed omnino pendet à mera gratia, & largitate Divina. Supponit inſuper S. Doctor, quòd ex prædicta contemplatione quieta, & amatoria poteſt homo ad meditationem exilire; quod fieri repugnat in contemplatione paſſiva, cum ab ea dum paſſiva eſt, impoſſibile ſit animæ exire, ob intenſiſſimam ſcilicet occupationem, qua tota immergitur, & abſorbetur. Unde cum de modo acquirendi habitum contemplationis per repetitos actus loquatur, ſimiliterque ſuadeat ita in illa permanere, quod pro illo tunc ad meditationem non redeat, manifeſtè de activa contemplatione loquitur, & non de paſſiva; & ita hunc locum intelligunt Fr. Antonius à Spiritu Sancto, Fr. Thomas à Jeſu, Fr. Philippus à SS Trinitate, Fr. Joannes à Jeſu Maria, Fr. Nicolaus à Jeſu, Fr. Joſephus à Spiritu Sancto, & alii ex filiis B. Doctoris.

10 Meditatio igitur quæ in hanc contemplationem non tranſit, aut infructuoſa, aut periculoſa eſt, quatenus animam habet ligatam ad id quod in vita ſpirituali minus fructificat, ut expreſſè docet Fr. Thomas a Jeſu (*de contemplat. divina, lib. 1. cap. 13.*) per hæc verba: *Infructuoſam meditationem debemus facilè credere, & exiſtimare, quæ in contemplationem, quæ illius finis eſt, non tranſit: erit enim tunc, ſicut via ſine termino, navigatio ſine portu, corpus ſine anima.*

11 Ex quibus infert quidam doctus Antiſtes (*Archiepiſc. Caller. cenſ. n. 6.*) per evidentem conſequentiam, valde periculoſam, ſingularem, & plurium damnorum radicem, eſſe doctrinam affirmantem, non dari contemplationem acquiſitam, diſtinctam à meditatione diſcurſiva, utpote tenaciter confundentem terminos Theologicos meditationis, & contemplationis. Itaque inquit doctiſſimus Suarez (*de Relig. tom. 2. lib. 2. cap. 9. num. 4*) *Contemplatio Theologica non ſignificat inquiſitionem, aut meditationem, ſed terminum ex communi uſu, & doctrina Divi Thomæ, & Bernardi proximè citata.* Videantur obſecro per totum caput.

12 Hæc contemplatio acquiſita illa eſt, quam Theologi vocant orationem fidei; non quia ſola fides concurrat, quia ſimul concurrit charitas in illa affectiva, & amatoria Dei notitia, & pariter concurrit ſpes ſummi boni. Dicitur autem oratio fidei, quia fides proponit objecta revelata, quæ contemplanda ſunt.

13 Hæc oratio fidei, & activa contemplatio, non nuper inventa eſt, ſed ab antiquis Patribus ab initio naſcentis Eccleſiæ, valde uſitata, & edocta. De illa profundiſſimè loquitur Divinus ille Dionyſius Areopagita (*Epiſt. 9. & in c. 1. de Myſt. Theolog.*) non ſolùm in illo vulgari textu à pluribus adducto, qui incipit: TU AUTEM TIMOTHEE, &c. ſed in multis ſuis divini operis libris, quos longum foret enumerare: Pro exemplo ſufficiat ille (ex *Epiſt. 9.*) *Operæpretium eſt* (inquit) *ut ſymbolis quæ ſenſum movent, Divina myſteria exeuntes, ea per ſe nuda, & pura, oculo fidei intueamur: Si enim ſic ſpectemus, venerabimur fontem vitæ in ſe ipſum diffuſum, in ſe ipſo ſtantem; cernimus etiam quandam vim ſimplicem, per ſe mobilem, per ſe agentem, ſe non deſerentem, ſed ſcientiam quæ omnium ſcientiarum eſt ſcientia, & ſemper per ſeipſam ſemetipſam contemplatur.* Hæc Dionyſius, & nihil clarius.

14 De eadem pariter contemplatione activa, seu fidei oratione, loquuti sunt S Ignatius Martyr, *In epist 4. ad Ephes.*) S. Cyprianus, (*In Cant. cap. 6.*) S. Maximus Martyr, (*In cent. de virt. & vit. Cant. 5. cap. 24.*) S. Idacius Syrus, (*Lib. de Mundi contempt. in Bibliot. tom. 5. fol. 222.*) S. Proclus, (*In Epist. ad Armen. in Bibliot tom.2. in princip.*) S. Basilius, (*In Isai. cap. 5. & 8.*) S. Hillaris, (*Lib. 1. de Trinit.*) S. Joannes Damascenus, (*Ortodox fidei, lib.4 c.12.*) S Athanasius, (*In Vita S. Antonii.*) S. Gregorius Nazianzenus, (*In carmin. de vita sua, & orat 34.*) S Gregorius Nissenus, (*Homil.6.in Cant.*) S Hieronymus, (*Homil. 2. in Cant.*) S. Ambrosius, (*In cap. 11. Lucæ.*) S Augustinus, (*Lib.9.conf.& lib.medit.c.26.*) S. Gregorius Magnus, (*Lib.16. Moral. cap. 15. & 75. in Job, & Homil.17. in Ezechiel.*) S. Joannes Grysostomus, (*Serm. de fide, spe, & charit.*) S. Cyrillus Hierosolymitanus, (*Cath. q. 5. de fide.*) S. Cæsarius Arelatensis, (*Homil. 7. de Pascha.*) S. Marcus Eremita,) *De leg spirit.c.3 num.135.*) S. Anselmus, (*In epist.2. ad Corint.cap 5.*) S. Bernardus, (*Serm. 28. in Cant.*) D. Thomas, (*In Dionys. de Divin.nomin.cap.1. lect. 1.& cap 7 lect. 1.*) & S Laurentius Justinianus. (*De compunct. cap. ult.*) Hi sunt Sancti Patres, qui orationem fidei, & activam contemplationem coluerunt, & suis scriptis commendatam relinquerunt, & quam à communi Ecclesiæ praxi ab ipsis Apostolis deducta, accepisse fatentur. Et si temporum chronologiæ attendatur, constabit, à tempore Apostolorum usque ad hoc nostrum devenisse.

15 Ex recentioribus ferè omnes hujusmodi orationem, unanimi calamo docent ut sunt Bonaventura, Richardus, Hugo à S Victore, Dionysius Carthusianus, Joannes Gerson, B. Joannes à Cruce, S. Franciscus Salesius, Henricus Suson, Joannes Taulerus, Henricus Arpius, Franciscus Suarez, Jacobus Alvarez de Paz, P. D. Hieronymus Spert, Fr. Thomas de Valgornera, & ferè omnes communiter. Unde constat, quòd prædicta fidei oratio, seu activa contemplatio non sit de novo inventa, sed valde senex, & usitata in Ecclesia Dei, ne aliquis parum doctus, aut consideratus audeat ejusmodi nomen orationis, aut damnare, aut fastidire.

16 Sed ad ejus perfectum exercitium plura requiruntur, ne anima propter sui immoderationem, & indispositionem, in otium, aut in errorem prolabatur. Primò, quòd per longum tempus se exercuerit in viis Purgativa, & Illuminativa, per sanctas, & pias considerationes, prædictis viis accommodatas: ut enim tutò, & fructuosè possit in illa simplici, & amatoria Dei notitia perseverare, necessariò debet habere comparatum jam habitum persistendi in illa, ex frequentia præteritarum meditationum generatum; alioquin frustra laborabit, in ea conquiescere velle, quia ut ait Suarez: (*de Relig.to.2.lib. 2. cap.11.num 9*) *Contemplationem quæ spectat ad viam Unitivam, esse propriam perfectorum, quia talis contemplatio, non quasi per occasionem, & in transitu exercetur, sed per se, & quasi ex habitu.* Si ergo est exercitium perfectorum, necessariò debent vias Purgativam, & Illuminativum pertransiisse.

17 Secundò, quòd anima sit nimis studiosa, & perfecta in omni virtute, & mortificatione, & per omnia, & in omnibus compescere, & mortificare studeat inordinatos passionum affectus, quia nimirum impossibile est in illa tranquilla, & sanctæ quiete perseverare, si ejus inordinatæ passiones suis motibus spiritum obturbant; quare ajebat Basilius: (*Orat. 21. de fælic.*) *Nobis integrum est vitam quietam, omnique vacantem perturbatione constituere, si nimirum internos tumultos, qui ab affectionibus terrenis proficisci solent, sedaverimus, & mentem his, quæ extrinsecus accidunt, altiorem constituerimus.* Quòd si fortè animæ, non penitùs mortificatæ aliquam (suo videri) pacem habuerint, non utique vera pax erit, sed ficta; non operosa quies, sed turpe otium: *En appetis* (ait Bernardus *Serm 46. in Cant.*) *& ipse contemplationis quietem, & benè facis, tamen ne obliviscaris flores, quibus lectulum sponsæ legis aspersum: ergo & tu cura tuum similiter circundare bonorum operum floribus; & virtutum exercitio: tanquam flore fructum, sanctum otium prævenire, alioquin delicato satis otio quiescere voles, si non exercitatus quiescere appetis*

Idem

Idem tenent Gregorius Nazianzenus, (*Orat.* 29.) Gregorius Magnus (*Lib* 9 *Moral.cap* 17.) D. Thomas. (1.2.q 63.*art* 2) & Richardus. (*De præp. ad contempl. cap.* 76.)

18 Tertiò, necessarium est quod ad exercitium contemplativæ quietis, habeat anima genium aptum (quos genios aptos, & ineptos infra declarabimus) quia licèt Deus possit ineptos genios in aptos mutare, communiter tamen eis se accommodat, nec naturalem aptitudinem mutat: *Quamvis enim Divina gratia* (verba sunt Suarii *de Relig. tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 9.) *superare possit naturalem subjecti incapacitatem, ordinarie verò illi se accommodat; & ideo in hujusmodi contemplationis usu, ratio naturalis complexionis, & capacitatis habenda est, quod suo modo in toto usu mentalis orationis habendum est.* Adeo nanque diversæ sunt animorum conversationes, & indoles, quòd multi sint qui nullo modo possint in quiete durare; quare indigent honestis in operibus occupari Alii è converso, ita otiosæ mentis sunt, quòd ex labore, & occupatione deterrentur. *Sed inter hæc* (ait Gregorius *Lib* 6. *Moral.cap.*26.) *magnopere sciendum est, quia valdè inter se diversæ sint conversationes animorum: Nonnulli autem hominum ita otiosæ mentis sunt, aut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis occupatione succumbunt: & nonnulli ita inquieti sunt, ut si vacationem laboris habuerint, gravius laborent, quia tanto deterius cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes vacant: Unde necessest est, ut quieta mens ad exercitationem se immoderati laboris dilatet; nec inquieta ad exercitium contemplationis angustet. Sæpè enim qui contemplari Deum quiete poterant, occupationibus pressi ceciderunt; & sæpè qui occupati benè humanis usibus viverent, gladio suæ quietis extincti sunt.*

19 Quartò, quòd non habeat occupationes, & negotia omnino contemplationi contraria; videlicet negotiorum gestiones, lites, mercimoniam, vel villicationem, & his similia, quæ maximopere quieti, & pacificæ contemplationi opponuntur, quippè omnia hæc mentem distrahunt, & in varias partes circumferunt. Hæc sunt spinæ secus viam mundanæ conversationis, ubi semen Divinæ illuminationis suffocatur, ac propterea evidentibus signis debent à Deo ad contemplationem vocari, ut Magister valeat eos in sancta quiete, & pacifico orationis fidei exercitio constituere. Quare ajebat Chrysostomus: (*Homil.in c.*8.*Lucæ*) *Quomodo credendum est in vepribus, & in via, & in lapide, prudentem hominem seminare? In agris quidem, & seminibus quæ terræ traduntur, stultè factum videretur.*

20. Quintò, & ultimò requiritur ad hujusmodi contemplationem vocatio Divina, & specialis; non enim sufficit indoles apta, negotiorum carentia, & omnimoda mortificationis, & virtutis exercitatio; sed insuper necessarium est, ut temeritatis judicium evadat, quòd ad sanctam quietem, atque ad simplicem, & amatorium Divinæ veritatis intuitum, vocetur à Domino, ne posteà accedenti animæ, & non vocatæ, dicatur: *Quomodò huc intrasti non habens vestem nuptialem?* (*Matt.* 22. 12.) Et illud: *Noli altum sapere, sed time.* (*Ad Roman.* 11. 20) Undè ut in Proverbiis habetur: *Melius est ut dicatur tibi, ascende huc, quam quòd humilieris coram Principe.* (*Pover.* 25. 7)

21 Ad prædictam autem Divinam vocationem dignoscendam, trina illa signa ostendit B. Joannes à Cruce *Lib.* 2. *ascens. Montis Carmel. cap* 13. (quæ, & nos infra afferemus) quibus omnibus exactissimè servatis, fructuosa erit tunc, & excellens actio, amatoria quies contemplationis: *Sic enim vacare Deo* (ait Laurentius Justinianus *In fascicul. amor. cap.* 1. *nu.* 3.) *est omnium actionum præcellens actio, atque omnium occupationum præcipuum opus, dignum Deo, gratum omnibus Angelis, universæque Cœlesti Curiæ placidissimum.*

22 Sed ut in hac Lucerna nostra omnia clara sint, nullaque dubietatis tenebra immisceatur, animadvertere debemus, quod cum in ea dicimus, ut anima in exercitio fidei, vel contemplationis activæ, vel in simplici, & amatorio Divinæ veritatis intuitu collocetur, vel quod eam Magister collocare procuret; hoc intelligimus de oratione fidei, modo hìc prælibato; & similiter quod anima cui suadetur, vel suadenda est; habeat omnia requisita & præsertim habitum, & facilitatem ex

vi

vi præteritarum meditationum adeptam; alioquin ad meditationem juxta ſtatum ſuum ordinarium debet revertere.

23 Similiter cum dicimus, quòd ab ipſo perfectionis limine, animæ ducantur ad perfectionis faſtigium, quod eſt Divina, & Myſtica contemplatio, per meditationes, & exercitia in viis Purgativa, Illuminativa, & Unitiva; videlicet, per pondus rationis, & diſcurſuum brevitatem, tam in conſiderationibus Noviſſimorum, quàm Vitæ, & Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & cæterarum meditationum; illas tantum intelligimus animas, quæ judicio Directoris habeant genium aptum contemplationi. Sed nullatenus intendimus, quòd à limine, in exercitio ſanctæ quietis conſtituantur, nam eſſet error manifeſtus; quinimo & conſuademus, quòd in quatuor Noviſſimis, in Vita, & Paſſione Domini, omnibuſque fidei noſtræ Myſteriis, diu priùs exerceantur; ſolumque neceſſitati cedentes, vi impulſus, & Divinæ vocationis, cum cæteris connexis, meditationem relinquant, ut claré infra ſuis locis patebit. Et vehementer reprobamus, quòd ab ipſis perfectionis crepundiis, nec per aliquot tempus, animæ immaturæ, collocentur in otio, & quiete contemplationis activæ; ſed ex ſecura præhabita cognitione, quòd in eis prælibata omnia requiſita inveniantur. Debent ſimiliter in omnibus gradibus, & ſtatibus, quantumvis perfectis, mortificationem, pœnitentiam, & virtutes ſollicite exercere; aliter enim omnis contemplatio, & quies erit otium, & allucinatio; vera ſiquidem contemplatio directe ordinatur ad vitæ reformationem, & ad faciliorem uſum virtutum.

24 Deinde animadvertimus, quòd quotieſcunque in hoc opere proferimus, quòd anima in exercitio fidei ſe collocet, vel eam Magiſter collocare ſtudeat, intelligimus de exercitio fidei, ſimulque ſpei, & charitatis: Cum enim orationem fidei vocamus, non excludimus ſpem, & charitatem, quæ inſeparabiles comites ſunt Chriſtianæ contemplationis: & conſequenter animadvertimus, non intendere quòd anima ſit in un ſolo actu fidei, ſemper in illo conſiſtens, quamvis dicamus, quòd in quantum ei poſſibile ſit, in exercitio fidei perſeveret; quod valde diverſum eſt, quia in exercitio fidei diu permanere poſſumus, multiplicando actus hujus Theologicæ virtutis; in uno autem actu diu perſeverare (ut volunt noſtri temporis Pſeudoquietiſtæ) impoſſibile eſt quia ut docet D. Thomas: (2.2.q.180 art 8. ad 2) *Licèt vita contemplativa poſſit eſſe diuturna, quia pertinet ad illam partem animæ incorruptibilem, & quia in operibus vitæ contemplativæ, ut ſunt exercitia ſancta, & virtutes, poſſumus per totum vitæ ſpatium durare; ſed in actu contemplationis, quod ſummum eſt vitæ contemplativæ, non poſſumus diu perdurare abſque contemplativorum actuum multiplicatione.*

25 Et ratio eſt ejuſdem Angelici: *Quia nulla actio poteſt diu durare in ſuo ſummo; ſummum verò contemplationis diu durare non poteſt, quanquam ad alios contemplationis actus poſſit diu durare.* Et alibi (2. 2. q. 88. art.12.ad 2.) *Dicendum, quòd mens humana propter infirmitatem naturæ, diu ſtare in altum non poteſt; pondere enim infirmitatis deprimitur anima ad inferiora, & ideo contingit, quòd quando mens orantis aſcendit in Deum per contemplationem, ſubito vagetur ex quadam infirmitate.* Quod ſimiliter dixerat Gregorius (*Homil. 14. in Ezechiel.*) per hæc verba: *Anima dum contemplari Deum nititur, velut in quodam certamine poſita, modò quaſi exuperat, quia intelligendo, & ſentiendo aliquid ab incircunſcripto lumine deguſtat; modò ſuccumbit, quia ex deguſtato iterum deficit.*

26 Sed notandum eſt cum D. Thoma; (2.2.q.180.art.7.ad 2.) *Quod non eſt in contemplatione contentio, & certamen ex contrarietate virtutis quam contemplamur, ſed ex defectu noſtri intellectus, & ex corruptibili corpore, quod nos ad inferiora trahit, ſecundum illud Sapientiæ: Corpus quod corrumpitur aggravat animam (Sapien. 9. 15.)* Intelligimus ergo exercitium fidei, illud quod fit per multorum actuum repetitionem, non diu perſeverando in unico actu (quod quidem impoſſibile eſt) ſequeretur enim ex eo otium, & omnimoda potentiarum vacatio, atque proxima diſpoſitio ad errores, & diabolicas illuſiones.

27 Denique prælibatis omnibus his animadverſionibus, inoffenſa claritate poteſt exhiberi Lucerna noſtra, ſine quibus hiſce tem-

temporibus miſeris aliquorum cenſorum poterant mentes caligare, quia à nomine adhuc orationis fidei auferunt lumina, cum ejus exercitium à primordiis Eccleſiæ, à Sanctis Patribus, velut ab Apoſtolis acceptum, ſatis commendetur; & æquum non eſt, quòd propter pravam intelligentiam, & perverſam Quietiſtarum malitiam, à tam ſalubri, tamque altiſſimo exercitio, aliquis arceatur.

28 Noſtram igitur concludimus ſententiam cum ea, quam quædam ſacra Inſula Hiſpaniæ (*Archiepiſc. Caller. in cenſ. ad ſatiſ. n.* 30) circa prædictam orationem, & activam contemplationem protulit: *Hæc peſſima intelligentia orationis fidei, nullum debet vitium inferre ſolito, & Catholico exercitio contemplationis, & veræ fidei orationis, quia cognita zizania, majori cum æſtimatione manet triticum ad eſcam. Temporibus quippe Zenonis Imperatoris fuerunt Hæretici vocati Pacificantes, ut refert Evagrius (Lib. 3. ca. 14. & 30.) nec propterea infectus fuit nomen eorum qui pacem veram in Eccleſia Sancta introducunt. Tempore etiam S. Vincentii Ferrerii, ad annum ſcilicet* 1400. *orta fuit hæreſis Flagellantium, ut refert Bernardus de Lucemburg. (In catbal. hæreſ.) Nec exinde inſtituere deſtitit Vincentius laudabilem, & pænitentem cæremoniam in publicis Eccleſiæ proceſſionibus, tam in majori Hebdomada, quàm in cæteris Miſſionibus Apoſtolicis, cum veritatem disjunxiſſet ab errore, illæſa remanente pœnitentia devota, & exemplari. Error Flagellantium erat affirmare, neminem poſſe ſalvare, abſque imitatione Chriſti in hac cruenta flagellatione: & adverſus hunc errorem prædicans Vincentius, conſervavit quod bonum habebat illa pœnitens mortificatio. Tandem fuerunt Hæretici qui B. Virginem Mariam, tanquam Deum colebant, teſte Epiphanio (In lib de hæreſ.) Quem exceſſum contraxit Eccleſia ad adorationem Hyperduliæ quæ valdè cedit in beneficium animarum: Ergo licèt perfidus Molinos ſuam perfidam orationem mentalem vocet orationem fidei, & contemplationem acquiſitam; non videtur vitiandam eſſe per ſuum peſtilentem anhelitum, veram orationem fidei, quæ in optima, & Catholica intelligentia exercetur.* Hactenus ille, qui nihil ampliùs nobis dicendum reliquit.

LUCER-

Quam angusta porta; & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam? Matth. 7.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me: Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: Qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Matth. 16.

LUCERNA MYSTICA.

TRACTATUS PRIMUS.

Quæ, & quotuplex sit unio Mystica: Quæ debeant esse Dotes magistri spiritualis: Et quænam sint animarum, & geniorum genera.

Difficilem prorsus Mysticarum rerum tractationem aggredimur; quæ si omni tempore necessaria, nunc propter multorum malitiam, est necessarissima. Sed quia in Libris Mysticis, interdum obscure, interdum ænigmaticè, interdum denique divisim hujusmodi materies pertractatur; quamobrem unusquisque in suo sensu abundans, potiùs pro captu mentis, quàm fundamentali notitia ductus, unionem Mysticam sibi fingat, quasi rem penitus inaccessibilem, & impenetrabilem, atque mentem quasi ad spatia imaginaria elevandam credat; nos prædictam dubietatem eliminare cupientes, quæ, & quotuplex sit unio Mystica, facilè, & apertè explicare nitemur. Et quia animarum Magisterium nunc, quasi vulgare ministerium à multis insumi non veretur; summatim ostendemus, qui, & quales debeant esse, qui tuto hoc difficillimum ministerium assumere valeant; pariterque qui, & quales sint animarum genii, habilitates, conversationes, & aptitudines; & similiter quomodò illos agnoscere, dirigere, & proficere possit Magister, ut minus solito in tam obscuro negotio errare valeat.

CAPUT I.

Quæ, & quotuplex sit unio Mystica, & specialiter de unione intellectus creati, cum intellectu Divino.

1 Ut clariùs possit cognosci, quæ sit verè unio Mystica animæ cum Deo scire debemus, quòd cum illo nequit anima uniri per illam unionem physicam, & substantialem, de qua tractant Philosophi; sed per illam tantum unionem intentionalem, & similitudinis, de qua loquuntur Mystici; hoc est, non se copulando substantia creata cum substantia Divina physice, & realiter, ita quod ex his duabus substantiis fiat unum compositum, & suppositum, sed tantum se assimilando respectivè substantia humana substantiæ Divinæ. Primus namque unionis modus factus fuit tantum cum Sanctissima Humanitate Christi: In cæteris verò creaturis tantum fit per secundum modum intentionis, & similitudinis. Ita tenent Bernardus, (*Medit. cap.* 8.) D. Thomas (*Opusc.* 61. *& ibidem ex Augustin & 2. 2. q.* 104. *art.* 4 *ad* 2. *& in Epist. ad Corint.* 2. *c.* 3 *lect.* 3. *in fin. & ad Colos c* 2 *lect* 2 *prop fin*) B. Joannes à Cruce (*Lib.* 2. *ascens. Montis Carm. c.* 16. *§. propterea*;) Suarez, (*De Relig. to.* 2. *lib.* 2. *c.* 11. *n* 1.) Rusbrochius (*In spec. ætern. salut. c.* 25. *in med*) Arpius (*Theolog. Myst. par.* 5 *lib.* 1. *c.* 101.) & P. D. Hieronymus Spert (*Select. myst. par.* 3. *cap* 5. *n.* 19)

2 Hæc unio dividitur in activam, & passivam, ambæque in unionem intellectus, & voluntatis. Unio intellectus dividitur in unionem objectivam, & formalem: Objectiva in hoc consistit; scilicet, quòd intellectus cognoscat objectum eo modo quo est in se, cognoscendo videlicèt id, quod verè, & realiter est in objecto; nullo enim alio modo uniri valet potentia cognoscitiva cum objecto, nisi per cognitionem se accommodans, & assimilans objecto cognito, & hæc cognitio est unio intellectus cum objecto, quia est ratio, modus, & medium, quibus intellectus cum objecto conformatur. Igitur unio objectiva intellectus creati cum objecto Divino, nihil aliud erit, nisi quod intellectus creatus proportionabiliter cognoscat Deum, eo modo quo est in se; puta cum

meu cognoscit ut Incomprehensibilem, Immensum, Sanctum, &c & hæc cognitio dicitur unio, quia est ratio, modus, & medium, quibus intellectus humanus proportionabiliter conformatur Deo.

3. Unio formalis intellectus, tam activa, quàm passiva, est quædam conformitas inter duas potentias cognoscitivas, in cognoscendo aliquod objectum, sive illud cognoscant ut est in se, sive aliter ac est in se, dummodò ambo in cognitione conformentur. Itàque cum intellectus affirmet Petrum esse hominem, & idem alius intellectus affirmet; proculdubio ambo erunt uniti, quia ambo cognoscunt idem objectum, & in illius cognitione conformantur: Si autem unus affirmet Petrum esse hominem; & alius affirmet, Petrum esse brutum; erunt utique disconformes, & inuniti; quia licèt in attingendo idem objectum concordent, in modo autem illud cognoscendi discordant. Cum autem ambo in objecto, & cognitione concordes sunt, unio formalis eorum consistit in utroque eorum actu, quia uterque est ratio, modus, & medium, quibus ambo intellectus in cognitione objecti conformantur.

4. Igitur intellectus humanus dicitur unitus intellectui Divino, cum intellectus humanus proportionabiliter Deum cognoscit, eo modo quo ipse Deus se ipsum cognoscit; Cum autem Deus se ipsum cognoscat ut est in se; cum intellectus humanus cognoscit proportionabiliter Deum ut est in se, erit unitus intellectui Divino per unionem formalem, & potentiarum. Hæc cognitio Dei ut est in se, non potest ab homine comparari per suas vires naturales, unde indiget elevari per habitum supernaturalem fidei, ut tenet D. Thomas (2. 2 *q.* 130. *ar.* 1. *ad* 2. *apud Spert. select. myst part.* 3. *cap.* 8 *numer.* 2.) dicens: „ Divina, & immortalia secundum ordi- „ nem naturæ sunt supra hominem; ho- „ mini tamen insunt quædam potentiæ na- „ turales, per quas potest conjungi immortalibus, & Divinis, si simplici luce fidei charitate formatæ, informatæ sint. Per exercitium ergo fidei, vel juxta fidem, potest humanus intellectus conjungi cum intellectu Divino: „ Ordinatum est nobis à Deo (ait D. Thomas *In Dionys. de* „ *Divin. nominib. cap.* 2. *lect.* 4.) ut his quæ „ super intellectum nostrum sunt, unia- „ mur adhærentes per fidem; altioribus „ enim quàm sint ea ad quæ ratio natura- „ lis pertingit, per fidem conjungimur, ut „ certiùs adhæreamus.

CAPUT II.

Quæ, & quotuplex sit unio Mystica voluntatis.

5 UNio voluntatis, tam activa, quàm passiva, consistit similiter in conformitate, & similitudine voluntatis creatæ cum voluntate Divina; Unioni verò voluntatis, non possunt adaptari differentiæ objectivæ, & formales, quia nimirum unio objectiva, vel ex potentia, & objecto, potest habere discordantiam cum alia voluntate, cui unienda, & copulanda est: Quare in hac potentia solummodò dabimus unionem formalem, sive duarum potentiarum.

6. Ad quam non solùm necessarium est, quòd ambæ voluntates ament idem objectum; sed quòd illud ament propter eundem finem, & motivum; nam si una voluntas amaret pallium sibi, & altera pallium amaret Francisco; quamvis in objecto amato convenirent, differrent tamen in motivo amandi; subindeque licèt ambæ voluntates essent unitæ unione objectiva, inunitæ essent, & contrariæ in unione formali; itaque differentia objectiva, & formalis, nequit in Mystica accommodari voluntati.

7. Voluntas humana tunc dicitur unita voluntati Divinæ, quando non solùm diligit Deum, sed etiam illum diligit propter eundem finem, propter quem Deus diligit semetipsum. Quem finem si scire velimus, proculdubio reperiemus, Deum se ipsum, & omnia diligere propter semetipsum; hoc est, propter suam bonitatem increatam: Divinæ enim voluntati (ut docent Theologi) attribui oportet motivum perfectius se amandi, & diligendi; quod cum sit ejus bonitas increata, quando voluntas humana Deum, & omnia amaverit propter Divinam, & increatam bonitatem, tunc absque dubio erit unita voluntati Divinæ, ut expresse tenent Bernar-

nardus (*In meditat. c.* 8.) dicens: *Cum Deo verò uniri non possum, nisi per charitatem*, & D. Thomas. (2 2. *q.* 30. *art.* 4.)

8 Ex quibus claré constat, quòd unio animæ cum Deo non sit aliud, quàm cognoscere Deum per fidem, & amare per charitatem; quod à pueris decantatur, cum dicunt Hispanicé: FE, Y CARIDAD CAMINO DEL CIELO; FE, Y CARIDAD CAMINO DE ALLA. Nec quidquam aliud est hæc unio; de ea enim factum est primum Deuteronomii præceptum, & prima veteris testamenti tabula, scilicet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota fortitudine tua* (*Deuter.* 6. 5. 6. 7 & 8.) Ubi præcipitur per fidem cognoscere Deum, & amare per charitatem: Cui addit text. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, nec procul positum, nec in Cœlo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valebit ad Cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque trans Mare positum est, ut causeris, & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare Mare, & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire, & facere quod præceptum est? Sed juxta te sermo valdè in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum*. Non ergo fingamus unionem hanc esse extraordinariam, & inaccessibilem, cum supposita gratia justificante, omnibus conceditur, quia omnibus præcipitur (ut docet D. Thomas 2 2. *qu.* 44. *art.* 1.) & hoc intelligat Magister spiritualis, ne obscurissimis terminis, quibus in Mysticis libris hæc unio involvitur, confusionem capiat: videndus est Angelicus Præceptor (1 2. *q.* 67. *art.* 6. & 2. 2. *qu.* 44. *art.* 4. *ad.* 4. & *in* 1. *ad Corint.* 13. 8.)

9 Sed ut Mysticorum terminos calleat Magister, dividere debemus unionem hanc in totalem, & partialem. Totalis est quando non solùm objecto, & sibi invicem unitæ sunt potentiæ, verum etiam per omnes suos actus unitæ sunt. Partialis dicitur, quando non secundum omnes actus, sed secundum aliquos unitæ sunt. Dividitur etiam unio in actualem, & habitualem: Actualis est ipse actus unionis: Habitualis est, quando adest facilitas se uniendi.

10 Sed ad unionem Mysticam (de qua nobis impræsentiarum specialis est sermo) animadvertendum est, quòd ubicunque dicimus, animam curare debere Deo suo, & fini ultimo copulari, intelligimus eam uniendam esse per unionem totalem; idest, objecti, & potentiarum, & secundum omnes suos actus; hoc est, Deum solùm habeat pro objecto, illumque cognoscat proportionabiliter ut est in se; per habitum fidei, vel secundum fidem; eumque solùm diligat per charitatem, quin aliud quidquam pro tunc cum Deo diligat. Itaque cum anima Deum cognoscit per habitum fidei, vel Donorum sapientiæ, & Intellectus, quæ juxta fidem sunt; cumque solùm diligit per charitatem, verè unita est mysticé cum Deo; quod iterum repetere oportuit, ne Magistri spirituales falsò putent, unionem Mysticam esse rem impenetrabilem, obscuram, & alterius vitæ, cum revera nihil aliud sit. Hæc est rigorosé Theologia Mystica (licét per hoc nomen intelligatur à Mysticis unio passiva) simplex Divinæ veritatis intuitus, & conceptus Dei universalis. Hæc denique sub variis conceptibus, nominibus, phrasibus, & symbolis quoad ejus effectus (& non quoad ejus substantiam) à multis Auctoribus exprimitur.

11 Hæc unio dividitur in activam, & passivam: Activa illa est, QUÆ PER GRATIAM ORDINARIAM SANCTIFICANTEM, ET PER HABITUS SUPERNATURALES FIDEI, ET CHARITIS; POTEST HOMO EFFICERE QUOTIESCUMQUE VOLUERIT. Et dicimus per gratiam ordinariam sanctificantem, quia homo dum in peccato mortali consistit, nequit facere actus unionis; quia licét hic possit Deum cognoscere per fidem, quam per peccatum non amittit; tamen per charitatem quam amittit, non potest Deũ amare; & cum in utroq; actu unio consistat, exinde absq; gratia justificante cum Deo uniri, & copulari nequit.

12 Item diximus per habitus supernaturales fidei, & charitatis, quia nimirum absque illis non potest intellectus, & voluntas Deum cognoscere, & amare proportionabiliter ut est in se per cognitionem, & amorem supernaturalem, quia absque illis remanet homo in statu puré naturali, in quo solùm potest cognosce-

re, & amare id quod sub sensum cadit, juxta illud axioma Philosophicum: NIHIL EST IN INTELLECTU, QUIN PRIUS FUERIT IN SENSU. Cum autem Deus eo modo quo est in se, nec sit materialis, nec materiali similis, nec, ut ait Apostolus, (*1. ad Corinth.* 2. 9.) potest sub sensum cadere; ideò in statu pure naturali non potest homo Deum cognoscere, & amare eo modo quo est in se, & ut requiritur ad prædictam unionem Mysticam.

13 Requiritur igitur, quòd mens hominis elevetur per aliqua comprincipia supernaturalia, sive habitus ad statum supernaturalem, ut producere possit actus cognitionis, & amoris supernaturalis, & de ordine supernaturali, ut cum omnibus tenet Suarez (*P.* 3. *de grat. lib 6. cap.* 5. à *nu.* 1. *& deinceps*.) Comprincipia autem, quæ ad intellectum spectant, Deumque repræsentant ut est in se, sunt habitus virtutis fidei Theologicæ, & Donorum sapientiæ, & intellectus, ut suo loco fusiùs explicabimus. Quod verò ad voluntatem spectat, solùm est habitus virtutis Charitatis Theologicæ; unde exercitium hoc fidei, & charitatis, quod homo in gratia constitutus potest habere quotiescunque voluerit, est verè, & realiter unio Mystica, & activa contemplatio; ita D. Thomas (1. 2. *q.* 68. *art* 8.)

14 Sed forsan objiciet spiritualis Magister, quòd si hæc ita se habent, & homo justificatus potest ad libitum suum facere actus unionis, non erit necessaria tanta mortificatio, & exercitium virtutum, nec tam stricta, & exacta animæ purgatio, sicut communiter Mystici prærequirunt, sed absque prædictis adminiculis poterit homo vocari unitus, & contemplativus. Ad quod respondemus, quod ut homo justus possit facere unum, aut alterum actum unionis, aut contemplationis, pauca sufficiunt: Ut autem possit in hoc exercitio unionis diu perdurare, eumque habitualiter, & quasi ex statu habere, omnia hæc, & alia ampliùs requiruntur.

15 Cum autem homo assuetus sit cognoscere per sensus materiales, & per species materiales, & corporeas, est ei valde difficile perseverare in simplici cognitione, per species purè spirituales, & extra suum naturalem modum cognoscendi: Ad quod, non solùm requiritur exercitium fidei, sed etiam purgatio passiva intellectus, ut relicto modo naturali cognoscendi, in obscura, & simplici fidei cognitione possit habitualiter consistere.

16 Voluntas pariter assueta erat amare objecta propter sensibile motivum propriæ convenientiæ, obsequens appetitum brutalem, & sensitivum; quæ quidem ut possit Deum amare, non propter suum commodum, sed propter ejus bonitatem increatam, nullo proprio expectato lucro, indiget utique omnimoda mortificatione, & strictissima purgatione, qua ei amarissimè sapiant omnia oblectamenta sensibilia, ut solum Deum propter se ipsum (ut oportet) sapiat.

17 Præterquam quod indiget anima sui ipsius dominium acquirere, ut possit habitualiter, & fructuosè in sancta quiete unionis consistere: Ad quod (ut docet D. Thomas ex Dionysio (*In Dionys. de Divin. nominib cap* 3. *lect.* 1. „ Tria requiruntur: Primò, quod sensualitas sit „ munda ab omnibus carnalibus, & mundanis affectionibus, quibus illecti trahimur inferius: & hoc tangit cum dicit „ castissimis orationibus; Secundò, ut intellectus noster non obumbretur caligine phantasmatum, quod accidit illis „ qui spiritualia non capere volunt supra „ corporalia; ut qui posuerunt Deum effiguratum figura humani corporis; propter quod etiam impeditur ab ascensu „ in Deum, & quantum ad hoc dicitur „ revelata mente: Tertiò, ut voluntas „ nostra per charitatem, & devotionem „ sit ordinata ad Deum; & hoc est quod „ subdit, & aptat ad Divinam unionem. Hæc D. Thomas; ex quo cuilibet pervium erit cognoscere, quanto exercitio, mortificatione, & purgatione opus sit ad consistendum habitualiter in hac unione, & activa contemplatione.

CAPUT III.

Quæ sit unio passiva animæ cum Deo.

18 UNIo passiva, & omnino supernaturalis, illa est, QUÆ POSITA GRATIA SANCTIFICANTE, ET HABITIBUS INFU-

INFUSIS VIRTUTUM, ET DONORUM SPIRITUS SANCTI, ADHUC HOMO AD LIBITUM HABERE NON POTEST, SED A DEO LIBERALITER, ET CITRA MERITUM PROPRIUM ACCIPIT, QUIN IN EJUS RECEPTIONE SE HABEAT HOMO UT AGENS, SED OMNINO UT PATIENS Quamobrem passiva vocatur; & licèt post ejus infusionem homo possit suis potentiis liberè operari, nequit tamen liberè eam accipere, & retinere.

19 Oportet autem animadvertere, quod omnis contemplatio, & unio hujus vitæ (ut ait quidam Mysta) *P. D. Hieronymus Spert. selest. myst. p. 3 c. 5 n. 3.*) quamtumcunque alta sit, non est aliud quàm usus quidam, & exercitium fidei, & charitatis; quod idem fatetur Suarez; (*De Relig. tom 2 lib. 2 cap 9. num 13*) nam licèt hæc frequentius fiat per habitus Donorum sapientiæ, & intellectus, hæc Dona intra fidem sunt, & fidem supponunt. Exercitium autem voluntatis; quantumcunque ferventissimum, delicatissimum, & altissimum sit, procedit semper à virtute Theologica charitatis. Itaque sibi persuadeat Magister, quod contemplatio passiva in sui substantia, eadem est ac activa, & solum in modo, & intensione distinguitur: In modo scilicet, quia eam recipit homo, & non agit: In intensione, quia cum principalis agens sit Deus, lumen quod infunditur validissimum est, & altissimum, & amor similiter, fortis, ardentissimus, & suavissimus, ut expressè docent Bonaventura (*De itin. ætern., itin. 3 dist. 3.*) sequens Richardum à S Victore, Hugo Victorinus (*Homil 1. in Eccles.*) Dyonysius Carthusianus (*De Myst. Theol lib. 1. c. 36.*) Fr. Thomas à Jesu Maria, Hieronymus Spert. (*Ubi supra*) & cum multis doctissimus Franciscus Suarez *Ubi supra* (quidquid immerito dicant alii) & hoc lumen infusum, unà cum amore infuso, insolitos, & admirabiles in animabus, juxta earum dispositionem pariunt effectus, de quibus infrà dicemus. Cum autem in hac unione infusa adeo altissima lux accipi debeat, & amor similiter intensissimus, & mirabilis; indiget anima multimodis purificationibus, & horribilibus purgationibus disponi, & præparari ad eam recipiendam.

20 Intelligat & etiam Magister, quòd omnia quæ animabus contingunt in spirituali via, licèt rarissima, & extraordinaria, ut sunt Visiones, Revelationes, Purgationes, Extases, Raptus, & his similia; omnia hæc operatur unus atque idem spiritus, per prædictum lumen, & amorem, dividens singulis prout vult, vel prout in eis invenit capacitatem, ut infrà latè probabimus, ne in terminis, & phrasibus Mysticorum confundatur.

21 Itaque prædictum lumen, & amor, sive unio, vel contemplatio, dum activa est, vocari solet à Mysticis (in animabus incipientibus, & proficientibus) præsertia Dei intellectualis; recollectio potentiarum, elevatio mentis in Deum, silentium, aut interior solitudo: In perfectis autem, dum est activa, vocatur contemplatio, sive unio activa, oratio fidei, simplex, & amatorius Divinæ veritatis intuitus; cognitio indistincta, & universalis, oratio quietis, otiumque sanctum.

22 Cum autem passiva est, vocatur contemplatio, sive unio infusa, & passiva; Mystica Theologia, Divina caligo, radius Cœlestis, Divinum silentium, somnus, ebrietas; & his similia. In animabus denique perfectioribus, & purgatis, vocatur raptus, extasis, ardens elevatio, Paradysus animæ, flamma amoris viva, telum Divini amoris, languor Divinus, Sibilus auræ tenuis, deiformitas, desponsatio, spirituale matrimonium, & alia nomina quæ desumuntur ab effectibus, quos causat hujusmodi infusio luminis, & amoris, secundum majorem, vel minorem subjecti dispositionem; sed revera nihil aliud est, nec aliter Deus mysticè se communicat creaturis in hac vita, nisi mediantibus prædicto lumine, & amore, & emanantibus à prædictis habitibus infusis fidei, & charitatis, vel Donorum sapientiæ, & intellectus, ut fusius infra videbitur. Hoc itaque animadvertimus, ne Magister in similibus phrasibus, & locutionibus (quibus plures obscurantur) confusè procedat. Mystici enim Doctores utuntur his terminis, & metaphoris, ut luminis istius, & amoris effectus meliùs explicare valeant.

CA-

CAPUT IV.

De dotibus, & conditionibus, quibus pollere debet Magister spiritualis.

23 NEcessarium omnino erit, quòd ille, qui ministerium animarum assumere appetit, priusquam aliorum speculator efficiatur, se ipsum attentissimè speculetur, ne forte sui ipsius deficiente obtutu, victimas Deo offerendas in profundum præcipitet, suumque ministerium in propriam ruinam, & miserum suspendium convertatur: *Quia vobis judicium est.* (ait Dominus per Oseam) *quoniam laqueus facti estis speculationi, & victimas declinastis in profundum, & ego eruditor omnium eorum.* (*Oseæ.* 5. 1. 2.)

24. Debet igitur antequam aliorum eruditionem accipiat, per multum temporis in oratione, & virtutum exercitio sollicitè insudare, jamque in se ingentem profectum intueri; ac demum ut securius postea accedere valeat, debet requirere consilium sui Directoris, qui nullâ passione ductus ei constituat, an sit aptus, vel ineptus ad talè ministerium. Director autem à quo petendum est consilium, debet esse doctus, & spiritualis. Quodsi hujusmodi proprium non habuerit, debet aliunde his dotibus pollentem adire, ut eum possit (ut æquum est) convenienter examinare; alioquin meritò de temeritate argui posset; discipulorum enim profectus, regulariter per virtutem, & peritiam Magistri consequuntur, ut docet Ambrosius, dicens: *Primus discendi ardor, nobilitas est Magistri.* Et ideò Christus (dicente Apostolo) efficax remedium tentatis effectus est, quia per id didicit, per quod passus fuit ipse, & tentatus: *In eo enim* (inquit *Ad Hebr.* 2. 18.) *in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari.* Quamobrem stultum esset alios docere, si priùs in ea facultate quam docet, non sit peritus; cum adhuc in mechanicis artibus nullus constituitur Præceptor, qui non sit de sua sufficientia rigorosè examinatus; quanto magis fieri debet in scientia mystica, tot periculis, anfractibus, & obscuritatibus constipata?

25. Debet ergo Magister in omni exercitio virtutum esse valde perfectus, & vias spiritus (experientia duce) bene calcatas habere, ut per easdem alios tutò dirigere valeat. Quare oportet, quòd à creaturis abstractus, atque in interna saltem solitudine constitutus, multo tempore tacuerit antea, ut postea dirigendis animabus verba bona, & salubria eructare possit; ad exemplum Domini nostri Jesu Christi, qui priusquam ministerium hoc per tres solos annos palam assumeret, per triginta in subjectione Parentum, ætatisque & sapientiæ profectu, clam latere edocuit. (*Lucæ* 2. 52.)

26. Itaque cum admiratione, & dolore conspicitur, quòd nonnulli vix recollectionem, & exercitium virtutum attigerunt, & ab eorum laxa vita conversi sunt, quando hoc difficile munus assumere non perhorrescunt; quamobrem sibi durissimum judicium, & animabus magnum dispendium præparant; scriptum est enim: *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* 15. 14.) nam qui imperitè ad alios regendos se ingerit, alienum damnum in se ipso refundit.

27. Qui igitur hujusmodi sunt, magnum inferunt virtuti ludibrium, & ministerio opprobrium, & contemptum, dum putant sæculares, viam virtutis, & orationis esse rem infimam, despectam, & nugatoriam; siquidem ille qui heri laxæ vitæ visus est, hodie potest effici orationis Magister; quapropter eos irrident, suasque admonitiones, & doctrinas, quasi nugas, & fabulationes habent; sciant namque quòd non quotidie Deus creat Paulos, & Magdalenas; quinimo, & licèt miraculosè à Deo scientia Pauli essent imbuti, ipsis consuaderemus, quòd non statim ministerium animarum assumerent, sed post aliquot tempus, ut Mundus inspiceret eos quasi discipulos, pœnitentes, mortificatos, & à creaturis abstractos, magisterium comparare potuisse; quamvis enim in illis esset virtus ad alios regendos, ab aliis tamen æstimatio, & conceptus capacitatis eorum abesset; & utrumque necessarium est, ut debitus directionis fructus percipiatur.

28. Opor-

28 Oportet etiam Magistrum esse docilem, & in affectum; hoc est, quod nullo modo habeat adhæsionem, vel deordinatum affectum regendi animas; imò si viderit clientulum peritiori quàm sua directione indigere, ad alium qui scientiùs illo possit eum instruere, mittere debet, quia ad hujusmodi animam jam factus est cæcus director, cum viam per quam illa incedit ignorat; quod quidem valde necessarium est, præcipuè in rebus supernaturalibus unionis passivæ; in eis namque absque directoris experientia, ferè est impossibile non errare; viæ quippe supernaturales sunt obscuræ, milleque anfractibus consitæ, & multis tenebris circunseptæ; quomodò ergo in tam lubrica via poterit januam, & exitum ostendere, si exitus, & januam penitus ignorat? Nullus potest aliquem ducere per Civitatem in tenebrosa nocte, si calles illius non habuerit bene calcatas; & cum via contemplationis sit nox obscura (ita eam vocat B. Joannes à Cruce) nullatenus poterit absque totali animæ ruina per hanc obscuram noctem ducere, qui nec noctem scit, nec ejus offendicula cognoscit. Tanta est viarum Domini diversitas; tanta animarum difficiles gressus; tanta denique sunt animorum studia, & pericula, quòd ferè impossibile sit quòd unus, atque idem Magister pro omnibus sufficere valeat; tametsi (non absque dolore inspicitur) rarissimum esse, qui de se non præsumat, idoneum esse pro omnibus dirigendis: Et licèt anima difficilis sit gubernationis, ob suam superbiam, vel ignorantiam, nec de ea cum doctis, & expertis viris consulit, nec studet quid facere debeat, nec ad alios peritiores eam remittit.

29 Nunquam videmus quòd idem Artifex ad omnes Artes sit aptus, & peritus; nec imaginem materialem unus, atque idem Sculptor incipit, & illuminatione perficit; unus siquidem lignum cædit, alter ferro scalpro dolat, & format, alter denique deaurat, illuminat, & perficit: Si igitur opus materiale, & visibile, non unus Artifex eam à cardine usque ad postem perficere audet; quantò minùs unus Director opus mysticum spirituale, & arcanum, incipere, proficere, & perficere audebit? Antequam ergo ministerium hoc arripiat, legat obsecro B. Joannem à Cruce *in libr. Flammæ Amoris vivi cant.* 3. ubi de spiritualibus Magistris agit; ibi enim inspicere poterit, quot, & quibus se exponat damnis, si prædicta careat docilitate.

30 Debet etiam Magister, in sui, & aliorum conversatione esse irreprehensibilis, juxta Augustinum dicentem: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.* (*S. Augustin. lib. 1. ad Mar.*) Et hoc quod est esse irreprehensibilem, plus dicit quàm doctum, & sanctum; potest enim interiùs habere scientiam, & sanctitatem, & exteriùs aliquid reprehensione dignum; unde ea quæ specialiter ad irreprehensibilitatem spectant, notare necessarium duximus.

CAPUT V.

De his quæ attinent ad irreprensibilitatem Magistri spiritualis.

31 PRimum sit, quòd Magister spiritualis debet esse modestus, & gravis, juxta Apostolum dicentem: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus;* (*Ad Philipp.* 4. 5.) nam si inquietæ indolis est, aut vagus oculis; quamvis multas habeat interiores virtutes, exteriùs tamen reprehensibilis erit, & cum nullus adeo inscius sit quòd ignoret, modestiam esse custodem virtutum; dum illum aspicit immodestum, proculdubio, & virtutis vacuum judicabit, atque in exigua æstimatione habebit; & cum alios modestiam docere debeat, infructuosum erit aliis commendare, quod ipse in se negligit; & multo potiùs cum mulieribus indiget magna modestia, & gravitate, ne animæ suæ detrimentum inferat, dum eas directionis causa tractat, & earum interiora, & fragilitates inspicit.

32 Secundò, quòd sit taciturnus, & strictissimi silentii observator, ad exemplum Moysis, qui dum Populo Israelitico factus est rector, & ductor, tardioris, & impeditioris linguæ effectus est: (*Exod.* 4. 10.) Magister nanque est animarum archivium, & secretorum receptaculum, quæ quidem si viderint favo-

res

res suos, aut defectus aliis ipsos palam facere, proculdubio Magistrum verebuntur, & exinde res suas non aperient, cum hoc sit maximum earum dispendium. Itaque quod ab una secreto accipiat, caveat ne alicui manifestet; maximè si possit in subjecti cognitionem devenire, quia pro certo habebit idem cum aliis facere de his quæ ejus notitiæ committit.

33 Si autem ad ædificationem, vel utilitatem aliorum necessarium sit (quod raro continget) poterit hoc agere suppresso nomine, dicens: QUÆDAM PERSONA QUÆ CUIDAM DIRECTORI COMMUNICAT (tacendo quod ipse sit) HOC VEL ILLUD AGIT, AUT EI CONTINGIT. Et hoc modo celata persona, ejusque Directore, consequi poterit fructus prætensus. Nos tamen semper sua debimus, quòd Magister sic se habeat, ac si interiora animarum per sigillum Confessionis recepisset; hac enim de causa non modica scandala visa sunt; ideoque ferè semper tutius aget Magister exempla proponendo quæ in Sacra Scriptura, & in Vitis Sanctorum referuntur, ad omnia quæ ad animarum profectum necessaria sunt, aut utilia; quare superfluum erit, & vanum, ea à privatarum personarum eventibus emendicare.

34. Tertiò, debet Director esse in operatione temperatus, & ponderosus; non velox, aut præceps: *Omne enim quod agimus* (Gregorius *Homil. 37. in Evangel.*) *prævenire per studium considerationis debemus*: & nihil est quod majori pensitatione, & consilio indigeat, quam id quod semper præ manibus habet, & Salomon inquit: *Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem*. (*Eccle*. 5 1.) Quia nimirum omnia quæ sic agunt, immaturitatis, & inconsiderationis suspicionem afferunt, & dum illa exequi oportet, remissè, & absque satisfactione operantur. Præterquamquod nullam in Directore mortificationem, & spiritum supponit, cum in verbis suis, vel factis, minus ponderosus, & tardus ostenditur.

35 Si negotium illi consultum grave sit, licèt statim possit illud rectè absolvere, tempus sibi sumat, quo illud Deo commendare valeat; sic enim securius Divinum consilium consequetur, & consulens ejus consilium obsequi non dubitabit, videns omnia impensa fuisse quæ ad obsequendum optimum effectum adhibere poterant; & multoties quod prima fronte securum videtur, postea maturius consideratum apparet nocivum. Si verò negotium illicò agendum est, nec suppetit tempus ad maturius deliberandum, debet Magister in se ipso recollectus petere à Deo, ut sibi det consilium bonum, quo animam illam ad majorem ejus gloriam, & illius profectum, consilio suo dirigere, & illuminare valeat.

36. Quartò, debet esse modestè hilaris, quia ad aliorum utilitatem valde necessarium est; cum enim Doctorem virtutis vident tristem, & malencholicum, falsò concipiunt perfectionis exercitium esse tristitiæ sinum, & melancholiæ voraginem; subindeque animæ hilares ejusmodi Philosophiam aggredi perhorrescunt. E converso verò, si Directorem cernunt modestè affabilem, trahuntur exercere id, quod tam hilarem, & humanum facit exteriorem; ex quo conjiciunt, interiorem esse humaniorem, majorique lætitia perfusum; ad quod referri potest illud Ecclesiastici. *Tristiam longè repelle à te: multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in ea*. (*Cap*.30. 2. 25.)

37 Quintò, ut sit valdè circunspectus, & solitarius, atque à superfluo hominum consortio segregatus, nec cum filiis suis spiritualibus nimiam familiaritatem exerceat; nec eos in suis domibus frequenter visitet; alioquin ex tali frequentia Directorum suspicatur eos, vel cupiditate duci, vel ex nimia regendi immoderata adhæsione moveri: Unde evenit quòd quasi importunas muscas, & vulgares homines irrideant, & contemnant, & ab eis nullum fructum capiant, ipsique Directores repleantur speciebus, inquietudinibus, negotiis, & occasionibus labendi in vanitatem, distractionem, & luxuriam; quos Basilius (*In quæst. disp*. 22.) increpans dicit: *Nam super hoc quòd nullam utilitatem exhibemus, insuper & nostram ipsorum vitam tumultibus, & turbatione implemus, & peccatorum occasione trahimur*.

38 Magister assiduè inveniatur in loco Con-

Confessionum, in cella, vel in domo; & si aliis forsan necessarius sit, illic requiratur; æquum enim est quòd sapientia non exhibeatur quasi venalis, & despecta, sed quasi thesaurus absconditus quæratur; & Director absconditus, & abstractus, magnam sibi comparat reverentiam, & venerationem, quæ ad hujusmodi ministerium est valdè conveniens, ut ejus consilia, & increpationes in majori æstimatione habeantur.

39 Cum filiabus autem spiritualibus, majori circunspectione, & abstractione utendum est, quas raro, aut nunquam nisi urgentissima necessitate visitare debet; nam præter periculum, cui se exponit labendi in turpia, quia earum fragilitates cognoscit, magnum eis inferret præjudicium; quia fœminæ ex natura sua sunt molles, teneræ, faciles, & affectuosæ, & per assiduum cum eis commercium, generatur in illis ingens amor, qui faciliter in passionem deordinatam, ac demum in luxuriam transire potest, ut multoties vidimus; quarum tantummodò diuturnus confessus visum est Tertulliano sufficere ad excitandos motus libidinis: *Ipsa confessio* (inquit) *ipsa in sensuum favoribus*, *aut conspiratio*, *aut dissensio inter se de commercio*, *scintillas libidinum conflavellant*(*De expect. ac c.* 25)

40 Nec se reputet securum ex eo, quòd fœminæ sint valde spirituales, cum eisdem enim majori periculo se exponit, quia nimirum virtus, ac sancta conversatio, quandam addit fœminis amabilem pulchritudinem; quæ si familiariter tractentur, sensim ad libidinis impuritatem alliciunt. Dolendum igitur esset si aliqui Directores ita eis essent affecti, quòd frequenter inveniantur in domibus, vel statibus filiarum suarum spiritualium, non formidantes periculum quod sæpiùs vidimus viros egregios incurrisse.

41 Cæterum spiritualibus viris compassivum inferunt dolorem, sæcularibus scandalum, laxis murmurationem, & omnibus generaliter eorumdem Magistrorum irrisionem, & contemptum, cum adhuc Christus Dominus dum à Discipulis suis impeccabilis colebatur, non sine admiratione visus fuit solus cum muliere Samaritana colloquium habere: *Mirabantur* (inquit Joannes 4. 27.) *Quod cum muliere loquebatur*. Cui addit Cyrillus (*In lib. de sign. Cleri. Quia non illis satis honestum videbatur*, *quod cum muliercula sedens loqueretur*. Oritur denique ex hac familiaritate, quòd Directores fiunt ita vulgares, & manuales, quòd neque timor, nec reverentia (in fœminis apprimè necessaria) illis exhibetur, neque ullum in fœminis fructum percipiunt.

42 Sextò, debet Magister quasi Sol esse omnibus æqualis, nec magis lumen doctrinæ exhibere diviti quàm pauperi; quinimo, & magis inopi quàm potenti propter majorem ejus necessitatem, sed generaliter omnibus occurrat, quia contrarium abominabile erit coram Domino propter quod scriptum est: *Non habebis in sacculo diversa pondera*, *majus*, *& minus*; *nec erit in domo tua modius major*, *& minor*; *abominabitur enim Dominus tuus qui facit hæc*. (*Deuteron.* 25. 13. 14 *&* 16.) Non debet igitur Magister affabiliorem se ostendere uni quàm alteri; nec magis ferri in directionem fœminarum quàm virorum, quia sunt nonnulli ita directioni fœminarum, vel Monialium dediti, quasi viri spiritum non haberent, vel à spirituali directione essent prorsus alieni, quandoquidem eorum spiritus capaciores sint spiritibus mulierum, & possunt absque periculo dirigi, & gubernari.

43 Hos profectò movet occulta luxuria, & fucata libido, quæ sensim eos in ruinam, & præcipitium trahet: Quamobrem, illis necessarium est à directione mulierum penitus se arcere, & omnino earum conversationem vitare, quia hujusmodi directioni inepti sunt, utpote quasi carne, & non spiritu ducti, ex quibus nullus fructus potest sperari. Qui autem æquali animo & nulla sexus facta differentia directionem liberè exercent; æqualiter viris, & mulieribus assistant, & quantum in ipsis est, plus velint viros quàm fœminas diligere; tutius namque cum illis ministerium exercetur; cum fœminis verò cum magna cautela, circunspectione, & inviolabili severitate procedant.

44 Septimò, quòd sit Magister sine affectatione excultus, & mundus, nam præterquamquod externa munditia, juxta

ta Bernardum, una ex virtutibus sit, internæ munditiæ curam supponit, æstimationem gignit, & à sui communicatione delicatos, & limpidos non arcet: solent namque isti horrere immunditiam; & cum nullus ignoret, hanc sanctitatem non esse, nec illius signum, eos quasi spurcos, desides, & pannosos despicit, & abhorret, & hoc spirituali profectui animarum est valde nocivum.

CAPUT VI.

De aliis dotibus generalibus spiritualis Magistri.

45 NEcessarium prorsus est, quòd Magister sit doctus, non in vana scientia quam docuerunt Plato, & Aristoteles, sed in illa Divina sapientia quam docuerunt Petrus, & Paulus; ideoque ejus studium, non tam Theologiæ Scholasticæ, quàm Mysticæ, & spiritualis sit: Veruntamen in Theologia Scholastica debet esse sufficienter instructus, per regulas namque ejusmodi Theologiæ discernitur veritas spiritus; unde in rebus obscuris viæ spiritualis, est apprime necessaria, ne animæ in errores, & scandala prolabantur.

46 Præcipuè tamen debet esse doctus in scientia spiritus, ut fundamentaliter noscat modos quibus anima suas operationes producit; ad quos notitiam omnium virium, potentiarum, & habilitatum ejus habere debet, simulque modum quo in eis spiritualia infundantur, & scopulos, pericula, & procellas, quæ in hoc Mare magno spiritus evenire contingunt. Insuper debet cognoscere animorum conditiones, genios, aptitudines, & humores; quia cum ferè nulla sit, quæ sit alii consimilis, & Dominus earum aptitudini, & capacitati se accommodet, ideò eas per diversas vias ad se trahit, & necessarium est quòd Magister aliquam saltem notitiam habeat singularum: Quare debet plures Mysticorum libros revolvere, in quibus per assiduum studium versatus sit, ut id de quo experientiam non habet, à Doctorum experientia, & doctrina accipiat; & pro certo habeat, quòd his non obstantibus, quotidie multa reperiet, quæ neque in libris legerit, nec in se ipso expertus sit, & tunc opus erit alios interrogare, in quibus licèt aliquando lucem non inveniant, propter suam humilitatem à Deo liberaliter illuminabitur.

47 Nolit igitur omnia per rigorem scholasticum metiri; quia quamvis ambæ Theologiæ germanæ sint, habet tamen Mystica alia principia, diversos modos, & non paria studia, quæ regulariter magis per experientiam quàm per scientiam discernenda sunt. Itaque studeat, *non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem (Ad Rom. 14 3.)* & necessaria non tam per librorum studium, quàm per orationis, & virtutum exercitium comparare, quia in his potiùs, quàm in illis lucem accipit. Propterea ut ait B Theresia, potior est Magister mediocriter doctus, sed expertus, quàm doctissimus, sed inexpertus: Si verò ejusmodi non reperiatur, eligatur doctus, si humilis sit, quia tunc si quid ignoraverit, expertorum sensui facilè subjicetur.

48 Præcipua Magistri spiritualis virtus debet esse prudentia, tam in modo se gerendi cum discipulis, quàm cum semetipso; nec sit severus, nec facilis, sed medium teneat; neque semper quod melius sit exequi velit, quia ut ait proverbium Hispanicum: *Non semper melius est melius*, quod enim uni melius est, alteri forsan erit nocivum, quare inspicere debet animæ capacitatem, humorem, & temporis, statusque conditionem, nam si illam, quæ in virtutis tyrocinio posita est, vel laboribus, & obscuritatibus confita, vel melancholico humore infecta, oneret nimia pœnitentia, vel prolixo orationis exercitio, vel rigida mortificatione, terrebit eam profectò, & interdum ab orationis exercitio arcebit, vel in ægritudinem, aut tædium inducet; & propterea, vel illa mortificationem relinquit, vel vitam suam deliciis, & oblectamentis indulgebit: Quapropter viribus animæ, & corporis attendendum est: *Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam (Sapient. 9 15) habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus (2. ad Corint 4. 7.)* quæ si franguntur, vel conquassantur, deperdi, & effundi thesaurum necessarium est.

49 Ideo

49 Ideo nimis errant Magistri qui nihil sibi facere putant, si animas maximis rigoribus non onerant; tantoque eas proficere existimant, quanto inauditis rigoribus se macerant: Sciant isti, quòd pœnitentia non est finis, sed medium, quo caro subjugatur spiritui, & in tantum necessaria est, in quantum hunc finem consequitur; quæ quidam non ad destruendum corpus instituta est, sed ad illud modificandum, ut ordinatè adjuvare possit spiritum: *Corporalis exercitatio* (ut ajebat Apostolus 1 *Ad Timoth.* 4. 8.) *ad modicum utilis est*; *pietas autem ad omnia*. Cui Sanctus Ambrosius (*hic apud Lyran.*) *Jejunare, & à cibis abstinere, non multum prodest, nisi addatur pietas: Corporis enim exercitium, nihil aliud quam carnis fræna sunt*. Videatur Cyprianus *Lib. de dupl. Mart.*

50 Certum verò est, quòd deficiente pœnitentia, non potest dari tranquillitas spiritus tam necessaria contemplationi, quia si immoderatæ passiones non cohibentur, & juxta rectitudinem rationis non diriguntur, earum pondere oppressus spiritus, nequit ad cœlestia consurgere; quamobrem necessarissima est earumdem passionum sedula coertio, & mortificatio; quæ omnino regulanda est per prudentiam, juxta vires, & genium, & statum animarum, ut non omne quod ferre possunt, sed minus aliquid injungatur, ut benè notat P. D. Antonius Molina in suo aureo libro orationis; (*Molina Carthus. tract.* 2) quia natura quamvis robustissima sit, non valet assiduè portare omne id ad quod suæ vires extenduntur; sicut nec brutum animal quod toto illo pondere, ad quod ejus vires sufficiunt, oneratur, potest diu onustus permanere, quin in terram onere depressus concidat: Unde necessarium est aliquid indulgere naturæ, ut possit diu cum onere pœnitentiæ perdurare.

51 Alii Magistri è converso contrariam arripiunt viam, & omnino pœnitentiam despiciunt, qui profectò pejus errant; quamvis enim pœnitentia non sit ad sanctitatem simpliciter necessaria, est tamen secundum quid; scilicet, inquantum conducit ad rectam ordinationem, & tranquillitatem spiritus; siquidem habitus vitiorum qui destruendi sunt, quamvis in anima subjectentur, tamen ad suos actus exequendos, & producendos habent organa in humano corpore, & præcipuè in appetitu inferiori, ubi plures eorum subjectantur (ut infra videbimus) & in statu naturæ laxæ, ut ad regulam rectæ rationis reducantur, indigent coertione, & violentia, quæ per pœnitentiam, & mortificationem fit. Cum autem sine extirpatione vitiorum nequeat consistere perfectio sanctitatis, subinde necessaria admodum est rationalis, & prudens pœnitentia.

52 Fatemur verò, quòd si aliquis inveniretur illa sanctitate præditus, qua polluit Beatissima Virgo Maria, & fomite careret concupiscentiæ, haberetque passiones ita rectæ rationi ordinatas, quòd nec minimam eorum repugnantiam, vel deordinationem obsentiret, non indigeret præcisè pœnitentia, in quantum scilicet ordinatur ad moderandas deordinatas passiones; sed in quantum pœnitentia est una ex virtutibus moralibus, deberet tunc agere pœnitentiam, ne hujus virtutis specificatione, & exercitio careret. Quamobrem Beatissima Virgo magno studio semper, & ubique pœnitentiam exercuit.

53 Debet etiam Magister observare tempora, & humores, simulque animæ statum, & perfectionem: Quod si illam aspiciat teneram, debilem, afflictam, vel in purgationibus positam, aut aliquam bonorum, vel honoris jacturam, vel mortem parentum, liberorum, aut uxoris patientem, & tunc eam omni consolatione destituat, vel reprehènsionibus, aut increpationibus cumulet, esset nimis imprudens; quinimo, & in his, & similibus eventibus, debet eam exhilarare, consolari, & humaniter in bonam spem erigere; alioquin in tædium virtutis, in desuetudinem vitæ spiritualis, & interdum in desperationem adduceret. Si autem anima, cui hæc contingunt sit fortis, perfecta, & viam omnimodæ negationis, & nuditatis ingressa est, non erit imprudentia eam in silentio, spe, & mortificatione ad hæc omnia sustinenda stabilire, quia hujusmodi animæ suppetunt vires, & ex vi sui status tenetur omnia ad exemplum Christi sustinere.

 54 Mi-

54 Ministrare debet Magister ad exemplum Apostoli (1. *Ad Corint.* 3. 2.) parvulis in Christo lac suave, & non escam; nondum enim possunt alium cibum concoquere: Proficientibus autem solidum cibum, sicut & perfectis durum ministret. *Sicut enim Crux Christi* (ait Augustinus) *aliis stultitia est, aliis scandalum; vocatis autem est virtus Dei: Ita idem aliis est lac, aliis cibus est, secundum quod capacitas eorum plus, aut minus capit.* (*S. Augustin. tract* 98. *in Joan.*)

55 Tempus similiter orationis debet viribus animæ, ejusque statui respondere; ita ut nec tempore, nec modo, ei aliquod tædium inferat; in quo sæpiùs errant Magistri, videlicet longum orationis tempus præscribendo his quibus ad id vires deficiunt: & è converso, his quibus diuturna oratio necessaria esat, modicam injungendo, & in utrisque dispendium causant: In primis, quia sub tanto orationis pondere ingementes, eam veniunt odire, & fastidire, in qua nimis inquieti, & quasi catuli ad stipitem assistunt: In secundis verò, quia opus Divinum, quod in eis mysticè agitur, quod per diuturnam orationem consummandum erat, interrumpunt; & exinde evenit animabus anxietas, & nausea spiritualis; adinstar illius cui duæ dormitionis horæ ad sumptum cibum concoquendum erant necessariæ; qui si brevi tempore à somno excitetur, magnam capitis, & stomachi turbationem sentiret: Ita in ejusmodi casu prædictis animabus continget.

56 Aliquos forsan inveniet qui sic horrent, & formidant exercitium orationis, quasi tunc cum aliqua sævissima fera luctamen inirent; quos equidem cum suavi lentitudine debet pedetentim ad orationem allicere, eos scilicet rogans, quòd saltem per unum, vel dimidium quadrantem in consideratione mortis, vel Judicii persistant, & paulatim tempus procrastinet, quousque ipsum exercitium, & auxilium Divinum doceat eos in oratione perseverare. Si autem adeo rudes, vel melancholici sint, quòd neque ad id peragendum convincantur, faciat saltem quòd ad pedes alicujus Crucifixi se præsentent, considerando illum Dominum, immensa charitate dirissimæ mortis supplicio se ipsum pro illis obtulisse; cujus ingens beneficium reciproca in eis officia, recteque vivendi solicitudinem exposcit. Quodsi nec hoc facere possint, quia hebetudine mentis oppressi nihil valent considerare, hortetur eos ut ad Jesu Christi pedes per aliquod spatium perseverent, oculis corporis illa vulnera, & dolores quos Imago repræsentat intuentes, & credentes quòd pro illorum salute talia & tanta perpeti dignatus est, atque ad hunc modum eos in exercitio orationis introducat; quia invium est naturæ ad ea quæ spiritualia sunt (citra morem) erigere animum; maximè cum Diabolus adversus exercitium orationis semper insistat.

57 Nolit Magister, quòd anima omnes suas deordinatas passiones collectivè destruat, quia hoc erit omnino impossibile, sed disjunctivè, & divisim: hoc est, destruat unam, & illa destructa, insurgat adversus aliam. Neque illæ quas debellare incipiat sint ex difficilioribus, sed ex facilioribus, nisi sint passiones graviter peccaminosæ, aut occasiones graviter peccandi, quæ primo, & statim resecandæ sunt; alioquin per faciliora vitia incipiat; hic est enim naturalis rerum ordo de minoribus ad majora procedere, & de facilibus ad difficilia properare: aliter quippe a nimia difficultate oppressa succumbet.

CAPUT VII.

De aliis dotibus prudentiæ, quibus insigniri debet Magister.

58 NESCIT IMPERARE, QUI NESCIT DISSIMULARE: Quod si hoc verum est in temporalibus, longè verius est in spiritualibus, & præcipue cum incipientibus introire viam perfectionis, qui quasi parvuli sunt fluctuantes, & omni tentationum vento circumferuntur; ideo Dominus cum apparuisset Discipulis suis juxta Mare Tyberiadis, vocavit illos pueros, non obstante quòd inter illos erant Petrus, Andreas, & Philippus, ætate senili confecti: *Pueri, numquid pulmentarium habetis?* (*Joan.* 21. 5.) Nondum quippe Spiritum Sanctum, ejusque Domum

num fortitudinis acceperant. Et alibi eisdem dixit: *Adbuc & vos sine intellectu estis. (Matth. 15.16.)* Quia nimirum incipientes, & interdum proficientes ita perturbati, & parvuli ostenduntur, quòd videantur ratione, & intellectus carere: unde Magistro magna dissimulatione, & prudentia cum illis uti necessarium est.

59 Et primò debet defectus eorum dissimulare, non eos affligendo, sed humaniter confovendo, quin ullo unquam modo ad eorum lapsus, & culpas expavescat: hæc enim imprudentia erit valdè nociva, quæ in Directore regulariter oritur ab exigua humilitate, vel à nulla sui ipsius cognitione, vel ab imperitia, vel ignorantia regendi. Curet igitur nulla peccata animarum, etiam gravia, admirari; scriptum est enim: *Qui se existimat stare, videat ne cadat: (1. Ad Corint. 10. 12.)* Quia proculdubio animas terrebit, confundet, atque à debita interioris manifestatione arcebit; sed illis se exhibeat humanæ fragilitatis affabiliter compatientem; & humaniter hortetur, quòd omnino non concidant, quinimo & majori aviditate (dolentes priùs humiliter de peccato) viam perfectionis prosequantur: Persuadeatque etiam eis, quòd forte id Deus permisit ob aliquem defectum, quem emendare negligunt (hæc enim solet esset causa) & quòd in posterum majori cum cautela, & humilitate procedant, scientes omnia bona Deo tribuere, cum ex se tantum habeant miserias, & peccata; & exinde prædictis hilariorem, & humaniorem solito se exhibeat, ne unquam conjectari possint, quòd propter peccatum illi detectum in aliquem earum contemptum, vel minorem æstimationem devenit, quia hoc valde perniciosum est.

60 Secundò, quamvis videat animas tepidas, & remissas, caveat ne eis pronuntiet quòd nimis perditæ sunt, vel quòd nullum profectum consequentur, vel quòd nunquam erunt spirituales, quia hoc eas perturbat, exanimat, & aliquando desperat; sed cautè eas confirmet, atque aliquo modo eas excusando, humaniter, & efficaciter corrigat, quippe in exordio vitæ spiritualis animæ sunt nimis debiles, & ad passionum coertionem pugiles; quia ut eruditè ait Tullius (*Pro Marco Marcello*) cujus locus inoffensè hìc adduci valet) *Nulla enim est tanta vis, tanta copia, quæ non ferro, aut viribus debilitari, frangique possit: Verùm animum vincere, & iracundiam cohibere, hæc qui facit, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico* Et longè egregius Spiritus Sanctus: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore Urbium. (Proverb. 16. 32.)* Cum autem animum superare arduum, & supra vires negotium sit, mirari non debet Magister de animarum fragilitatibus, præsertim illarum quæ in virtutis tyrocinio consistunt.

61 Aliquando verò indigebit eas regere in virga ferrea; illas scilicet, quæ ita tepidæ, & negligentes sunt, quòd multoties animadversæ, & correctæ, non solùm non resipiscunt, verum etiam correctionem irridendo, media ad assequendam virtutem rejiciunt. Cum eisdem namque rigidè se gerere debet, temperando tamen rigorem, juxta Christi Spiritum, & extrema severitatis, & lenitatis fugiendo, sed lenis sit cum severitate; & dum severus esse debet, aliquam lenitatem immisceat.

62 Tertiò, cautissimè procedat in rebus supernaturalibus; nempe, Visionibus, Revelationibus, &c. Nunquam eas applaudat, nec despiciat, multoque minus nutu, aut verbis ostendat quòd eas in aliquo pretio, vel æstimatione habeat; sed dissimulet, observet, & examinet; quales sint, unde procedant, quos effectus pariant, & quomodo animum ad Deum erigant, de quibus omnibus infra differemus. Ordinet in eis animas, & juxta revelationem nunquam operari permittat, absque solicito examine, & matura discussione.

63 Caveat etiam eas illico, quasi Dæmonis fallacias damnare; sed animas doceat nullum in eis fundamentum ponere: Et quamvis clarè à Dæmone factas fuisse cognoscat, nunquam tamen animabus dicat fuisse à Dæmone deceptas, sed quod ejusmodi visiones omnino renuntient, & signo Crucis se muniant, quia valdè obnoxiæ sunt fallaciis Dæmonum; alioquin eas terrebit nimis, atque à via orationis aver-

avertet . Sed si videat quòd in illis defendendis, vel æstimandis exhibentur tenaces , tunc viriliter dolos detegat , atque esse à Dæmone illusas aperte pronuntiet . E contrario similiter , quamvis à bono spiritu procedere cognoscat , non illico factas fuisse à Deo fateatur, quia proculdubio aliquam in animabus gignet satisfactionem , atque rerum similium inordinatam æstimationem; sed affirmet non in hujusmodi rebus consistere sanctitatem , sed in gratia, & charitate ; prælertim cum tot Dęmonis illusiones passim experiuntur.

64 Quartò , debet Magister habere magnanimitatem, & spiritus dilatationem , quæ etiam partes sunt prudentiæ : Et si ex natura sua pusillanimis sit , sciat ad minus dissimulare, quia nimirum in hac via difficili, & obscura perfectionis, tam discipulo , quàm Magistro erit apprime necessarium ; quia si ille conspiciat Directorem paventem , proculdubio concidet terrore perculsus . Dirigat ergo cum libertate spiritus , non cum præssura , & tenuitate , quia creabit spiritus contractos , remissos, timidos, & ad Divinam infusionem parum habiles , quia Deus juxta capacitatem animarum se communicat , ideoque ait per Psalmistam : *Dilata os tuum , & implebo illud* (*Ps.* 80. 11.)

65 Quintò , maxima dexteritate se gerat in purgationibus passivis , quin ullo modo animas affligat , oneret , & fastidiat ; nec ideo credat Ire in perditionem , aut improfectum, minusque eis talia proferat , aut affirmet ; sed eas confortet , foveat, & spe tranquillitatis erigat. Et quamvis anceps fuerit , vel certus de earum improfectu , aut periculo , non hoc illis nutu, aut signis significet; sed earum labores, & eventus cum viris doctis; & expertis primùm consulat , libros revolvat , & in quantum possibile sit , eis remedium, & consolationem afferat; quia adeo graves sunt earum labores , præssuræ , & obscuritates, quòd non solùm judicent in omnibus peccare, verum etiam spem omnis salutis amisisse : Et si Magister hoc credat , aut ejusmodi sensus particeps fiat , poterit ita illas afflictionibus cumulare , quòd ad extremum vitæ deducat ; præterquam quod In tali credulitate multum errabit.

66 Denique, tales, & tam diversi sunt eventus, & status animarum , quòd ad perfectam earum directionem , & profectum , magna prudentia opus sit ; cum impossibile sit exiguam eorum partem referre : Quamobrem in rebus arduis consulere debet viros doctos ; nec statim audeat operari , sed magna prudentia speret , oret , & præcautè se gerat, extrema fugiendo , & medium tenendo , quia in eo virtus prudentiæ consistit .

CAPUT VIII.

De variis animarum geniis , & de modo cognoscendi viam , & exercitia , quæ unicuique earum conveniunt .

67 SI ad exteriora negotia dirigenda necessaria admodum est earum fundamentalis notitia ; quanto magis ad animarum negotium , mysticum, & arcanum , atque mille periculis expositum , necessarium erit ea omnia impendere , quæ ad earum integram cognitionem possint conducere ? Quare ait P. Iacobus Alvarez de Paz (*De vit. spirit. tom* 2. *lib.* 3. *par.* 5 *sect.* 6. *c.* 35) cum Magistris loquens : *Cognitione tibi opus est , quæ tempora , & loca , te ipsum , & personas quibuscum agis , statum , & modum conversandi , & alia similia consideres , & secundum quod ratio hic , & nunc dictat , ac virtus : Ita in his, quæ occurrunt , te habeas* . Idem tenet Suarez , (*De Relig. tom.* 2. *libr.* 2. *cap.* 11. *num.* 9. *in fin.*)

68 Ad hæc oportet , ut quoties anima alicujus Magistri directioni se commendat, cum illo faciat generalem peccatorum suorum confessionem , quamvis cum alio jam generaliter confessa sit , quia per anteactæ vitæ cursum , clarè in cognitionem genii , inclinationis , capacitatis , & fortitudinis animæ devenitur . Attamen si illa sit scrupulis affecta (valde enim nociva ei erit ejusmodi repetita confessio) sufficiet tunc quòd generaliter Magistro narret aliquas particulares inclinationes , ad quas ex vi sui genii , conversationis, vel passionis ducitur , ut ex illis valeat Magister in ejus devenire

cogni-

cognitionem, & similiter exercitii, quod ei sit utilius, & convenientius; nam per hujusmodi notitiam, & modum Divinæ vocationis, poterit prudenter conjicere, quo eam ducat Deus; quæ sit ei aptior via, quæ convenientiora exercitia, quæ salubriora media, & quam denique perfectionem possit regulariter adipisci.

69 Scire enim debet, quòd communiter Deus genio, conversationi, & capacitati animarum se accomodat; non enim venit naturæ legem solvere, sed adimplere(*Matt* 5 17.)& ut ait Theologia: SE HABET MODO OPERANTIS NATURÆ. Quare si exercitium animæ commissum, contrarium sit illius genio, vel capacitati, proculdubio nihil, aut parum proficere, quia ut ait Suarez: (*ubi supra.*) *Quamvis Divina gratia superare possit quasi naturalem subjecti capacitatem, ordinariè verò illi se accommodat; & ideo in hujusmodi contemplationis usu, ratio naturalis complexionis, & capacitatis habenda est.*

70 Debet ergo Magister attendere, an anima quæ ejus directioni committitur, sit vivacis intellectus, vel discretioni, & acumini valde dedita: Hanc profectò nocebit exercitium pacificum, & sanctæ solitudinis quies, ut tenet Joannes Rusbrochins (*In specul vitæ ætern. cap.* 11. *in fine.*) quia quamvis Divina gratia indoles, & genios superare possit, ordinarie illis se accommodat. Quamobrem his quæ inquietæ conversationis sunt, injungendum est, quòd in Divinæ magnitudinis timore, & tremore, & in gratia, & charitate persistere curent, per pias, & accommodatas considerationes, & operationes, ex quibus ipsis virtutum augmentum, & proximis bonum exemplum sumant. Debet tamen illis modum ponere in discursibus, & exercitio intellectus, ne juxta genium suum vires suas per illum evacuent, & voluntatem vacuam, & tepidam reddant; sed facta, & elicita discursus conclusione, & ad eam affectu excitato, quantum eis possibile sit in illa conquiescant.

71 Quodsi anima sit indolis maturæ, quietæ, & tranquillæ, licèt subtili intellectu polleat, poterit eam turò (servatis aliis necessariis) ad quietum, & pacificum exercitium paulatim dirigere; quia nimirum ejus subtilitas mentis ad profundiorum Mysteriorum penetrationem serviens, ex vi pacificæ naturæ, & indolis, in eis potius conquiescit, & lumen Divinum subtilius radicatur.

72 Aliæ sunt animæ pacificæ, affectuosæ, & suaves, & in operibus valde remissæ, quæ licèt aptæ possint esse quieti, tamen ad eam indigent majori probatione, & cautela; & debent per longum tempus exercere meditationem; neque debent facilè sine evidentibus signis ab ea extrahi, & amoveri, quia ex his plurimæ decipiunt Magistros, & ipsæ decipiuntur, falsò putantes se in simplici intuitu Divinæ veritatis conquiescere, cum revera quies illa falsa sit, atque ab earum desidia, & remissione provenient; à qua si statim non recedunt, & meditationi non se committunt, remissiores fient, & Dœmonis fallaciis exponentur, quia à natura, & non à gratia; ab appetitu, & non à lumine supernaturali ducentur; Quare necesse est eis, multo tempore meditari, & mortificationem, qua ejusmodi desidiam superent, exercere.

73 Aliæ animæ sunt pusillanimes, timidæ, & pigres, quæ nunquam aliquid magnum aggreditur; imo minimum quasi magnum formidant: jam volunt, jam nolunt, juxta illud: *Vult., & non vult piger* (*Proverb* 13 4) Interdum fervent, sed statim deficiunt: Istæ inepiæ sunt regulariter ad contemplationem; possunt tamen per solicitudinem Magistri ad eam fieri capaces, si nimirum eas virga, & calcaribus excitet, atque in meditationibus, & virtutum exercitio diu solicitè cogat; de quarum actibus, exactam ei quotidie rationem reddant: Deinde eas in firma Divinæ bonitatis spe (in qua regulariter fluctuant) constanter fulciat; quia quantumcunque pusillanimes, & pigræ, genium tamen oppositum quieti non habent; & pusillanimitas, & pigritia possunt per directoris industriam, & solicitudinem corrigi.

74 Aliæ è converso sunt nimium confidentes, dissolutæ, totiusque laxitatis amicæ, quæ ferè semper intrepidè, & inconsideratè operantes, ad ea sola quæ ad voluptatem, & commodum diriguntur, inclinantur. Has proculdubio necessarium

est

est per horrorem Mortis, Judicii, & Gehennæ conducere; ideoque oportet quod assiduè meditentur Novissima, & ea potissimè quæ majorem terrorem afferunt & observet Magister quomodò in eis se habeant, & quo fervore, & diligentia virtutes exerceant, atque in sancto timore quomodò in dies crescant; de quibus omnibus strictam ei singulis hebdomadibus reddant rationem; semperque curet eas in timore, & tremore conservare, quia ad minimam hujusmodi negligentiam, in pristinam vitam paulatim revertentur.

75 Alias reperiet vivaces, inquietas, simulque scrupulosas, & melancholicas, quæ proculdubio ineptæ sunt ad pacificum exercitium, licet ad activam perfectionem possint esse aptæ. Hujusmodi debet Magister modico tempore in Novissimorum consideratione exercere, quia earum scrupulos, & melancholiam fovebit; sed eas exerceat in consideratione Vitæ, & Passionis Domini, & Mysteriorum fidei, in quibus plus, minusve, juxta motionem, & affectus debent demorari. In his orationis tempus minus sit quàm lectionis, quia vivacitatis causa nequeunt discursus ita dirigere ad profectum, sicut in libris compositos, & directos reperient. Debent autem dum lectioni se tradunt, in pondere rationum paululùm conquiescere. Earum lectio pro exercitio orationis erit in operibus Fr. Ludovici Granatensis; & pro exercitio virtutum, P. Alphonsi Rodriguez, cujus mirabiles tractatus de perfectione Christiana satis collaudari non possunt. Curet Magister eas in strictissima obedientia conservare, & quod (tempore orationis, & lectionis excepto) solæ non sint, sed honestam quærant alicujus spiritualis personæ conversationem, dummodò sit ejusdem sexus, credentes quod in Domo Dei mansiones multæ sunt; nec solos contemplativos esse Sanctos, & perfectos.

76 Aliæ solent esse aridæ, inaffectuosæ, & paululum melancholicæ, sed nimis patientes, & taciturnæ. Istæ sunt prædictis omnibus aptiores, ut ex eis viri fortes formentur, qui quidem ad altissimum valeant perfectionis, & contemplationis acumen conscendere; regulariter quippe sunt animæ profundæ, solitariæ, abstractæ, sine ulla adhæsione, & aptiores contemplationi, quæ per internum, & à sensibus abstractum exercitium operantur; nam ex profunda earum occupatione eis provenit prædicta ariditas, quæ sola est in materialibus potentiis: tanto enim minus habent sensibilis delectationis, quanto magis spiritus ad interiora accedit; ideoque non solùm aptiores sunt occupationi purè spirituali, verum etiam mortificationi, & negationi, in quibus Magister potest sine obstaculo quidquid voluerit operari.

77 Sunt aliæ animæ impatientes, & inquietę quę velut Arundines vento agitatæ, ad quemlibet eventum flectuntur. Istæ ex natura sua ineptæ sunt contemplationi; quæ quidem per exercitium virtutum, & per pias considerationes debent ejusmodi indolem inquietam corrigere, pręcipuè per meditationes Vitæ, & passionis Domini; à quo in omnibus discant patientes esse, & in ipsis debent per totam vitam perseverare, nisi manifesto constet, eas Deus ad contemplationem vocare; quod raro, aut nunquam continget, licèt aliquando eis aliquam internam, & transeuntem recollectionem concedat. Cum eisdem debet Magister solicitè curare quod in exacta semper maneant obedientia, & præcipuè in propriæ voluntatis negatione, atque pro defectibus lenitatis, & mansuetudinis, de quibus debent exactissimam reddere rationem, rigidam pœnitentiam imponere, & sic cum eis procedat, interdum cum virga, interdum verò cum lenitate eas ad perfectionem ducendo.

78 Obiter monemus Directores, quòd exterioribus, & extraordinariis pænitentiis non sint nimis affecti, nec suos discipulos eis onerent, quia præter difficultatem executionis, qua vitam spiritualem faciunt onerosam, non modicum scandalum, & irrisionem causant, ipsisque pænitentibus damnum afferre possunt, ut olim vidi in quadam muliere, cui fuit injunctum ab ejus Directore botulos porcinos in collo gestare; quam cum pueri intuerentur, ita lapidibus, & luto eam obruere certarunt, quòd semimortua in ejus domum delata est. Plures suppetunt mortificatio-

nes

nes externæ, & internæ, quæ ab his periculis liberantur, & in abscondito exequi valent, quæ tanto meliores sunt, quanto sunt occultiores; maximè cum in potentiis interioribus vitiorum habitus subjectentur, ibique apponendum est remedium, ubi vulnus inordinatæ passionis existit; licèt propterea non damnemus, quinimo & laudamus, illas exeternas, & extraordinarias pœnitentias, & mortificationes, quas inclitus Ordo Societatis Jesu (non sine fructu) suis Novitiis injungit; quia cum usitatæ sint, non scandalum, & admirationem, sed ædificationem producunt: Cum cæteris verò; raro, aut nunquam agendum est.

79 Alias reperiet animas Magister adeo mortuas, quòd potius trunci quam animæ videantur; quarum quædam sunt ita insensibiles, quòd neque ad bonum, neque ad malum deflectuntur. Aliæ sunt quæ inter illam desidiam impatienter se habent, & plus ad malum quàm ad bonum inclinant. Nullæ earum aptæ sunt contemplationi, quæ si illam collerent, proculdubio in otium turpe, & illusiones incurrerent. Debet igitur Magister eas continuo exercere in meditatione Novissimorum; & si aliquem in eis profectum viderit, poterit eas in meditationibus Vitæ, & Passionis Christi, saltem matutino tempore, collocare: solicitè curet quòd semper in stricta obedientia, & mortificatione degant, reddentes rationem de particularibus actibus virtutum, easque severè tractet, quæ quidem plus cæteris virga, & calcaribus indigent.

80 Fœminæ regulariter propter earum suavem indolem, aptæ sunt sanctæ quieti; veruntamen cum eis magna cautio adhibenda est, & per longum tempus per exercitium virtutum, mortificationis, & meditationis probari debent; nec facilè credendæ, quamvis affirment se in otio, & simplici Dei notitia statim conquiescere, quia hæc quies sæpius provenit ex earum desidia, & affectuosa natura, & interdum ex molli, & fastidioso spiritu insapore, atque pigri naturalis otii desiderio, quo laborem oderunt, & fastidiunt, quia licèt habeant imaginationem vivacem, habent etiam desidiam, & pigritiam ex humida earum natura provenientem; unde per assiduas meditationes, per solicitum exercitium virtutum, & præsertim per propri judicii mortificationem longo tempore deducendæ sunt, ut postea per manifestam Dei vocationem, & probatam virtutem possint tuto ad exercitium contemplationis conscendere. Sunt nanque fœminæ debilissimæ, imaginativæ, fallaces, inconstantes, & proprio judicio & voluntati nimis adhærentes, & indigent in omnibus mortificari, & earum relationi nullatenus acquiescere.

81. Ex hac geniorum, & animorum descriptione, poterit Lagister ad alios (si fortè aliquantulum diversi sint) indicationem sumere; ex quibus, & aliis quæ in libris spiritualibus reperiet, & maximè ex experientia, quæ est optima rerum magistra, poterit necessariam notitiam capere; semper observans genios, & modos, quibus se illis Deus communicat; pariterque gradum orationis, & profectum, ut unusquibusque convenientiorem proficiendi viam coaptare valeat.

CAPUT IX.

Quomodo cognoscere poterit Magister gradum orationis, & Mysticæ perfectionis, ad quem animæ pervenire valebunt.

82 NEmini creaturarum concessum est, profundam Dei, & arcanam dispositionum suarum abyssum penetrare: Unde ajebat Apostolus: *Quis cognovit sensum Domini* (1. *ad Corint.* 2. 16.) Si enim elevata naturæ Angelicæ intelligentia ad ejus arcanitatis splendorem caligat; quanto magis humana ignoratiam ad crepuscula solùm obtenebrabitur, & confundetur? Figere igitur oculos in consummationem omnimodæ sanctitatis, ad quam Deus animas appulere decrevit, prorsus impossibile est; sed per conjecturas aliquid de hujus modi altissimis dispositionibus investigare, non omnino spiritualibus obtutibus denegatur, ideo ait Apostolus: (1. *ad Corint.* 2. 15 16.) *Spiritualis autem judicat omnia, & ipse à nemine judicatur: Quis enim cognovit sensum Domini qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus*. Sed licèt spiritu destituti videamur,

mur, pro eo quòd nos experientia docuit (salva tamen Ecclesiæ, & cujuslibet Doctoris censura) ea quæ nobis Divina clementia concesserit, pro hujusmodi materia investiganda, atque præbenda Directoribus instructione, breviter, & compendiatim afferemus.

83 Manifestum prorsus, atque indubitabile est, quòd Divina largitas creaturas suas ad æternam sui ipsius possessionem creavit; quæ quidem per altissimam Divinæ essentiæ cognitionem, atque per ardentissimum suæ bonitatis amorem habetur: ad quam respectivè, ut in hac præsenti vita haberi potest, omnes si se disponerent, indifferenter elevaret; quia (ut ait Apostolus) *non est personarum acceptio apud Deum* (*Ad Ephes*. 6. 9.) Hæc voluntas in Deo vocatur conditionata, & inefficax, & manet in intentione Divina; quam equidem significare videtur idem Apostolus 1. *Tim*. 2. 4 dicens: *Hoc enim acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Sed cum ad perfectam ejusmodi executionem necessaria sit cooperatio animæ, quæ plus, vel minus disponi potest, & aliquando provenit à naturali genio, & dispositione, aliquando ab inefficacia, negligentia, vel malitia; ideo Deus non omnibus æqualiter se communicat, sed tandummodo juxta earum dispositionem.

84 Proterea quædam animæ ad altissimum perfectionis gradum conscendunt: Aliæ in medio consistunt: Aliæ denique in infimo remanent. Cumque Deus secundum hanc dispositionem ab æterno in suo intuitivo decreto prævisam, eis conferat sanctitatem; secundum has dispositiones, quæ ex parte animarum adhibentur, loquimur in præsenti capite; & ex eis conjicere poterit Magister gradum perfectionis, ad quem regulariter conscendere poterunt; quod expressè colligitur ex Paulo dicente: *Qui parce seminat, parce & metet; & qui seminat de benedictionibus, de benedictionibus & metet Unusquisque prout destinavit in corde suo*. (2. *ad Corint*. 9. 6) Videatur D. Thomas. *In* 2. *ad Corint cap*. 9. Quod pulchrè comprehendit Hilarius *Canon* 27 *in Matth*. dicens, „ Divisio pecuniæ (idest gratiæ) inæ„ qualis est; sed non ad dividentem re„ ferenda est diversitas. Ait enim unum„ quemque, secundum virtutem suam „ accepisse; ergo in quantum quis ca„ pax esset, accepit, & extra moderan„ tis arbitrium est; quod erat in jure su„ mentis.

85 Manifestum est etiam, & indubitatum, quòd substantialis sanctitas non consistit in hac unione, & perfectione Mystica, internoque exercitio, de quibus loquimur; sed in omni justitia radicata in gratia sanctificante, quæ radix est omnium virtutum, tam Theologicarum, quàm Moralium; & Donorum Spiritus Sancti. Cumque in earum exercitio consistat gradus meritorum, & augmentorum gratiæ, & justitiæ; eam sanctitatem quam per hujusmodi exercitium acquiret anima solus Deus sua infinita sapientia potest cognoscere, & numerare. Nos verò hic per gradum santitatis intelligimus, juxta subjectam materiam, gradum unionis Mysticæ, & perfectionis unitivæ, ad quam Deus juxta earum dispositionem animas adducet; atque in hoc sensu quod ipse nobis misericorditer elargiri dignabitur, breviori quo possimus, sermone explanare nitemur.

86 Igitur ad hujusmodi conjecturam deveniendo, observabit Magister, si dum anima viam orationis ingreditur (supposito semper quod diligens, & fervida sit, suique profectus valdè cupida) in affectibus, quos ex meditationibus elicit plus inclinatur ad activum exercitium virtutum, ordinatum ad proximorum salutem; puta prædicandi, vel ministrandi infirmis, vel peregrinandi, & aliorum similium; & quamvis interdum intimis affectibus ad interiora deferri vocetur, illico exit per sensibilem fervorem ad exteriora opera activa. Quod regulariter intendit Deus in hac anima est, quòd in sanctitate, & perfectione activa perseveret, & externa misericordiæ opera exercere satagat: Et licèt aliquando possit otio contemplationis perfrui, tamen communiter per externa vitæ activæ exercitia ducetur; ad cujus profectum, & meritum, ad solam passivam sensus purgationem devenire poterit, assiduè meditando, & discurrendo, quin

quin in Myſtica quiete diu perdurare valeat. Quamobrem Magiſter debet obſequi hujus animæ vocationem, proportionatas ei accommodans meditationes; caveatque abſque evidentibus ſignis, & manifeſta vocatione, eam in contemplationis exercitio collocare. Gradum ergo activæ perfectionis hujus animæ conjectari valebit ex modo operandi, recipiendique Divinas excitationes: Quod, ut clarius pateſiat, placet nobis practicè declarare.

87 Obſervet ergo ſi adhibita omni ſolicitudine anima in fervore miniſterii exterioris ad quod vocata eſt, paulum tepeſcit; vel ſi vocatio illa, aut internus calor perſeveraret; vel ſi cum ſpiritus repugnantia, aut inſapore accipit lucem, & affectum, quem Deus illi communicat: Et ſemel, iterumque a Magiſtro excitata, vel à Deo mota, ſemper illa tepidè ſe gerat, quia hæc profectò exiguam adipiſcetur perfectionem, & ad nullam ex purgationibus paſſivis deveniet; & forſan ab arrepto propoſito declinabit. Curet Director eam conſervare in ſancto timore, in labore, & aſſidua Noviſſimorum meditatione, & interdum Vitæ, & Paſſionis Domini: Sacramenta moderatè frè u:ntet, libros ſanctos legat, bonis adhæreat viris (ſi vir ſit) & malos fugiat, quia magna eget ſolicitudine, & curet, ut in gratia, & exercitio virtutum valeat conſervari.

88 Quod ſi anima in meditationibus ſaporem, & devotionem capiat; & quamvis Deus ei det aliquam recollectionem, & interdum contemplationem paſſivam; ſi ex eis ſponte exeat ad exteriora miniſteria, in quibus fructum colligit & fervorem; & licèt à Deo intimè recolatur, non diu in illa recollectione durat, quia magis in exterioribus operibus delectatur; eſt evidens ſignum, non ad contemplationem, nec purè ſpirituale vocari exercitium, ſed ad ſenſibile per meditationes, & pias conſiderationes, cujus perfectio in exteriori operum miſericordiæ exercitio quærenda eſt.

89 Si autem adeo ſolicitè ſe gerat in exercitio virtutum, atque ita aſſiduè, & devotè orationem colat, quòd in eis juxta ſuum ſtatum multùm proficiat, multoties à Deo ad infuſam recollectionem vocabitur, & fortè contingere poterit, eam pati aliquas viſiones externas, & imaginarias, ſubindeque aliqua materialia deliquia; veruntamen ex ſtatu, raro, aut nunquam contemplationem recipiet, nec purum ſpiritum (prætermiſſis omnibus ſenſibilibus) reperiet. Prædictas animas Magiſter benè inſtruat in meditationibus, ducens eas, non per compoſitionem loci, & formarum materialium, ſed per pondus rationis, & diſcurſus, quia ſunt nimis imaginativæ, & figurarum formatio earum capiti multum nocebit; maximè ſi viſiones, & materialia deliquia patiantur. Cum eiſdem præcautè ſe gerat, nam multis fallaciis expoſitæ ſunt, quæ regulariter purgationem ſpiritus non attingunt, ſed laboribus, & doloribus exercitatæ, in meritorum cumulo, per exercitia virtutum curſum ſuum conſumant.

90 Porrò animæ, quæ recollectionem ſuam ad activa miniſteria convertunt, ad quæ tendit interna vocatio, & aliquando internis tactibus, & recollectionibus perfruuntur; ſi dum foris exeunt aliquam præſentiant ſpiritus repugnantiam; non quia exteriora exercere recuſent, ſed quia dum exteriora exercent, ad interiorem recollectionem trahuntur, & præterea meditationem faſtidiunt; iſtæ proculdubio vocantur ad exercitium mixtum ex actione, & contemplatione; & ſecundum majorem influentiam, vel majorem earum inclinationem, debent plus, minuſve ad unum, vel alterum miniſterium applicari; nam ſi pluris otium quàm occupationem diligant, plus temporis contemplationi quàm actioni tribuant, & è converſo. In his regulariter (quantuncunque fervoroſæ ſint) tantum fiet purgatio paſſiva ſenſus, & aliqua purgationis ſpiritus inchoatio, quam penitùs non veniunt conſumare.

91 Illi etiam qui dotibus prædicationis, & converſionis animarum præditi ſunt, regulariter vocantur ad exercitium mixtum ex contemplatione, & actione: Quorum ut perfecta ſit vocatio, debent interiùs deſiderium intimæ recollectionis, & ſolitudinis ſentire, quod eos ſemper in fervore, & devotione conſervet, ut ſuis ignitis verbis valeant alios incendere, & ſemetipſos ab exterioribus periculis liberare, ne

fortè cum aliis prædicaverint, in creaturas effusi, ipsi reprobi efficiantur. 1. *ad Corint.* 9. 27. Ex his passim videmus nonnullos contemplationi valdè deditos, alios actioni, & meditationi assiduæ: Quibus cum juxta antecedentem doctrinam se gerat Magister, & de eis dicimus, quod de præteritis dictum est.

CAPUT X.

Prosequitur antecedentis capitis thema.

92 CUm conspexerit Magister, quòd anima in exercitio vitæ spiritualis meditatione multum congaudet; sed in ejus affectibus demoratur, & ad illam voluntatis quietem maximè inclinatur; nec adhuc exterius vocata exire appetit, sed suavem recollectionis somnum amat, ad quem facilè revocatur: Hæc absque dubio disponitur ad contemplationem, & in dies crescet vocatio; quæ clarè patebit ex eo quòd parum in meditatione consistet, sed illico ad terminum meditationis transibit, ubi pacificè conquiescet, ibique à Deo interdum intimas recollectiones gustabit, quia nimirum ab exordio Dominus ei ostendit viam, per quam eam ambulare disponit, ut paululum gustato spiritu, caro desipiat, & anima ad completam illam dulcedinem capessendam validius erigatur. Hæc anima omnino regenda est tanquam ad contemplationem vocata, juxta dicenda in hoc volumine. Sed animadvertere debet Magister, quòd in his animabus licèt ab exordio perfectionis possit cognoscere viam per quam diriguntur; gradum tamen orationis quem attingent non statim, sed in transitu meditationis ad contemplationem cognoscere valebit; quia si Divinis influxibus cooperantur, fervideque in omnibus se gerant, ad completam hujus vitæ perfectionem, si vixerint, conscendent: Si autem tepidè se gesserint, vel in mortificatione deficiant, vel influxum Divinum sequi nolint, aut nesciant, vel earum Director nesciat ea dirigere; propter hujusmodi impedimenta ad passivam contemplationem, raro, aut nunquam pervenient; sed in purgatione sensus (quæ in eis statim incipit) & in activa contemplatione cursum consummabunt.

83 Hunc plane statum vocare solemus animarum stagnum, siquidem ferè omnes ob prædictas causas, in eo quasi in cœno, aut limo adhærent, & unionem passivam ad quam vocatæ sunt, non consequuntur, ibique variis cum eventibus vitam terminant. Sed animadvertendum est, quòd si tepidè se gesserint prædictæ, vel ab arrepta via deflexerint, debet Magister eas ad antecedentium viarum exercitia revocare; quia præterquamquod meditatio nunquam in totum relinquenda est, istæ per suam negligentiam, ex statu perfectorum ad inferiores status redierunt; unde illorum exercitia illis adaptanda sunt; quæ licèt affirment meditari non posse, non sunt credendæ; nam (ut sæpiùs experti sumus) hæc meditandi difficultas ex earum tepiditate, & usitata desidia oritur, & per violentiam, & exercitium superatur.

94 Animæ, quæ inordinatis, & inutilibus peregrinationibus, aliisque exterioribus devotionibus valde deditæ sunt, & statim in fletus, elulatus, gesticulationes, & alia similia erumpunt (quæ regulariter mulieres sunt, vel spiritum muliebrem habentes) possunt esse dupliciter; unæ quæ ad statum passivum transire possunt, & aliæ non ita. Quas ut valeat cognoscere Magister debet observare si ejusmodi exterioritates per exercitium virtutum, & orationis, & per suam prudentem directionem, sensim moderantur, atque in debitum, & pium usum reducuntur: & si anima in sui fundo spiritus aliquam sentit simplicem recollectionem, in qua (extincta illa immoderata sensibilitate) appetit conquiescere; hæc proculdubio (licèt non absque difficultate, & cura Magistri) ad statum passivæ unionis transire poterit. Quamobrem debet Director sensibiles illas, & immoderatas devotiones assidua sollicitudine ordinare, ne potiùs eis quàm simplici recollectioni se tradat.

95 Si verò ita sensibilibus, & immoderatis affectibus deditæ sint, quòd vel interna quies illi displiceat, vel parum, aut nihil in ea valeant perseverare; istæ raro, aut nunquam ad statum purè supernaturalem, neque ad purgationem passivam spiritus pervenient, sed in purgatione sensus ut plurimum consistent, & ad summum vi-

sion(s)

siones, & materialia deliquia experiri valebunt. Cum eisdem præcautè se gerat Magister, easque ab hujusmodi rebus supernaturalibus omnino arcere procuret, quamvis in mediocri perfectionis statu remaneant: Præterquamquod per talium rerum negationem, melius ad altiorem statum transibunt. Valdè quippè obnoxiæ sunt erroribus, & fallaciis, quia dum materialibus & sensibilibus gaudent, Dæmonem ad ingerendos errores invitant, ut sæpè visum est, maximè in fœminis; & raró, aut nunquam purgationem spiritus ingrediuntur.

96 Sunt & aliæ animæ, quæ dum ex meditatione conclusionem eliciunt, statim in Deum quasi in meditationis finem demorantur, eumque mordicus tenent, nec dimittunt, sed in eo nullum sensilem experiuntur saporem, & aridè, solitariè, & quietè, in ejus essentia requiescunt; in externa tamen operatione sunt valdè solicitæ, mortificatæ, & obedientes. Istæ sunt ad contemplationem meliores cæteris, & ad altissimum unionis gradum conscendent: quas equidem inveniet Magister ita à Deo instructas, quòd in illa sensibilium carentia, & materialis delectationis abdicatione, totum suum negotium consistere cognoscant, quare in omnibus purè, & sicciter Deum quærunt, & sensilem delectationem relinquunt; & si aliquando in eis incipiant, & continuentur quædam intimæ & delicatæ recollectiones, ex quibus mirum in modum crescunt in exercitio virtutum, & intima ad Deum conversione, atque spiritus nuditate; istæ procul dubio ad statum spiritualis matrimonii (si bono regimine ducantur) fœlicissimè pervenient.

97 Si autem ejusmodi recollectionibus careant, & nihilominus validè (licèt aridè) omnem sensilem delectationem rejiciant, virtutes colant, atque in silentio, & spe faciem Domini quærant semper: Istæ sine dubio longè meliores sunt antecedentibus, & citius ad statum matrimonil pervenient, quem Deus eis per probationem ariditatis, & desolationis præparat. Et si fortè (ut aliquando vidimus) nunquam eis consolationis dies elucescat, nec unquam lectulum matrimonii deliciis affluentem conscendant, in substantiali tamen sanctitate, & justitia, cæteris omnibus antecellent. Habet enim Deus viros fortes, & probatos in hac ariditatis, paupertatis, & desolationis probatione, qui strenuo pectore illum obsequuntur; si oculis hominum absconditi, oculis Divinis placidissimi; quorum fidelissimis obsequiis, post obitum, & in patria superexcedentem retributionem præparat.

98 Aliæ sunt animæ ita rudes, rudique intellectu, quòd parum, aut nihil sciunt meditari, sed sunt in operatione virtutum valdè solicitæ. Ex iis (cum Deus vocat) quædam exercitium pietatis, & hospitalitatis arripiunt, & in quodam sensibili Dei, & proximi amore perseverant, quæ assiduis laboribus (consolationibus permixtis) à Deo exercentur, & substantialem sanctitatem (si legitimè certaverint) assequentur.

99 Quædam verò inter illa pietatis exercitia, licèt alta Divinitatis per rationes, & discursus nequeant conscendere, veruntatem per simplicem fidem ductæ, recollectionem puram, & pacificam amant, & inveniunt; ex qua ad eadem ministeria, & exercitium omnium virtutum, fervorem, & devotionem extrahunt: Has solet Deus ad altissimam unionem, & perfectionem elevare.

100 Quædam denique sunt, quæ inter illam rusticitatem, & ineptitudinem, solent à Deo per supernaturales favores ita disponi, quòd non solùm profundissima Mysteria penetrent verum etiam verbis facilibus, & rusticis humanam mundi sapientiam confundant. ut olim visum est in S. Paschasio Bailon, Joanne Dei, & aliis, qui ad altissimum unionis, & sanctitatis gradum conscendentes, Canonico ritu Sanctorum Cathalogo adscripti sunt.

CAPUT XI.

Aliqua animadvertuntur ad rectam intelligentiam duorum capitum antecedentium.

101 Quia prælibata signa, & indicationes, si generaliter, & prout sonant, accipiantur, possunt in praxi non bene Magistrum instruere, ad eorum perfectam intelligentiam aliqua prænotare operæ pretium duximus: Et pri-

primò quamvis aſpiciat Director quod animæ multum placet meditatio, & ſenſibilis devotio, non ſtatim eam judicet ab ſtatu contemplationis alienam; ab exordio enim vitæ ſpiritualis ferè omnibus placet meditatio, ex qua oritur ſenſibilis, & materialis devotio; quia cum modus naturalis cognoſcendi ſit per ſenſus, imaginationem, & phantaſmata, quæ materialia ſunt, affectus qui regulariter ſequuntur, materiales, & ſenſibiles eſſe debent. Cum autem (ut ſæpius diximus, & dicemus) ſe habeat Deus ad modum operantis, & recipientis, ut carnalium delectationem relinquat, ſaporem ei, & ſenſibilem delectationem in ſpiritualibus conſtituit: alioquin carnali, & ſpirituali delectatione deficiente, ab arrepto propoſito deſiſteret.

102 Sed in rerum ſenſibilium uſu, jam ab exordio ejus vocatio emergere incipit; ſiquidem illa quæ ad contemplationem vocatur, non tam in rationibus, & diſcurſibus, quàm in eorum termino demoratur, in quo amat conquieſcere, & ægrè fert relinquere, & ibi amabilia otia, & pacificas aliquando ſuſpenſiones deguſtat. Illa verò quæ ad contemplationem non ducitur, licèt aliquantulum in affectibus demoretur, ad internum ſilentium non trahitur, ſed per ſenſibilem fervorem foris convertitur.

103 Aliud pro Directoribus ſignum eſſe poteſt, lumen, vel intelligentiam, aut inſpiratio, quæ in orationem animæ communicantur. Prima nanque illicò ac à Deo excitatur, & inardeſcere incipit affectus, in ſui fundo colligitur, ubi quaſi exinanitur, & deperditur: Secunda verò in externos actus, & ſenſibilia deſideria proſilit. Neceſſarium eſt ergo Directori, non ſolùm genius, verumetiam vocationem, & operationem, ſimulque luminis receptionem in qualibet animarum obſervare, ne Deo obſtaculum fiat, ſed adminiculum, & ſingulis poſſit convenientiores illis vias coaptare. Quodſi hæc ſolicitè, & fideliter fecerit, Deus breviſſimo tempore declaratur clariuſque poterit Magiſter in earum regimine procedere.

104 Secundo, licèt aſpiciat quòd anima magis gaudet quiete pacifica, quàm meditatione, & diſcurſibus, non ſtatim judicet ad contemplationem eſſe vocatam, quia hoc ſæpè oritur ex deſidia, remiſſione, & naturali complexione, qua multi laborem oderunt, & otium amant. Alii ad diſcurrendum ſunt deſides, & ad quieſcendum proclives; ſed neceſſe eſt quòd anima ſit fervida, diligens, & laborioſa, & non faſtidiat meditationem, licèt magis gaudeat quiete, & pacifica mora in termino meditato; ad quam ejus ſpiritus aſſiduè allicitur, & interius vocatur, quia Deus eſt conſtans, & immutabilis; nec opus incipit ut non perficiat. Veruntamen quia ejus tyrocinii cauſa non percipit apertè Divinam vocationem, ſentiet tamen interdum intimas recollectiones, & quaſi funiculum quemdam retrahentem ſpiritum ad interiora, tuncque foras reſilire faſtidit: Inſuper etiam recollectionem amat, temporalia deſpicit, fervorem auget, & ſolicitè virtutes exercet, quæ omnia concurrere debent ut rectum judicium fiat: hi enim ſunt ſupernaturalis vocationis effectus.

105 Tertiò, maximopere attendat ad modum procedendi in vita ſpirituali, & tranſgrediendi gradus perfectionis; quia licèt anima habeat omnia adminicula, & dotes ad contemplationem neceſſarias; ſi ex ejus parte abſit fervor in mortificatione, ad exercitio virtutum, vel vocationem rejicit, vel tranquillo in corde non recipit, & ex parte Directoris adſit negligentia, aut inſcitia, vel eam maturius, vel tardius in exercitio ſanctæ quietis collocet; remanebit utique anima in alio diverſiſſimo ſtatu ab eo, quem ſi fei vidè procederet, vel optimè duceretur, comparare potuiſſet. Quare in animarum directione, cum magna cura, & vigilantia procedendum eſt.

106 Denique adeo vaſtiſſima eſt via ſpiritus, & ita abſimiles ejus eventus; tam diverſus modus infuſionis Divini luminis; & tam variæ ejus receptionis aptitudines, quodſi pro omnibus daretur indicatio, nunquam finem rei apponeremus; nullus quippe, licèt expertiſſimus, minimam eorum partem explanare ſufficiet; Sed nihilominus juxta regulas prælibatas, & alia quæ Directorem experientia docebit, animarum genios, ſtatus, vocationem, & Myſticum vocationis gradum

ad

ad quem communiter ascendere unaquæque poterit, conjectari valebit; ut minus solito in tam obscurissima materia errare possit.

CAPUT XII.

De his quæ magister agere debet statim ac anima ejus directioni se exponit.

107 PRælibata jam cognitione geniorum, statuum, & vocationum animarum; ea quæ operari debet practicè cum anima ejus directioni exposita, æquum est pertractare; & merito quidem, ut ait Gregorius: *Ars artium est regimen animarum* quia semitæ illarum difficiles sunt, diversi genii, variæ operationes, absimiles motus, humores varii, eventus rari, adversarii sævissimi, viæ earum tenebrosæ, scopulis, & anfractibus plenæ, periculis consitæ, quarum exitus à Mundo, Dœmonio, & Carne interceptatus; & in his omnibus Magister spiritualis debebit animas providere, & auxiliari; easque devictis omnibus, ad optatum perfectionis exitum immunes, victoresque perducere; quæ omnia valde difficilia sunt.

108 Non damnamus Magistros, qui plurium animarum directionem suscipiunt; sed si fieri posset, cuilibet animæ deberet Magister unus respondere, siquidem Altissimus singulis singulos Angelos designavit custodes, ut quilibet sua ducat, inspiret, & gubernet, quandoquidem unus solus Angelus, quasi omnibus sapientior hominibus, pro cunctarum animarum directione sufficeret. Sed quia numerus Angelorum inferioris ordinis excedit creaturarum rationalium numerum; & Magistrorum numerus sit adeo exiguus, quòd mille animabus adhuc unus non respondeat Director: *Quia messis quidem multa, operarii autem pauci*. (*Lucæ* 10. 2) Ideo singulis animabus, singuli Angeli designantur, & unus Magister pro multis designari debet Director.

109 Sed nihilominus tamen non possumus eos non suadere, quod solùm eas animas sibi regendas assumant, quas possint commode, & sollicite gubernare; siquidem per superius dicta, infra à nobis dicenda sufficienter dignoscere poterunt directionis difficultatem, & pericula, quibus se ipsos, & animas exponunt, si negligenter, vel inepte ministerium exerceant quod debent speciali oratione pro qualibet animarum consovere; quia si corporalis Medicus (ut communiter tenent Doctores) pro quolibet ægroto periculosa ægritudine laborante, tenetur aliquod tempus impendere, in studio, & consideratione infirmitatis illius; quanto magis spiritualis Medicus pro qualibet anima tot capitalibus periculis circundata, debet in oratione, studio, & consideratione multum temporis occupare? Maxime cum Deus negligentibus Directoribus per Hieremiam comminetur dicens: *Vos dispersistis gregem meum, & ejecistis eos, & non visitastis eos: ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus*. (*Hier.* 23 2.) Legat obsecro Magister integrum caput Ezechielis 34. ibique videre poterit, quàm horribili, quamquæ formidabili se exponat judicio, & circa animas sibi commissas negligenter se habeat.

110 Consuademus insuper Magistros, quòd non sponte, & voluntarie quibuslibet animabus dirigendis se offerant; sed eas tantummodo admittant, quas ad eas mittat Altissimus; formidandum prorsus est, & non procurandum hujusmodi ministerium; pro quo audire oportet Chrysostomum (*In Ep. ad Hebræos*) dicentem: O „ quantum instat infœlicibus illis, & mise- „ ris, qui semetipsos ad alios regendos præ- „ cipitant, & se in tantorum suppliciorum „ jactant abyssum: Onerosum quippe pro „ omnibus sibi subditis redditurus est ra- „ tionem; & tanto igni tuum subjicis ca- „ put? Hæc, & alia horribilia, non absque animarum dispendio plurimi audent deglutire, qui forsan præsumptione, & superbia ducti, suæ propriæ voluntatis fulcrum, in aliorum destructione, potius quàm ædificatione jaciunt. Unde totum ædificium ruere necessarium est. Itaque ille erit melior Director, qui ad ministerium accedit coactus: Sicut ille erit pejor, qui sponte ad illud se offert. Debet igitur Magister ad primam animæ requisitionem se excusare, & alia facere quæ superius diximus. (*Sup. c* 12.)

111 Cum

111 Cum igitur rite, & rectè ministerium animæ assumpserit, debet eam primo monere, quod in omnibus, & per omnia ei debet obedire, ejusque consilio, & directioni acquiescere, ita ut jam amplius in ea non sit velle, vel nolle, præter id quod illi visum sit. Quodsi recusaverit ita obedire, ad suam directionem non admittat, ne cum illa oleum, & operam perdat. Sed animadvertere oportet, quòd sunt nonnulli ita exigui spiritus, & pusillanimes, quòd in aliquibus minutissimis non audent obedire; scilicet, in aliqua imperfecta adhæsione; puta, vestium elegantium, vel indifferentis alicujus conversationis, vel venationis, &c. quæ à se penitus renunciare formidant, cum eisdem debet Magister humaniter procedere: Quodsi hujusmodi delectationes inhonestæ non sint; non ab illis statim auferat, quinimo & cum eis in exercitium illos ire permittat; Deus enim in oratione ad prædicta superanda animum illorum eriget; & tunc paulatim cum omni sagacitate, & humanitate, jam unam adhæsionem, & jam alteram sapienter eradicare procuret. Quodsi nimis duri sint, & tenaces, nec sæpius moniti resipiscere voluerint; tunc illos a se ejiciat, & in illorum directione non perdat tempus; arbores enim infructuosæ sunt.

112 Alii sunt etiam qui licèt omnino directioni Magistri non subjiciuntur; sed propter piam in illum affectionem conservantur per ejus directionem absque lethalibus culpis; quod equidem non fieret, si cum alio Directore tractarent. Cum his potest, & debet Magister humaniter se gerere, nec illos ad alium mittere Directorem; sed meliori qua possit industria sustinere, & ad mortificationem suaviter allicere, quia hìc nullum tempus deperditur. Caveat tamen ne aliqua in illos passione, vel adhæsione ductus, falsò puret nullum alium directorum in bona conversatione illos servaturum, & maxime si fœminæ sint; circa quas potest per secretam, & fucatam libidinem falsum hoc judicium habere.

CAPUT XIII.

Prosequitur materia antecedentis capitis.

113 IN primis perpendere debet Magister vires animæ, genium, occupationem, & statum; ut lac teneris, & sol dum cibum perfectis possit ministrare, ut superius diximus. Præterea mortificationes, & pœnitentias taxet juxta vires, & statum personarum; & conjugatos non ita oneret pœnitentiis, & ciliciis, quòd nequeant solvere obligationem debitam matrimonio; nec multo minus quòd in suis domibus silentium servent, vel cum suis consortibus minus affabiles se exhibeant; hoc enim esset plurimarum inquietudinum, & malorum fomes: Quamobrem plus illos interius quàm exterius mortificet; suadeatque quòd familiam suam sanctè, & solicite instruant, & gubernent; & si commode fieri potest, aliquod tempus in oratione mentali, & devota recitatione Rosarii B Mariæ, præsente omni familia, impendant; fastum immoderatum fugiant, frugalitatem sectentur, debita solvant, eleemosynam juxta facultates suas faciant, Sacramenta frequentent, & domesticos suos frequentare solicitent; & denique omnibus se exhibeant exemplar bonorum operum.

114 Equites, & Magnates non cogat, ut vilia, & suis non convenientia statibus, exerceant; sed eorum occupationem, respective statui accomodare, & ordinare satagat, ita ut in eis christiane, & perfecte se habere possint. Ecclesiasticos similiter secundum illorum statum, & occupationem dirigat, ut perfecte altissimo suo muneri satisfaciant. Regulares etiam secundum regulam eorum, & ad ejus perfectam adimpletionem ducat, ut cum Apostolo dicere possit: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* (*1. ad Corint.* 9. 22.) Propterea necessarium est, quòd Magister in se induat statum singulorum, ut prudenter respective possit omnes in suo statu perficere; cui quidem respondere debent labores, mortificationes, & pœnitentiæ, quas illis injungat: Ideo Dominus non omnes voluit Crucem

cem Dominicam portare; sed quod unusquisque Crucem propriam portet, qua onustus eum sequatur: *Tollat Crucem suam, & sequatur me* (*Matth.* 16. 24) Ad quod Hugo Cardinalis (*In Matth.* 16.) *Non dixit alienam, sed suam quisque portet*: quia non debet sæcularis Crucem Religiosi portare; nec Ecclesiasticus Crucem sæcularis; quilibet habet Crucem propriam, quam perfectè portare tenetur, juxta quam debet singulos Magister dirigere, ut respectivè per viam justitiæ, & sanctitatis, per quam Christus incessit, illum omnes sequantur.

115 Regularibus non ita exercitia disponat, quod vel in substantia, vel in modo, eorum regulis, vel communitatis actibus officiant; sed quòd in sua professione perfecti sint, affabiles, modesti, humiles observantissimi, & irreprehensibiles; & si quid illis injungat rigoris, non palam fiat, sed in occulto; quia in communitatibus longe perniciosum est vitium singularitatis, quod Divino Spiritui repugnat, debiles terret, invidos exardescit, omnibusque se exhibet offendiculum.

116 Propterea ministeria regularia nunquam illis in diversa commutet, videlicet, ne illi qui ex suo instituto ministerium debet exercere Marthæ, injungat quod ministerium exerceat Mariæ, sed quòd sit perfectus in ministrando; & in quantum possibile sit, ex ipsa operatione animum elevet ad cœlestia; & ita orationem colat, quòd potiorem locum ministerio tribuat.

117 Religiosi etiam Monachalibus, & contemplativis, non ita suadeat activè ministrare, quòd eos à silentio, & solitudine arceat; hoc quippe præcipuum eorum munus est; sed quòd servata solitudine in quantum eis libuerit, verbis, & factis proximos ædificare studeant; & sic similiter in omnibus statibus respectivè. Omnes tamen hortare debet; quòd interiores sint, & exterioritates fugiant, atque cum modesta hilaritate incedant; & juxta monitum Christi, non faciem suam exterminent, sed potius lavent, ne appareant hominibus jejunantes. (*Matth.* 6. 16.)

118 Cum necessarium sit aliquem mortificare, fiat suaviter, & benigne; melius enim ducitur homo per amorem, quàm per rigorem; & cum iste necessarius sit, tamen modus sit suavis, & humanus, quia contrarium increpat Deus per Ezechielem (*c.* 34. 4) dicens: *Cum austeritate imperabatis eis & cum potentia; quod infirmum fuit non consolidastis; & quod ægrotum, non sanastis; quod confractum est, non alligastis; & quod abjectum est, non reduxistis*. Hæc, & alia sunt damna asperæ correctionis.

119 Sed aliquando necessaria erit; videlicet, cum animabus nimis tepidis, & rebellibus, cum quibus acriter se gessit Divinus Præceptor, vocans eorum generationem *pravam, & adulteram*. (*Matth.* 16. 4.) Et Levita Stephanus asperis verbis Hebræos rebelles increpavit dicens: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis*. (*Actor.* 7. 51.) Unde occasione servata uti debet, vel severitate, vel lenitate; Quamobrem præcipiente Domino Zachariæ Prophetæ, quòd fieret Pastor animarum, statim ministerio suscepto, inquit: *Et assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi decorem, & alteram appellavi funiculum, & pavi gregem* (*Zachariæ* 11. 7)

120 Solicita semper cura animas regat, ita ut nunquam illæ suspicari valeant, quòd illarum directionem parvipendat, quia viribus franguntur, Magistrum oderunt, & de sua perfectione parum curant. Secus autem, si eum solicitum de illarum salute conspiciunt; nam ut ejus curam, & solicitudinem non perdant, toto nixu negotium perfectionis arripiunt. Nunquam igitur eum defessum, aut fastidientem, sed solicitum, humanum, compatientem, & de minutissimis curantem intuentur, ut illæ etiam solicitius se gerant.

121 Oportet etiam quòd eum non videant suæ commoditati nimis servientem, ita quod pro illa tuenda; & conservanda, illarum necessitatem, & consolationem negligat; nam præter malum exemplum quod illis tribuit, querimoniis, & murmurationibus fomitem ministrat; ex quibus perniciosa taciturnitas cum Directore, & duplicitas animi generatur.

122 Necessarissimum præcipue est Directori, nullum munusculum, vel do-

E num

cum ab his, quos gubernat quovis prætextu recipere, juxta illud Deuteronomii. *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba Justorum.* (*Deut.* 16. 19.) Gignitur enim avaritia, & cupiditas, quæ omnium malorum radix est, dum spirituale ministerium in lucrum temporale convertitur: Insuper libertatem amittit corrigendi, & loquendi veritatem cum „ proximo suo: Acceptis quidem mune- „ ribus (ait Petrus Damianus *Lib.* 2. „ *in Epist ad S.R. E. Card.*) si contra da- „ torem quid agere volumus, mox in „ ore nostro verba mollescunt; locutio- „ nis acumen obtunditur, lingua quadam „ pudoris erubescentia præpeditur: Mens „ quippe percepti muneris conscia, de- „ bilitat judicialis censuræ vigorem, re- „ primit eloquentiæ libertatem; nam et- „ si judicandi rectitudo funditus non adi- „ mitur, judicandi tamen auctoritas e- „ nervatur.

123 Et quamvis Director non lucri capiendi gratia, sed sui muneris adimplendi desiderio libere (muneribus non obstantibus) corrigat, & loquatur, laboris tamen mercedem amittet, & durissimum Dei judicium non evadet; „ Quia „ quamvis munificis suis (verba sunt „ ejusdem Damiani: *ubi supra.*) auxi- „ lium quod postulatur, impendat, rea- „ tus tamen maculas non evadet, quia „ dum beneficii sui talionem recipiunt, „ fructum æternæ mercedis amittunt, de „ quibus Dominus dicit: *Heu! consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Isajæ* 1. 24.

124 Gignit & insuper hæc directionis avaritia superbiam in discipulis, audaciam, & contemptum; putant enim Directorem non charitate ductum, sed lucro affectum hujusmodi ministerium assumpsisse, quamobrem adstrictum esse eos tolerare, atque veluti emptitium deservire. Consuademus igitur quòd nihil ab illis accipiat, etiam pro faciendis eleemosynis, ne aliquam cupiditatis suspicionem incurrat: Sed si ab illis rogatus fuerit, quòd in pauperes aliqua munera distribuat, nullatenus assentiat; roget tamen quòd per illorum manus pauperibus erogentur.

125 Loquatur ergo semper, & ubique veritatem, sequendo monitum Apostoli, dicentis: *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo,* (*Ad Ephes* 4. 25.) quia dum in humanibus negotiis adeo veritas necessaria est, quòd illa deficiente omnino confunditur negotiatio; multò magis in spiritualibus debet collucere, ubi nulla alia suppetit via nisi veritatis: Omni igitur attentione postposita, arguat, increpet, in omni patientia, & doctrina, atque rebellium animorum perditionem annuntiet; prudenter tamen, & charitativè, ne sibi alieni delicti, & perditionis reatum assumat, fiatque Divinæ indignationis reus; ait quippe per Ezechielem: 3. 19 *Si autem tu animadvertis impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & à via sua impia; ipse enim in iniquitate sua morietur; tu autem animam tuam liberasti.*

126 Denique omnibus suæ directioni subditis, strictè præcipiat, quòd passionum suarum, & exercitiorum exactam singulis hebdomadibus rationem reddant; ad quod injungere debet particulare examen singulis diebus vespertino agendum tempore, ut ita cognoscere valeat utrum in perfectione proficiant, vel deficiant, ut illis providere possit convenienter; & & attente observet ad quod vitium magis inclinantur, ut adversus eum exteriores earum actus, & affectus interiores dirigat, & animæ sint in hoc fideles, & veraces: Et si fortè in propalandis defectibus, propter aliquam adhæsionem quam nolunt relinquere, contumaces sint, eas charitative moneat, & corrigat. Si verò sæpius monitæ resipiscere noluerint; illas à se penitus ejiciat, quia id nolunt quod volendo consequitur. De modo autem eas regendi, in toto hoc volumine sermo fiet, & practicè ostendetur in manuductione practica, quæ in hujus operis calce collocabitur.

TRA-

TRACTATUS SECUNDUS.

De anima rationali, ejuſque viribus, & potentiis.

PLauſibilis admodum Græci idiomatis proprietas extitit, hominem vocans MICROCOSMON; idſtet, *Mundum parvum*: Sed melius revera eum definiret, ſi Mundum magnum prorſus nominaret; quandoquidem omnia, quæ in Mundo viſibili ſunt, excellentius in homine reperiuntur. Homo inſuper habet animam, qua caret Mundus: Homo ſenſitivus eſt & rationalis: Mundus nec ſenſu, nec ratione ducitur. Denique homo Divinæ eſt capax cognitionis, & amoris; quod nullo modo habet Mundus. Mirabilis propemodum eſt in homine corporeæ, & materialis ejus partis diſpoſitio organica; nobiles qualitates, & elevatæ operationes, quas nec Mundus habet, nec habere poteſt. Multa, & magna circa ſublimem ejus nobilitatem poteramus adducere; quæ veluti à noſtro propoſito aliena prætermittimus; cum ſolùm de ſpirituali ejus parte quæ ab individuis inſenſibilibus, vegetativis, & purè ſenſibilibus hominem diſtinguit, intendimus pertractare. Hæc eſt illa perfectiſſima Divinæ naturæ imago, ut in Geneſi 1. 26. habetur: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Quæ cum ſit una in eſſentia, & trina in potentiis, in ipſa procuſdubio Trinitatis Myſterium proportionabiliter exponitur. Hæc eſt Regnum illud Cœlorum, quod Divina veritate atteſtante, *intra nos eſt*. (*Lucæ* 17. 11.) Ubi Deus cum amicis ſuis gaudet, quia deliciæ ejus ſunt, eſſe cum filiis hominum (*Prover.* 8. 31.) Hæc eſt illa pretioſa Margarita, pro qua Divinus negotiator *vendidit omnia quæ habuit*; hoc eſt, ſemetipſum exinanivit, *& emit eam*; ſcilicet, pretio ſanguinis ſui. (*Matt.* 13. 46.) Hæc denique (juxta Brunonem Carthuſianum *Ser.* 6. *de Confeſſ.*) eſt illud talentum ſervo Domini, ideſt, ſpirituali Directori commiſſum, ut geminato lucro, ſuo tempore reſtituat Domino, ne inutilis illius ſervi ſupplicium incurrat, qui terrenis glebis ſuffodiens theſaurum, audire à Domino promeruit: *Tollite ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta: Omni enim habenti dabitur, & abundabit; Ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo; & inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & ſtridor dentium*. (*Matth.* 25. 28. 29. & 30.) Ut igitur Magiſter ſpiritualis poſſit hujuſmodi talenti pretioſitatem intelligere, atque aſportatum ab eo lucrum Domino reportare, conciſe, & compendiatim, quæ ſit anima rationalis, ejuſque potentiæ, in quantum ſcilicet ad Myſticam diſcretionem, & directionem facere poſſunt, ob ejus oculos ponere, neceſſarium duximus.

CAPUT I.

Quæ ſit anima Rationalis ſecundum partem ſenſitivam, & de ſenſu communi, ſive imaginatione.

1 NOn intendimus materiam de anima ita tractare, ſicut à Doctoribus in ſcholis, aut ab Animaſticis in libris diſputatur; ſed prætermittendo quæſtiones ad intentum noſtrum inutiles, ea tantum, quæ ad orationem, & Myſticam Theologiam neceſſaria ſunt, differemus. Quamobrem dicimus, quòd anima rationalis; quæ eſt pars eſſentialis, & conſtitutiva hominis Phyſici eſt: ACTUS CORPORIS PHYSICI, & ORGANICI, POTENS PRODUCERE ACTUS VITALES. Eſt vegetativa per ſua prædicata, quia ope illius homo poteſt nutriri: Eſt ſenſitiva, quia poteſt percipere, & agere ſenſationes; & hoc, mediante corpore, quod ab anima non informatum, incapax eſt ſentiendi. Et denique rationalis, quia capax eſt intelligendi objecta, tam materialia, quàm ſpiritualia, quod agit per ſpirituales cognitiones ad modum Angelorum, quamvis non æque perfecte.

2 Hæc anima rationalis corpori unita conſtituit hominem rationalem; in quo

quidem composito, & aggregato duæ sunt partes, vel, ut mystice loquar, duo sunt homines; exterior unus, & interior alter. Homo exterior componitur ex anima, prout est in corpore organico informata: hoc est, in quinque sensibus exterioribus, sensu communi, & appetitu materiali; qui licèt interiores sint, quia sunt corporei, constituunt hominem exteriorem, & cum brutis communem. Homo interior componitur ex animæ substantia, & ejus potentiis spiritualibus; nempe, intellectu, memoria, & voluntate, quæ sunt animæ quasi proprietates emanantes, & hominem à brutis distingunt, eumque rationalem, & Dei capacem efficiunt.

3 Hæc anima secundùm ejus partem sensitivam, quæ propria est hominis exterioris, nequit per quinque sensus corporis aliquid percipere, præter id quod corporeum, & materiale est: Visus quippe solùm habet pro objecto, colorem, & lucem: Auditus sonum: Tractus, quantitatem: Gustus, saporem. Olfactus odorem; quæ omnia materialia sunt. Hi sensus sunt potentiæ necessariæ, qui stante objecto, & expedita potentiæ, nullo obice mediante, necessario operari debent.

4 Imaginatio, sive sensus communis, est potentia interior materialis, & sensitiva, & receptaculum omnium specierum materialium, quæ per quinque exteriores sensus ingrediuntur; illico enim ac sensus suam operationem producit, mittit objecti speciem, quæ in hoc interno sensu recipitur, qui cum sit cognoscitivus, eam ejusque objectum statim cognoscit, pariterque eandem speciem conservat, ut iterum per eam valeat idem objectum cognoscere, ac demum eandem materialem objecti speciem sub aliqua ratione convenientiæ, vel incommoditatis exhibet appetitui sensitivo; qui cum affectivus sit, vel illud sequitur, si conveniens sit, vel illud fugit si nocivum proponatur, & hæc omnia in uno instanti, & absque omni libertate fiunt, quin in arbitrio animæ sit ea impedire.

5 Ex quibus inferre debet Magister spiritualis: Primò, quòd anima quæ in recollectione, vel extra, variis imaginationibus torquetur, nullatenus debet contristari, cum citra ejus voluntatem, & intentionem fiant, & aliquando extra ejus arbitrium sit statim abigere: Quamobrem regulariter culpa vacant, saltem gravi, licèt interdum possint fructum orationis impedire. Itaque debet Magister curare, quòd anima nimiam violentiam in hujusmodi evellendis non adhibeat, quia in potentiis necessariis, & non voluntariis, vis materialis multum nocet capiti, melius enim eas contemnendo extinguntur; & si anima per spirituales potentias in Deum consurrexerit, illicò imaginationes decrescunt. Si autem earum importunitatis causa hoc assequi nequeat, in patientia, & resignatione debet strepentis imaginationis molestiam sustinere; & non sine fructu, quia scriptum est: *Et fructum afferunt in patientia*. (*Lucæ* 8. 15.)

6 Secundò, quòd anima afflicta, & timida putare potest, illum motum appetitus inferioris, quo necessario prosequitur objectum turpe, & delectabile, esse liberum consensum appetitus superioris, sive voluntatis; quia dum sensibiliter cognoscit quòd proposito objecto malo, statim ad illud sensili passione rapitur, putat indubie passim consentire, & in plurima peccata prolabi, & quod pejus est, sibi persuadet, adhuc nolens, peccare, quod falsissimum est; quia hæc omnia involuntarie accidunt, à quibus multum distat consensus voluntatis; quinimo, & ipsa pœna; & dolor delectationis, poterit eam consolari, siquidem impossibile est eodem tempore, & eadem potentia, aliquid amare, & odisse. Qui autem turpe objectum amplectitur est interior appetitus, à quo abest peccandi facultas, & qui eum odit, est appetitus rationalis, qui solus libere peccare potest, sed de hoc infra fusius tractabimus.

7 Hæc materialis potentia, secundum diversa ejus officia, diversa etiam nomina sortitur: Primò, vocatur SENSUS COMMUNIS, quia cognoscit, & percipit omnia objecta materialia, quæ per quinque corporis sensus ingredi possunt. Secundò dicitur IMAGINATIO, quia apprehendit convenientiam, & disconvenientiam objectorum materialium: Tertiò appellatur Phantasia, quia format in se species, & imagines rerum absentium, unitque objecta singularia cum aliis: Quartò vocatur ÆSTIMATI-

MATI-

MATIVA, VEL DESTINATIVA, VEL MEMORIA BRUTALIS, SENSITIVA, ET MATERIALIS, quia in se includit, & conservat species materiales objectorum, ut per ipsas iterum, iterumque eadem objecta possit cognoscere. Denique dicitur COGITATIVA, quia dum superior intellectus spiritualiter cognoscit objecta, hæc potentia idem objectum spiritualiter ab intellectu cognitum intendit, sub aliqua materiali forma percipere: Unde sibi fingit imaginem quæ materiali modo respondeat cognitioni spirituali intellectus; ut cum per lumen fidei cognoscit Deum esse immensum, statim imaginatio sibi fingit speciem materialem quæ aliquo modo respondeat immensitati conceptæ, veluti Maris, Aeris, & Cœli, in quibus non est visibilis terminus; quapropter Cogitativa vocatur.

CAPUT II.

Prosequitur Antecedentis capitis thema, & modus exponitur quo aliqui in spiritu transportantur.

8 PLurimi Doctores huic sensui communi duplicem tribuunt formam materialem: Primam vocant PHANTASIAM, & secundam IMAGINATIONEM, easque per diversas proprietates distingunt; Dicunt enim Phantasiam recipere species, & imaginationem conservare; sed nulla est ratio multiplicandi sine necessitate potentias, cum una, eademque potentia possit hæc duo officia adimplere. Propterea dicimus esse tantum unam potentiam cum his duobus officiis, sicut à simili dicemus infra de intellectu, & memoria. Hic sensus communis, non solùm cognoscit objecta quinque sensuum, sed etiam & ipsos actus; siquidem non solùm reminiscimur illius à quo vulnerati fuimus, verumetiam & doloris à vulnere inflicti.

9 Actus hujus potentiæ materialis vocamus cognitiones, non solùm quia à potentia cognoscitiva producuntur, sed etiam quia omnis actus potentiæ quæ potest vitaliter objectum percipere, cognitio dicitur: Quamobrem omnes actus per quinque corporis sensus producti, possunt dici cognitiones; quod equidem oportuit, notare, nam in multis spiritualibus libris, actus tam sensuum externorum, quàm internorum, vocantur cognitiones, ex quibus aliqua in Magistris confusio oriri potest; quandoquidem cognoscere proprium est intellectus superioris, & ejus actus.

10 In hoc sensu communi, & similiter in quinque sensibus externis, potest dari externa sensatio objecti absentis, vel non existentis, ut Antechristi v. g. in potentia visiva, quæ nunc potest videre Antechristum, licèt hic non sit adhuc in rerum natura (quod notare oportet pro Visionibus, & Revelationibus) & ratio est, quia externa sensatio solùm pendet ab objecto, in quantum scilicet mittit speciem potentiæ ut ab illa cognoscatur, & objectum concurrit tantum effective ad mittendam ejusmodi speciem potentiæ: Cum autem omnia, quæ res faciunt ut causæ efficientes, possit Deus agere per se solum, proculdubio sufficere quòd Deus speciem Antechristi infunderet potentiæ visivæ, ut illa possit Antechristum videre, quamvis non existat.

11 Ex hac irrefragabili ratione deducitur error multorum circa illas animas, quæ per proprias species objectorum infusas à Deo, vident aliquas res absentes, ut Indiam, & alias Regiones longinquas: Putant enim sibique suadent illas verè, & realiter in Indiam fuisse translatas, & nimis errant, quia nullatenus illuc deferuntur, sed per dictas species infusas vident, & cognoscunt ea omnia quæ in illis Regionibus habentur.

12 Multo magis incongruum rationi est affirmare, quod illuc in spiritu transportantur, ut vulgo dicitur, & in libris non modicæ auctoritatis multoties legitur, quia revera spiritus relicto corpore, & extra illud, ad nullam partem defertur; quandoquidem spiritus nihil aliud sit nisi anima; quæ si à corpore separaretur, unione destructa, necesse erat quòd corpus moreretur, & indigeret novo miraculo ut anima iterum corpori uniretur; quod absque necessitate multiplicari non debet: Sed dicendum est, quòd ire in spiritu, nihil aliud est, quàm per supradictas species super-

supernaturaliter, infusas, objecta illa absentia ita intueri, quasi anima ibi realiter inveniretur, sed nullo modo extra corpus spiritus defertur.

13 Sed quia mirabilium rerum amatoribus mag's placebit ejusmodi extraordinaria transportatio, quam mordicus tenere, & pertinaciter defendere conantur, hujus erroris convincendi causa, triplex eorum fundamentum evertere necessarium duximus; & in primis allegant illum locum Apocalypsis, ubi Joannes sic ait: *Fui in spiritu in Dominica die* (*Apocal.* 1. 10.) ex quo inferunt, Sanctum Evangelistam translatum esse, & in spiritu separato a corpore transportatum: Sed nulla suppetit ratio, cum hic non loquatur Joannes de physica asportatione spiritus, nec de alio modo sistendi in spiritu, quàm de mirabili extasi quam passus fuit ut clarè manifestat idioma Græcum, quod profui *in spiritu*, legit, *factus sum in spiritu*, & hic est communis sensus Expositorum, ut refert P. Blasius de Viegas Societatis Jesu in hunc locum. „ Hoc est (inquit) altissimam quandam „ passus est extasin; non quod animus „ à corpore re ipsa discesserit, id quod „ phrasis Græca clarum sonat. (*In Apocal. p.* 1. *sect.* 22.)

14 Afferunt deinde textum illum Ezechielis. (3. 14. 15.) *Spiritus quoque levavit me, & assumpsit me, & abii amarus in indignatione spiritus mei, & veni ad trasmigrationem*. Ex quo inferunt, Ezechielem in spiritu assumptum esse; & relicto Hierosolymis corpore, in Babilonem in spiritu venisse. Sed hoc ex textu nullatenus deducitur, maximè cum supponere videatur Propheta, quod ipse in corpore delatus sit per spiritum; quem spiritum levantem Prophetam, placet Cornelio à Lapide (*In Ezechiel 3. v.* 12) fuisse Angelum, qui veluti Abacuch in Babilonem, ita Ezechielem in transmigrationem detulit: (*Daniel.*) „ Angelus enim (ait) Ezechielem cunctantem „ quasi per vim rapuit; non tantum in „ spiritu, sed in corpore, ac realiter, „ quasi alterum Abacuch. Cujus pergendi modus nullam habet difficultatem, nec propositæ convenit quæstioni.

15 Sed longè præstantius (meo videri) doctissimus Gaspar Sanchez, ex eadem inclita Societate Jesu (*In Ezech. 3. v.* 12.) „ putat verius intelligi, si spiritus motum significet animi, aut il„ lustrationem, ita ut illi species esset „ oblata ejus loci, ad quem à Deo ac„ cersebatur, cui se præsentem adesse co„ gitabat (quod nos vulgo scripturæ mo„ do dicimus esse in spiritu in aliquo lo„ co) sensus est: Extasim passum Pro„ phetam, & alienatum à sensibus visum „ sibi fuisse mutasse locum, & inter ca„ ptivos medium constitisse. Hæc Sanchez, & pulchrè ad intentum citat Gregorium, Dionysium, Vatablum, Hugonem, & Maldonatum.

16 Secundum fulcrum contrariæ sententiæ est, quòd in illis Regionibus, ad quas aliqui in spiritu feruntur, plures earum habitatores illos vident, audiunt, & tractant; quamobrem manifestè declaratur realiter, & physicè in illam Regionem fuisse translatos. Respondemus, quòd eo ipso quòd videntur, & communicantur clarè constat, non esse tantum in spiritu; spiritus quippe invisibilis est, & carnem, & ossa non habet, sicut illi vident eos habere. Quodsi fortè ita sit quòd ibi ab Accolis videantur, hoc potest fieri dupliciter: Uno modo, si in corpore simul & spiritu sint ab Angelo asportati: Secundo si Angeli pro eis assumpto corpore aereo ibi apparuerint, eodem tempore quo in prædictis animabus species ejusdem loci supernaturaliter infunduntur; quare putant se in alio loco realiter assistere, cum revera non ita sit, nec locum mutent, nec ipsi illic appareant, sed eorum Angeli per similia eis assumpta corpora; unde maxima cautela opus est, ne Directores decipiantur, & animas ad superbiam elevent, Mundumque novitatibus, & fabulationibus repleant.

17 Tertium, & efficacius eorum fundamentum est, quòd eodem tempore quo prædictæ in longinquas illas asportantur Regiones, earum corpora remanent frigida, cadaverica, & insensibilia; quod evenit, quia spiritus in alium locum translatus, definit informare corpus, & propterea manet mortuum, & vita carens. In primis poteramus respondere per ip-

ipsam

ſam experientiam, quæ in contrarium militat; nam quamvis ſint corpora rigentia, & ſemimortua, ſi attente pulſentur, clarè dignoſcitur arteriarum pulſatio, licèt exigua; quæ profectò non eſſet ſi corpus eſſet ab anima ſeparatum, nàm pulſatio illa fit per vitalem calorem, qui virtute informationis animæ conſervatur.

18 Secundò dicimus, quòd anima in ipſo inſtanti, quo à corpore ſeparatur, deſinit homo eſſe viator, eique debetur locus ſuis operibus reſpondens, debetque extremum judicium ſuſtinere; nam *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori; poſt hoc autem Judicium*: (*Ad Hebr.* 9 27.) & ſequeretur, quòd talis perſona moreretur, & reſurgeret quotieſcunque irèt, & reverteretur; unde etiam venirent multiplicanda judicia, quod eſt maximum abſurdum; nam ut ait Anſelmus: (*In Epiſt. ad Hebræos* 9. 27) *Poſt ſemel mori, reſtat Judicium, in quo accipiant ſecundum quod meruerunt; non reſtat ut iterum ſurgant, & iterum moriantur*. Sæpiſſime ergo hæc mors, & reſurrectio multiplicandæ erant, ſi talis ſpiritus transmigratio daretur; quæ licèt à Domino fieri poſſit, non ſunt adeo communiter concedendæ.

19 Et ad rationem objectam reſpondeo, quòd remanere corpus quaſi mortuum, & cadavericum, non fit ex eo quòd ab illo ſeparetur anima, ſed quia corpus patitur materiale deliquium, eo quòd ſpiritus ad internam communicationem vires omnes colligit: quamobrem remanent membra rigentia; & corpus omnino externo calore deſtitutum; vel quia Deus ſenſus alienat, & ſuſpendit, ne ſint internæ communicationi obſtaculum; de quibus infra in deliquiis materialibus fuſius loquemur. Itaque ire in ſpiritu, nihil aliud eſt, niſi deliquium ſupernaturale, vel Extaſim pati, in quibus animę divinitus infunduntur ſpecies illius loci, ad quem à Domino accerſitur; & hoc modo intelligenda ſunt loca Scripturæ ſupra relata.

20 Organum, ſive ſitus imaginationis, ſive ſenſus communis eſt in cerebro, quia in eo glomerantur Artus ſenſorii, per quos objectorum ſpecies recipiuntur, quod experientia docet, ſiquidem quoties quidquam vehementer imaginamur, cerebrum dolet, & confunditur. Multum propterea caveat Magiſter, quòd in orationis exercitio, ne quid nimis imaginationi tribuatur, ſed potius per rationis pondus, quàm per imagines, & phantaſmata, curent animæ movere voluntatem. Ante lapſum Protoparentis erat ſenſus iſte ſubditus rationi, nec alii deſervire poterat, præter id quod ratio illi ſuadebat. Poſt culpam verò ita inordinatus manſit, quòd nulli alii minus attendit quàm rationi. Denique hic ſenſus cum ſit cognoſcitivus, illuminat appetitum ſenſitivum, qui cæcus eſt, eique repræſentat objecta ſenſibilia ſub aliqua ratione convenientiæ, vel incommoditatis, ut ille neceſſario, & non libere, hæc fugiat, & alia amplectatur.

CAPUT III.

De appetitu ſenſitivo, ſive potentia appetitiva materiali.

21 PEr appetitum ſenſitivum non intelligimus appetitum innatum, qui quidem non eſt potentia, ſed quædam inclinatio, propenſio, aut exigentia, quam res habent circa aliquam ſuam perfectionem, quæ dum ea carent, violentæ ſunt, quouſque ad eam reducantur, ſicut lapis profundum petere; & fluvius ad mare reduci; & hic appetitus innatus, & congenitus, cum ipſis rebus eſt identificatus.

22 Appetitus verò, de quo eſt nobis ſermo impræſentiarum, eſt potentia interna, ſed materialis, quæ neceſſario debet dari in homine; quia dum cognoſcere poteſt ea quæ ſibi convenientia ſunt, vel nociva, neceſſe eſt etiam quòd habeat potentiam, qua convenientia ſequatur, & nociva fugiat: Cum autem in homine ſint duo gradus cognoſcendi, nempe, ſenſitivus, ut in brutis: & intellectivus, ut in Angelis; neceſſarium plane eſt quòd ſint etiam in eo duo appetitus, & quòd gradui cognoſcendi materiali, reſpondeat appetitus ejuſdem ſpecie materialis, & gradui cognoſcendi intellectivo, reſpondeat appetitus ejuſdem ſpeciei intellectualis, quem vulgò vocamus voluntatem, de qua ſuo loco differemus.

23 Igitur appetitus ſenſitivus eſt. PO-

TEN-

TENTIA INTERNA AFFECTIVA ET MATERIALIS, AMANS BONA SENSIBILIA, ET OMNE QUOD NATURÆ SENSITIVÆ CONVENIT, QUOD UT TALE PER SENSUM COMMUNEM COGNOSCITUR, ET SIMILITER FUGIT MALA SENSIBILIA, QUOD NATURÆ SENSITIVÆ REPUGNAT, ET UT TALE COGNOSCITUR A SENSU COMMUNI. Mystici vocant, hunc appetitum, PARTEM VOLUNTATIS INFERIOREM; non quia sit pars substantialis voluntati, sed quia est etiam volitiva, & respectu voluntatis superioris inferior habetur. Deinde vocant eum, APPETITUM BRUTALEM, quia etiam brutis communis est; illa quippe appetunt sensibilia convenientia, & nociva sensibilia fugiunt. Item appellant eum APPETITUM IRRATIONALEM, quia non rationem, sive intellectum, sed sensum communem, sive imaginationem obsequitur. Denum dicunt eum APPETITUM MATERIALEM, quia ex natura sua est materialis, sicut imaginatio, & quinque corporis sensus; neque ad alia preter materialia, & sensibilia, objecta extendi potest.

24 Objectum adæquatum appetitus est bonum sensibile, vel aliqua ratio boni sensibilis; & notare oportet, quòd licèt objectum appetitus superioris, & rationalis sit bonum in communi, sub quo includi valet bonum sensibile; tamen ad exponendam naturam hujus appetitus sensitivi, dicitur esse tantum sensibile bonum, ad differentiam voluntatis, sive alterius appetitus, qui habet pro objecto bonum in communi, sive sensibile sit, sive spirituale.

25 Si verò per appetitum intelligatur (ut plures tenent Mystæ) appetitus sanctus, & honestus, omnino opponuntur hi duo appetitus; ad quod referri potest illud Apostoli: *Caro concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem: Hæc omnia sibi invicem adversantur*. (*Ad Galat.* 5. 17.) Quod intelligendum est de appetitu sancto, & honesto, quem movet ratio boni honesti, cum omnimoda repugnantia appetitus sensitivi, qui solùm movetur à bono sensibili, & delectabili: Quod nequit intelligi de appetitu rationali, nam iste aliquando sequitur bonum turpe, & sensibile; quamobrem appetitui sensitivo non semper adversatur: Appetitui verò sancto, & honesto, ejusque legi, semper repugnat lex sensitivi appetitus; unde ajebat Apostolus: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*. (*Ad Roman* 7. 22. 23)

26 Dividitur appetitus, vel, ut melius loquar, continet duas partes, potentias, sive proprietates; quarum una dicitur CONCUPISCIBILIS & altera IRASCIBILIS. Concupiscibilis amat, appetit, & prosequitur bona sensibilia, & delectabilia: Irascibilis amat objecta sensibilia, non ut sensibilia, sed ut concupiscibili repugnantia, & velut acerba, & ad consequendum difficilia; ad quorum superandam difficultatem vites assumit, quibus possit expellere contraria boni illius, quod concupiscibilis possidere appetit: Propterea D. Thomas 1. *p. q.* 81 *art.* 2. inquit, quòd irascibilis est quasi bellator fortis, & defensor concupiscibilis: Itaque motus irascibilis a passionibus concupiscilis oriuntur, ut aperte confirmat Jacobus dicens: *Unde bella, & lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris quæ militant in membris vestris?* (*Epist. Canon* 4. 1.) Nam ira nascitur ex tristitia, quæ est actus concupiscibilis, & vindicta refertur ad gaudium, quod similiter est concupiscibilis actus.

27 Ad partem concupiscibilis sex passiones pertinent, ut docet Angelicus, scilicet: AMOR, ODIUM, DESIDERIUM, FUGA, GAUDIUM, ET TRISTITIA. Tres ex istis dicuntur actus prosecutionis, quibus appetitus bona illi convenientia amat, & prosequitur. Alii verò tres vocantur actus fugæ, quibus ea quæ illi opponuntur fugit, & rejicit: Unde tribus passionibus sequitur bona; & tribus similiter, mala fugit.

28 Ad cujus operationis explicationem possumus bona, & mala considerare tripliciter: uno modo veluti, neque præsentia, neque absentia, sed præscindendo ab utrisque: Secundò quasi præsentia: Tertiò denique, velut futura. His enim tribus modis à sensu communi apprehendi possunt, & diversimodè cognita, diversos in appetitu effectus pariunt. Bonum

num

tum igitur apprehensum in communi, præscindendo ab absentia, & præsentia, producit in appetitu affectum, qui vocatur AMOR: Consideratum autem ut præsens, excitat GAUDIUM. Et denique consideratum ut futurum, parit DESIDERIUM. E converso verò: Malum apprehensum in communi, gignit ODIUM. Apprehensum ut præsens, causat TRISTITIAM; Et denique apprehensum ut futurum, efficit FUGAM. Itaque odium opponitur amori fuga, desiderio; & gaudio, tristitia.

29 Actus, sive passiones irascibilis, ex eodem Angelico (*ubi supra*.) sunt quinque, scilicet SPES, DESPERATIO, AUDACIA, TIMOR, ET IRA. Quibus omnibus irascibilis circa bonum dilectum per concupiscibilem dicitur: Sed cum in ejusmodi dilecto bono aliquando reperiat difficultatem, & resistentiam sui contrarii, licèt illud desideret, & diligat, indiget tamen alio actu quo excitari valeat, ne ab objecta difficultate superetur, qui actus vocatur SPES. Quando verò nequit difficultatem vincere, elicit DESPERATIONEM: Cum autem ad assequendum bonum, & repelendum malum, non solùm erigitur appetitus, sed etiam dilatatur, & incenditur, tunc producit AUDACIAM: Et è converso, si dum se erigere tentat, deficit, & contrahitur, producit TIMOREM: Hi quatuor actus diversificantur per diversas apprehensiones boni, vel mali ardui, & difficilis; sed præter eos restat alius actus productus ex apprehensione mali præsentis, ex quo appetitus vindictæ generatur, qui dicitur IRA. Hæc ita summatim relata sufficiunt, ut Magister percipere possit, unde singula passio, vel motio in appetitu procedat.

CAPUT IV.

De modo subjugandi appetitum ad rationis imperium.

30 Cum assiduum Magistri spiritualis studium in animabus sibi subjectis sit, hunc appetitum compescere, & ordinare, est illi apprime necessarium percipere modum, quo rectæ rationi subjugari valeat. Ad quod sciendum est cum D. Thoma 1 *p.q.*81. *art*.2. quòd cum verum sit appetitum hominis moveri ab imaginativa, vel cogitativa, quæ ratio particularis dicitur; & omnis ratio particularis per imperium universalis rationis, sive intellectus dirigatur, & gubernetur, manifestum est, quòd appetitus sensitivus hominis subjici debet intellectui, quasi rationi universali.

31 Duplex igitur est SUBJECTIO: Una quæ dicitur DESPOTICA, ET SERVILIS, & alia quæ vocatur POLITICA, ET CIVILIS. Subjectio despotica, & servilis contingit, quando is qui subjicitur non est liber ad se non subjiciendum; sed omnino obedit coactus, ut servus Domino, & instrumentum Artifici. Subjectio politica, & civilis evenit, quando is qui subjicitur, quamvis adsit ratio se subjiciendi, liber tamen est, & non ad obediendum coactus; & si velit, potest præceptore resistere; sicut Civis Regi, vel filius Parenti. Appetitus ergo sensitivus subjicitur rationi hac subjectione politica, & civili, non autem despotica, & servili, qua ante primum lapsum subditus erat: Jam verò post lapsum, excusso servitutis jugo, rebellis contra rationem versus est: quamobrem arte, & industria venit subjiciendus.

32 Ut autem hoc fieri valeat, meminisci debemus eorum quæ de sensu communi diximus *Supr. c.* 2. *nu* 20. *in fine*. nempe, quòd hic appetitus cum cæcus sit, illuminatur, & ducitur per phantasiam, sicut appetitus rationalis per intellectum: Quamobrem dum hic subjugare intendit appetitum sensitivum circa illa objecta, in quibus malè, vel deordinate versatur, indiget ad sensum communem, sive imaginationem recurrere, ibique rationes majoris commoditatis, & delectationis sensibilis objecti repræsentare, quibus convicta imaginatio possit appetitum sensitivum suadere, quod intentum rationis amplectatur; quæ quidem omnia agere potest intellectus ob suam nobilitatem, & quia directivus est aliarum potentiarum. Hac industria non indigebat intellectus in statu naturæ integræ, in quo despotica subjectione appetitum subjiciebat: In statu verò naturæ lapsæ, non solùm hac politica industria uti debet, verum etiam & aliquando nulla ad eum subjiciendum sufficit.

33 Eodem modo potest hujusmodi appeti-

petitus subjugari, à voluntate, scilicet, medio intellectu, cui veluti Domina, & Regina potest voluntas imperare, licèt interdum prædictis potentiis rebellis, & contumax persistat; quia cum hic appetitus sit brutalis, atque in objecto non quærat intrinsecam, & formalem bonitatem, sed extrinsecam, & materialem delectationem, frequenter non acquiescit rationibus intellectus, & phantasiæ; sed ad instar effrænis equi in carnalitatis scopulum præceps impingit; & propterea Magister advertet, quòd in his qui vehementibus passionibus appetitus afficiuntur, nulla industria, & nulla ratio sufficit; unde recurrere oportet ad alia remedia.

34 Primum procurare debet, & compellere appetitum ad desistendum ab opere, & delectatione illicita; quod quidem faciliter fiet, si dum intellectus per nullas potioris commoditatis rationes potest illum sedare, curet Magister, quòd anima majori qua possit intensione in aliud diversum objectum, vel occultationem se conferat; puta, In Deum, aut in aliud indifferens objectum; quia cum vires animæ sint valdè limitatæ, & superiorum potentiarum opus, intensius, & efficacius fit ad assumendas sibi omnes animæ vires, adeo eas ad se trahet, quòd ferè nullæ in appetitu remaneant; unde remissus, & debilis, vel omnino extinctus manebit. Quod quidem patebit per exemplum illius, qui diebus jejunii ita tentatus est jejunium frangere, quòd nulla obligatione, vel ratione possit passionem vincere; qui si tunc in studio, vel alio opere intensè occupatur, brevi tempore, jejunii, prandiique obliviscitur, & nullam suæ passionis memoriam conservat; & hic est potior modus subjugandi appetitum, maximè in tentationibus luxuriæ.

35 Igitur pulsante vehementer libidinis tentatione, debet anima in Deo, vel in alio objecto bono, vel indifferenti, quanto intensius valeat, occupari, parum curans de strepitu imaginationis, & de ardore appetitus, qui ad instar lucernæ, quæ oleo deficiente languescit, & extinguitur, ita deficiente concursu intellectus, & voluntatis debilitatur, languescit, & extinguitur; tantoque eis vires deficiunt, quanto anima in alio objecto intensius occupatur; quamobrem in aliquibus per hoc medium minuuntur tentationes luxuriæ; in aliis penitus extinguntur, respectivè scilicet ad majorem, aut minorem eorum intensionem, qua in Deum versantur.

36 Sed in hac necessarissima industria quædam practica occurrit difficultas, quæ nimirum oritur ex eo quòd exercitium imaginationis, & vehemens motus appetitus clarè percipiuntur. Exercitium verò voluntatis cum spirituale sit, minus, aut vix percipitur, maximè cum strepitus imaginationis, & ejus vehementia spiritum obtundant; quamobrem anima putat per hunc resistendi modum potius assentire delectationi, quàm dissentire; & quod pejus est, quòd multi spirituales Magistri idem sentiunt, quia hunc resistendi modum dicunt esse periculosum, & nocivum, maximè si tentatio sit vehemens; sed immerito, nam hic resistendi modus commendatur à D. Thoma (*In 1. ad Corint 6. lect. 3.*) Augustino (*De honest. Cleric. c 1.*) Ambrosio (*Lib. de Joseph, c. 5.*) Anselmo (*In 1. ad Corin. 6.*) Origene (*Homil. 7. in Gen.*) & omnibus communiter.

37 Probatur enim variis rationibus: Prima, quia nulla potest adesse gravis culpa in illa delectatione materiali appetitus ob ejus diuturnitatem, si voluntas delectationi non consentiat, quia communis est sententia Doctorum, quòd delectatio morosa non sumitur à mora temporis, sed à mora voluntatis, ut cum multis tenet Rossell (*In prax cap. 23. num. 8.*) & ratio est, quia cum voluntas libera sit, & in ea sola consistat peccatum, necessarium est quòd hæc permittat voluntariè appetitum delectari; quod non evenit in prædicto casu, quia cum voluntas expressè velit delectationem, & tentationem sedare, & extinguere per medium se collocandi in Deo, vel in alio objecto bono, vel indifferenti, quod aptius judicat ut extinguatur tentatio; nullo modo permittit tentationem, nec ejus delectationem, quinimo, & meliori modo quo judicat, eam superare intendit: ergo licèt non statim extinguatur delectatio appetitus, non potest in hoc casu consistere peccatum.

38 Et quamvis nuper damnata sit adversus recentiores Quietistas à SS. bonæ memoriæ Summo Pontifice Innoc. XI.

anti-

antiqua opinio eorum, qui moram obsistentiam negativam sufficere docuerunt; sed hic resistendi modus nullatenus est damnatus, nec prohibitus, quia negativus non est, sed positivus; qui enim convenientiora media adhibet ad superandum tentationem, positive proculdubio resistit; unde licet in hac positiva resistentia videatur appetitum demorari, si voluntas perseveret prædicto modo resistendo, nullam appetitus moram permittit, cum statim ad media, quæ sibi convenientiora putat, recurrit.

39 Secunda ratio est, quia si tentationes luxuriæ per actus contrarios superare nitatur, plus foventur incentiva libidinis quàm extinguuntur, quia circa turpissima illa multiplicantur species, & necesse est potius appetitum movere, & conflagrare, quàm cohibere, & extinguere; quare ait D. Thomas: 2.2. *q.35. art. 1. ad 4.* „ Impugnatio peccati quandoque est vincenda fugiendo, quandoq; resistendo: fugiendo quidem, quando continua cogitatio auget peccati incentivum, sicut est luxuria; unde dicitur, *fugit fornicationem* (1. *ad Corint.* 6. 18) Et rationem nostram affert in loco supra citato. In fuga autem fornicationis, non tam indicitur fuga corporalis, quàm spiritualis per intellectum, & voluntatem, maxime cum hæ potentiæ absque corporali assistentia, & cum materiali fuga possint integre peccatum consumare; quod indicare videtur Dominus per Matthæum dicentem: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo.* (*Matt.* 5. 28.). Ergo melior modus resistendi, & fugiendi tentationem erit, subtrahere intellectum, & voluntatem ab appetitu, & à subjecto peccaminoso, & in Deum, vel in aliud bonum, vel indifferens objectum collocare.

40 Tertia, quia mediante cognitione, & applicatione voluntatis in Deum, fortius præsidium quæritur ad sustinendas, superandasque Dæmonis impugnationes. *Deus quippe*, ut ait Psalmista, *refugium, & virtus; adjutor in opportunitatibus in tribulatione* (*Ps.* 9. 11) & in Divina essentia acquirit anima fortitudinem, tegumentum, lucem, & affectum ad bonum, pariterque aversionem ad malum, & peccaminosum.

41 Quarta, quia per nullam aliam obsistentiam potest anima ita vacuari impuris imaginibus, atque in casta, & tranquilla pace permanere; non enim per violentiam vincitur appetitus, sed per industriam, & artem, debilitando scilicet, & extinguendo ejus inordinatas passiones: Et sicut ille qui cum sævissima bellua colluctatur, qui si eam per violentiam, aut vim subjugare conaretur, quantuncunque illam humi jacentem teneret, magis fervescentem, & furiosam redderet: Si autem industria, & arte vires illi eriperet, & debilitaret, nullam ejus (reportata victoria) furiam, neque fervescentiam experiretur: Ita similiter evenit in nostro casu, in quo si per violentiam compesci tentatur appetitus, potius inardescit, quàm debilitatur; & potius accenditur, quàm extinguitur. Itaque Magister sine formidine doceat animas ejusmodi obsistentia uti; breviter enim imaginatio sedabitur, & anima sui inordinati appetitus quasi dominium acquiret.

CAPUT V.

Præcedentis capitis materia concluditur.

42 Potest demum ratio cohibere appetitum repræsentantem imaginationi majores rationes mali sensibilis, in his in quibus delectationem concipiebat; nempe, damna peccati, turpitudinem lasciviæ, mortis periculum, horribilitatem Judicii, tormenta Gehennæ, & his similia; quibus appetitus contertitus, actus amoris, & gaudii convertat in actus odii, & mœroris; Ideo de hujusmodi tristitia, qua ea quæ antea Corinthii diligebant tunc afficiebantur, congaudebat Apostolus dicens: *Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam: Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini.* (2. *ad Corint.* 7. 9.) Cum autem ejusmodi actus sibi invicem adversentur, nequeunt circa idem objectum simul existere, quandoquidem minus intensi destruuntur per contrariorum intensius exercitium.

43 Voluntas pariter potest politicè appetitum subjugare, prohibendo scilicet ex-

vi sui imperii externis sensibus quòd in prohibitis objectis occupetur , vel eos omnino comprimens per modestiam, vel eos occupare faciens in aliis versionibus honestis, & licitis, in quibus ipsi delectationem ordinatam capiant. Sed licèt coertio sensuum (quæ valde necessaria est , quia per eos ingrediuntur species , quæ turpibus motibus, & delectationibus fomitem ministrant ; quamobrem omnes spirituales ejusmodi sensus cohibere , & mortificare procurant, de quibus scripsit Hieremias 9. 21. *Ascendit mors per fenestras nostras*) potius videatur præcautio ad non incurrendam tentationem, quàm jam incursæ remedium salubre .

44 Sed nihilominus multum prodesse potest , quia prohibet ne multiplicentur species turpitudinis ; quamobrem sicut ignis qui novis lignis non fovetur , breviter extinguitur ; ita tentatio si novis speciebus non nutritur , facilius adhibita resistentia auferetur . Hæc media quibus appetitus potest politice subjugari rationi , præter alia quæ regulariter apponuntur , ut sunt cilicia , flagellationes , oratio, mortificatio , quæ omnia per Magistri prudentiam regulanda sunt , mirum in modum animam roborant , ad coertionem hujus effrænis appetitus.

45 Hæc potentia materialis domicilium suum habet in corde, ut tenet Philosophus *Lib. 3. de partibus animal.* & experientia docet , quòd dum per deordinatam passionem aliquid diligimus , ardorem materialem , & motum sensibilem in corde sentimus ; & similiter dum timore , & tristitia afficimur, hæc nobilis pars angustiatur, palpitat, & dolet : Cum autem ubi sunt actus, ibi necessario debeat esse potentia , sequitur , quod hic appetitus , velut in domo propria , habitat in corde.

46 Exinde animadvertere debet Magister , quòd interdum animæ dum tentationibus luxuriæ, vel vindictæ inficiuntur , solent sentire ita earum cor objecta mala velle , & amplecti, quòd eis sensibiliter consentire videatur , & hoc (licèt non sine formidine) jurare audebunt ; unde nimia desolatione, & ingentibus scrupulis obruuntur. Sciat itaque Magister , quòd quamvis interdum consentire possunt , regulariter tamen in virtuosis viris, & maxime scrupulis infectis , abest plenus voluntatis consensus ; quia quamvis illi sentiant , cor velle amplecti tentationem,hæc voluntas & hujusmodi appetitus in corde resident , qui cum sit brutalis, & necessarius , & per consequens non imputabilis , illico ac proponitur objectum delectabile , illud amplectitur, atque in illud rapitur ; sed absque lethali culpa , si voluntas superior delectationi non consentiat ; & in prædictis animabus procul abest consensus voluntatis , maxime si pœnam habeant tentationis , vel aliquem actum displicentiæ , vel resistentiæ eliciant ; quia eodem tempore in se percipiunt gaudium delectationis ; & tristitiam ; amorem , & odium , desiderium , & fugam ; qui quidem actus nequeunt simul circa idem objectum esse in una potentia, sed necessario debent esse in duabus. Cum autem ea quæ delectatur sit appetitus sensitivus , ut clarissimè cognoscitur , sequitur quòd illa potentia quæ contristatur, sit appetitus rationalis ; unde ex ipsa displicentia , resistentia , vel dolore tentationis , manifeste cognoscitur , non adesse liberum & sufficientem consensum ad peccatum .

CAPUT VI.

De speciebus impressis , & expressis , tam naturalibus , quàm supernaturalibus , & ubi fiant , & recipiantur.

57 AD prædictorum , & sequentium rectam intelligentiam oportet , ut de speciebus impressis & expressis, tam naturalibus , quàm supernaturalibus , quibus mediantibus universæ potentiæ animæ, naturalia , & supernaturalia objecta attingunt, breviter disseramus; & primo SPECIES est QUÆDAM VIRTUALIS , ET EFFECTIVA SIMILITUDO OBJECTI. Dicitur virtualis, & non formalis, quia species non est objecto similis, sicut copia est similis originali; sed tantummodo est accidens, aut qualitas distincta ab objecto, quæ ex sua natura ordinatur ad coadjuvandam potentiam , ut ex utraque fiat unum principium adæquatum , producens expressam , & vitalem similitudinem objecti ; sed nullo modo est similis objecto ,

pro-

propterea species albedinis, non est alba, sicut & nigredinis, non est nigra.

48 Et ratio est, quia species contrarii coloris; nempe, albi, & nigri, sunt simul in eadem potentia, siquidem eodem tempore potest utrumque videre; & sicut idem objectum nequit eodem tempore esse album, & nigrum, ita repugnat, quòd in eodem subjecto vel potentia sint eodem tempore contrariæ species; quamobrem species albedinis, non potest esse alba; nec nigredinis, nigra; nec species soni est sonus; nec coloris, color; quia cum hæc species sint accidentia, non possunt aliud accidens producere, sicut est species. Insuper sequeretur, quòd si species coloris esset color, posset & ipsa species videri; & si species soni esset sonus, posset pariter species audiri; quod equidem falsum est, & experientiæ repugnat: Ergo species impressa non potest esse formalis imago objecti, sed tantum virtualis.

49 Dicitur effectiva, quia ipsa sola est principium effectivum similitudinis formalis intentionalis, quæ est cognitio per quam cognoscitur, & repræsentatur objectum, coadjuvando scilicet, & ducendo potentiam, ut specie mediante uniatur potentia cum objecto, & producat speciem expressam, quæ est formalis similitudo objecti.

50 Dividimus speciem impressam in materialem, & spiritualem: *Materialis species est*: ACCIDENS PHYSICUM, ET MATERIALE AB IPSO MATERIALI OBJECTO PRODUCTUM: Quam quidem speciem producit ex aere, aqua, vel quovis alio corpore crystallino, illamque format in media illa distantia, quę adest inter objectum, & potentiam; ex qua accedendo recipitur in potentia, quæ debet in proportionata distantia objecti consistere; quia si nimis distat, non accedit species; si autem nimis contingua est, confundit potentiam, ut experientia docet. Sensus tamen gustus, & tactus, non indigent speciebus impressis, quia eorum objecta immediatè concurrunt cum potentiis ad sensationem.

51 Communiter dicitur speciem impressam durare dum objectum est præsens, quo absente destruitur: Alii contrarium probant per exemplum fomitis ignarii, quæ dum velociter circumducitur, quasi igneam coronam formare videtur, quandoquidem ignis realiter sit tantummodo in uno puncto circuli, & species ignis in toto circulo conspicitur; necessario durare debet species ignis ubi ignis non adest: & idem contingit in fulgure, quod extincto igne, aliquantulum durat species; quam alii putant, naturaliter conservari; alii verò supernaturaliter: Unusquisque in sensu suo abundet, quia nobis supervacaneum est ejusmodi quæstionem definire.

52 *Species impressa spiritualis est*: QUODDAM ACCIDENS PHYSICUM, ET SPIRITUALE, NON AB OBJECTO PRODUCTUM, sed AB INTELLECTU. Qui ad imaginationem, sive phantasiam, quasi ad receptaculum omnium specierum materialium accedendo, abstrahit à materialitate quam species habent, & format speciem spiritualem repræsentantem objectum materiale, nudam tamen ab omni materialitate; cujus adjutorio producit cognitionem, quæ est & dicitur expressa imago objecti spirituali modo repræsentati, & est similitudo formalis, & imago illius.

53 Alię sunt etiam species impressę, tam materiales, quàm spirituales; quæ dicuntur supernaturales, non tam in substantia, quàm in modo, quia eas non causant, & producunt sua objecta, nec potentia, sed divina virtute producuntur, & à Deo respective, & immediate infunduntur in sensu, vel in potentia, nullo servato ordine naturali, sed prædicto ordine inverso, interdum in sensu, interdum verò in spirituali potentia. Circa quas animadvertendum est, quòd cum ab objectis non pendeant, nullatenus objectorum præsentia, vel absentia indigere, ut supra *Capit.* 2. nos diximus; absque illis nanque possunt à Deo creari, & infundi. Et hæc de speciebus ad intentum nostrum dixisse sufficiat; quòd siquis alias quæstiones excupet, ad Animasticos recurrat.

CA-

CAPUT VII.

Quæ sit anima rationalis, secundum ejus partem spiritualem, & superiorem.

54 PRælibato jam, quæ sit anima rationalis, secundum ejus partem inferiorem, & materialem, & inquantum constituit hominem viventem, & brutis communem; restat nunc de ipsa tractare, secundum ejus partem superiorem, & spiritualem, in quantum scilicet constituit hominem rationalem, dissimilem brutis, & Angelis consimilem. Et quamvis corpus in hoc aggregato hominis sit pars substantialis cum anima, quia substantialiter componitur homo ex corpore, & anima rationali, nihil tamen horum quæ diximus, pertinet ad id quod substantiale est animæ: Propterea necessarium est de his quæ ad solam animam pertinent pro notitia Directorum, breviter, & compendiatim tractare.

55 Hæc rationalis anima opus est solius manus Divinæ; ab ipso creatur, & per ipsum corpori unitur, quin ad ejus formationem, vel informationem utatur medio Angelico, vel humano; sed ipse Dominus, immediate eam producit ex nihilo, absque aliqua materia, extrahendo scilicet eam à statu non essendi, ad statum existendi, mediantibus tantummodo ejus voluntate, & potestate, quibus omnia creata ex nihilo, in ortum produxit. Creat igitur Deus, & producit animam in illo ipso instanti quo materia humani corporis ad sui informationem disposita est; tuncque, & non antea ab ipso Deo creatur, & unitur corpori.

56 Hæc anima est quædam forma substantialis, quæ (attestante Augustino *In cap. 7. Genes. ad litt.*) non componitur sicut cæteræ substantiæ ex materia, & forma, sed ex forma dumtaxat, sine materia nec corporali, nec spirituali: *Anima* (inquit) *non est facta ex materia corporali, neque ex materia spirituali*: quia ut ait D. Thomas *1. p. q. 75. art. 5.* si composita fuisset ex materia, & forma, nullatenus posset recipere formas, nisi ut individuales; neque eas cognoscere, nisi in singulari, ut evenit in sensibus, qui recipiunt formas rerum in organo corporali; quod non contingit in anima, quia recipit, & cognoscit formas in universali, & absolute; unde non potest componi ex materia, & forma, nec spirituali, nec corporea.

57 Quamobrem nequit esse corporea; & quia est principium vitæ, ideo non est corpus, sed corporis actus; sicut calor qui est principium calefactionis, non est corpus ignitum, sed actus corporis igniti (*D. Thom. 1. p. q. 75. art. 1. in corp.*) Præterea ens corporeum est quid naturale, quod habet partes distinctas, & extensas; hoc est, quòd una extra aliam sit, & anima rationalis est indivisibilis, neque habere potest partes distinctas, & extensas, sed est tota in toto corpore, & tota in qualibet ejus parte; quamobrem non potest esse ens corporeum, ut extat decisum in Concilio Lateranensi, sub Innocentio III.

58 Sed quamvis ens corporeum non sit, unitur tamen materiæ extensæ, & habenti partes; nempe corpori, propterea potest esse in pluribus partibus, sicut est in homine, ad modum Angeli, licet iste sit absque unione. Notandum verò est, quòd ut anima possit esse in duabus partibus distinctis, quæ occupant diversa loca; puta, in corporis brachiis, vel cruribus; necessarium est quòd ambæ sint unitæ corpori. Si enim unum brachium fuisset à corpore separatum, anima ambobus brachiis uniri non poterat, & ratio est, quia cum anima rationalis sit indivisibilis per suam perfectionem, & nobilitatem, solùm potest æquivalere uniformæ materiali; si ergo duobus rebus inter se omnino disjunctis uniretur, non æquivaleret uni tantum formæ materiali, sed pluribus; unde indivisibilis non esset:

59 Hæc anima est æterna, & incorruptibilis à parte post; ideo ait Dionysius *De divin. nominibus cap. 4.*, „Animæ „humanæ ex bonitate Divina habent „quòd sint intellectuales, & quòd ha„beant substantialem vitam incorru„ptibilem. Idem docet Scriptura; & Fides Catholica, & ratio suadet; quia ut do-

docet D. Thoma. 1. *p qu. 75. art. 6. in corp.* anima est forma subsistens; & forma subsistens neque de per se, neque de per accidens potest corrumpi: „ Manifestum est „ (inquit) quòd id quod secundum se „ convenit alicui, est inseparabili ab ip„ so; esse autem per se, convenit for„ mæ, quæ est actus. Cum autem anima ex sua natura sit actus, convenit ei, & esse, & durare; nam materia in tantum habet esse, in quantum, habet formam; & amittit suum esse, & corrumpitur, cum amittit formam. Cum autem impossibile sit, quòd forma separetur à se ipsa, erit etiam impossibile, quòd forma quæ subsistit, desinat, esse: Cum igitur anima rationalis sit forma subsistens, impossibile est, quòd amittat suum esse, nisi per annihilationem.

60 Omnes animæ rationales sunt ejusdem speciei, quia si fuissent specie diversæ, constituerent entia specie diversa, & sequeretur quòd Petrus, & Paulus essent specie diversi, quod est absurdum. Sed quamvis omnes animæ æquales sint in perfectione specifica, tamen sunt inæquales in pefectione substantiva, & individuali, extra conceptum specificum; & hoc propter duo: Primum, quia actus, & forma recipiuntur in materia, secundum materiæ capacitatem; & cum aliqua corpora sint melius disposita, recipiunt animas majoris virtutis ad intelligendum, & amandum: „ Quanto corpus est melius dispo„ situm (ait D. Thomas 1 *p q 75 art. 7.* „ *in corp.*) tanto meliorem sortitur ani„ mam; quod manifeste apparet in his quę „ sunt secundum speciem divisa, cujus „ ratio est; quia actus, & forma reci„ piuntur in materia secundum materiæ „ capacitatem: Unde etiam cum in ho„ minibus quidam habeant corpus me„ lius dispositum, sortiuntur animas ma„ joris virtutis in intelligendo: Unde di„ citur in secundo de anima, quòd mol„ les carne bene aptos mente videmus. Sed licèt hæc inæqualitas non a substantiali excellentia animæ, sed à potiori corporis dispositione, & temperamento dependeat; in secundo autem modo illam concedit Angelicus.

61 Quæ solet esse ex parte inferiorum virium, quibus anima indiget ad suas operationes, ut sunt virtutes, & habilitates animæ: Unde supponere videtur differentiam substantivam, & individualem, quod his verbis exprimit: „ Alio modo contin„ git; hoc est, ex parte inferiorum vi„ rium quibus intellectus indiget ad sui „ operationem. Illi autem in quibus vir„ tus imaginativa, cognoscitiva, & me„ morativa, sunt melius dispositæ, sunt „ melius dispositi ad intelligendum (*D. Thom. ubi supra.*) Et si hæc substantiva, & individualis inæqualitas non daretur, dici poterat, quòd anima Judæ proditoris erat æqualis in sua entitate Animæ Beatissimæ Virginis Mariæ, quod non est dicendum. Animæ verò Christi conceditur ingens excellentia à cæteris creatis, adhuc per Auctores contrariæ sententiæ (referente Molina *In 3 p. D. Th. q. 5. art. 3. in exposit.*) quia nimirum Anima Christi exstitit per esse Divinum; cæteræ verò existunt per esse creatum.

62 Hanc animarum inæqualitatem videtur confirmare Salomon, dum dicit. *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam; & cum essem magis bonus, veni in corpus incoinquinatum.* (*Sapient. 8 19. 20*) Quibus verbis colligitur, quòd cum ejus anima venit in corpus, jam erat aliis melior, siquidem ait, *& cum essem magis bonus veni in corpus:* Ergo antequam veniret in corpus, erat magis bonus: Ergo concedere debemus inæqualitatem animarum; non solùm ex meliori organizatione corporis, sed etiam ex perfectione substantiva, & individuali.

63 Habet hæc anima rationalis pro Palatio suæ habitationis, totum humanum corpus, omnibusque ejus partibus (sine quibus non potest dari homo) unita est. scilicet, visceribus, capiti, pectori, carni, ossibus, &c & ratio est. quia hæc anima informat corpus organicum, quod in omnibus ejus membris consistit: Unde similiter unita est omnibus organis sensuum, tam internorum, quàm externorum, & hic etiam quæ cognitioni, & amori spirituali deserviunt; quia in his omnibus partibus anima sentit, & aliquam operationem vitalem agit, quæ nequit operari ubi non assistit, ut docet D Thomas 1. *p. q. 8. art. 1. sed contra.* Veruntamen unita non est lacti, capillis, dentibus, & ungui-

guibus, quia istæ partes non pertinent ad animalis integritatem, nam absque dolore, & violentia ab eo separantur.

CAPUT VIII.

Utrum anima distinguatur realiter à suis potentiis.

64 VAlde controversa est inter Doctores quæstio illa, utrum scilicet substantia animæ realiter distinguatur à suis potentiis, vel an solùm distinguatur formaliter distinctione rationis, ita ut substantia animæ, ipsæque tres potentiæ, non sint quatuor res distinctæ, sed una tantum cum tribus officiis; nempe, quòd ipsa anima secundum suam essentiam, , & substantiam, cum discurrit, dicitur intellectus; cum recordatur, memoria; & cum objectum amat, voluntas. Et relictis variis rationibus, quibus hanc sententiam defendunt, validiorem tantummodo placet adducere, quæ talis est.

65 Si anima distingueretur realiter à suis potentiis, distingueretur realiter à sua voluntate, nullusque actus per voluntatem elicitus immediate, dici poterat elicitus per animam; ita ut actus voluntatis Petri, dici non possunt eliciti à voluntate Pauli, quia voluntas Petri, & voluntas Pauli realiter distinguuntur: Sed cum voluntas humana elicit actum amoris Dei, imputatur animæ ad præmium; sicut cum elicit actum odii, imputatur animæ ad pænam, ut confirmat Scriptura dicens peccatoribus: *Pedes eorum currunt ad malum; ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas.* (*Proverb.* 1. 16. 18.) Quibus verbis manifestè patet, animam luere quod voluntas deliquit; & cum Justus sit Dominus, & justitias diligat, vultusque ejus videat æquitatem; si voluntas delinquens distingueretur ab anima, videretur animam non posse puniri pro delicto per voluntatem commisso; alioquin anima dicere poterat quòd Deus puniret voluntatem, quasi mali operis ream; non verò animam, quia realiter distincta erat à voluntate, & hoc modo peccati rea non erat; quæ omnes sequelæ sunt expresse adversus fidem; anima quippe solvit quod voluntas peccavit: Ergo dici non potest quòd anima realiter distinguitur à suis potentiis, sed formaliter tantum propter varios connotatus, & officia.

66 Sed non obstante hoc argumento, cui facile infra faciemus satis, dicimus quòd substantia animæ realiter distinguitur à suis potentiis, quæ nihil aliud sunt, nisi quædam proprietates quæ ab anima tanquam à radice nascuntur; quod probant D. Thomas 1. *p. q.* 37. *art.* 1. Suarez *Tom.* 1. *de Metaphys. disp.* 8. *sect.* 3. & alii plerique. Cum enim per Philosophum *De prædicam. cap. de qualitat* hujusmodi potentiæ collocentur in prædicamento qualitatum, & anima sit substantia, debet necessario à suis potentiis realiter distingui.

67 Dionysius item *Cœlest. Hierar. c.* 2. distinguit in Angelis essentiam, virtutem, & operationem: ergo multo plus in anima debet distingui, ita ut una res sit anima, & altera ejus virtus, & operatio: Cui videtur, assentire Augustinum *De Trinit. lib.* 15. *cap.* 7. aperte dicentem, quòd mens non est anima; & Angelicus *ubi supra* affirmat „ Quòd impossibile „ est dicere quòd essentia animæ sit ejus „ potentia, licèt hoc quidam posuerint; „ & hoc dupliciter ostenditur quantum „ ad præsens. Primò, quia cum potentia, & actus dividant ens, & quomodolibet genus entis, oportet quod ad „ idem genus referatur potentia, & a„ ctus, & ideo si actus non est in genere „ substantiæ, potentia quæ ducitur ad il„ lum actum, non potest esse in genere „ substantiæ. Operatio animæ non est in „ genere substantiæ, sed in solo Deo, „ cujus operatio est ejus substantia; un„ de Dei potentia, quæ est operationis „ ejus principium, est ipsa Dei essentia: „ Quod non potest esse verum, neque in „ anima, neque in aliqua creatura.

68 Secundò, hoc etiam impossibile „ apparet in anima, nam anima secun„ dum suam essentiam est actus; si ergo „ ipsa essentia animæ esset immediatum „ operationis principium, semper habens „ animam, actu haberet opera vitæ; si„ cut semper habens animam, actu est „ vivum, non enim in quantum est for„ ma est actus ordinatus ad ulteriorem actum,

„ actum, sed est ultimus terminus generationis: Unde quòd sit in potentia adhuc ad alium actum, hoc non competit ei secundum suam essentiam in quantum est forma, sed secundum suam potentiam & sic ipsa anima secundum quod subest suæ potentiæ, dicitur actus primus ordinatus ad actum secundum; invenitur autem habens animam non semper esse in actu operum vitæ; unde etiam in definitione animæ dicitur, quòd est actus corporis potentia vitam habentis; quæ tamen potentia non abjicit animam. Relinquitur ergo quòd essentia animæ non est ejus potentia; nihil enim est in potentia secundum actum, in quantum est actus. Hucusque Angelicus Præceptor.

69 S. Anselmus etiam *Lib. de casu Diabol c.8* ait: *Conversio voluntatis ad bonum, aut ad malum, est quasi ejus essentia, sed non substantia*. Ergo judicat esse accidens distinctum à substantia, & cum animæ substantia sit corporis actus, & potentiæ non sint actus corporis, necessario distingui debent realiter ab anima: Ergo anima, & ejus potentiæ realiter distinguntur.

70 Nec argumentum supradictum obstat, scilicet, quòd si anima realiter distingueretur à suis potentiis, sequeretur, quòd nec actibus bonis, nec malis suæ voluntatis mereri, nec demereri posset, subindeque nec digna gloriæ, aut supplicii efficeretur, quia respondemus, animam agere actus voluntatis immediate, non tamen cum immediatione proximæ, & instrumentalis virtutis, sed cum immediatione virtutis principalis, radicale quippe principium quod primario per illos actus amat, vel odit, non est voluntas, sed anima, sicut similiter dicitur de homine, qui immediate agit operationes voluntatis immmediatione suppositi, quin obstet, quòd inter hominem, ejusque voluntatem medient duo principia, unum proximum, quod est voluntas, & aliud radicale, quod est anima: Itaque anima meretur per actus necessarios voluntatis, sicut & punitur per actus voluntatis malos, & peccaminosos, quamobrem nulla ratione conquereretur, si pro illis supplicium, aut pœnam sustinet, cum ipsa sit radix, & principium illarum operationum.

71 Ex quibus deducitur quòd anima quoad suas potentias se habet in ordine naturali, sicut gratia sanctificans se habet quoad virtutes in ordine supernaturali, quia sicut anima est radix suarum potentiarum, ita gratia sanctificans radix est omnium virtutum, propterea dici solet, quòd gratia in ordine superiori, est quasi anima in ordine inferiori, & sicut virtutes realiter distinguntur à gratia sanctificante, ita similiter potentiæ animæ realiter ab ea distinguntur.

72 Potentiæ igitur sunt quasi proprietates physicæ, ab ipsa anima, & ejus essentia emanantes sed cum hoc discrimine, scilicet, quòd tres potentiæ spirituales, & superiores emanant ab anima independenter à corpore; Potentiæ verò inferiores, & sensitivæ emanant ad anima ut unita corpori. Et hæc more nostro sufficiant ad stabiliendam nostram sententiam, quam oportuit nos amplecti, ut Magister intelligere valeat, quòd in libris mysticis continetur, nempe quòd quædam communicationes, tactus, & purgationes, fiunt in animæ substantia, & non in potentiis, & hujusmodi realem distinctionem negaremus; præsertim cum apud communem sensum gratia sanctificans recipitur in animæ substantia, & non in potentiis; & habitus virtutum, & donorum subjectantur in potentiis, & non in substantia animæ.

CAPUT IX.

De prima, & superiori potentia animæ, scilicet de intellectu, sive potentia cognoscitiva spirituali.

73 Cognito jam in capite antecedenti quid sit anima secundum suam essentiam, & substantiam, restat eam cognoscere secundum ejus potentias superiores, & spirituales, quæ ab ipsa independenter à corpore enascuntur; vel ut melius loquamur, quæ sint potentiæ superiores, & spirituales animæ? Prima ergo dicitur INTELLECTUS, sive

G SUPE-

SUPERIOR, ET UNIVERSALIS RATIO; per hanc homo a brutis diſtinguitur; & quòd magis eſt, Deo, & Angelis aſſimilari dicitur; itaque ſic rectè definitur: POTENTIA COGNOSCITIVA SPIRITUALIS PER CONVERSIONEM ad PHANTASMATa Per potentiam quippe cognoſcitivam (quod eſt genus), convenit cum ſenſibus externis, & internis, qui ut ſupra *cap.* 1. *nu.* 9. diximus, vocantur potentiæ cognoſcitivæ, ex eo quod poſſunt vitaliter objecta percipere: Per verba illa per converſionem ad phantaſmata (quæ eſt differentia) diſtinguitur intellectus humanus ab intellectu Divino, & Angelico, qui ad cognoſcendum non indigent ad phantaſmata converti: Intellectus autem humanus ut naturali modo cognoſcat, debet converti ad phantaſmata; hoc eſt ad ſpecies materiales in ſenſu communi, ſive phantaſia repoſitas, & ab illis abſtrahendo, ſive auferendo earum materialitatem, extrahit ſpeciem ſpiritualem, quæ modo ſpirituali repræſentat objectum materiale, quod per illud phantaſma erat repræſentatum, ut ſpeciem accommodando potentiæ, ex utraque fiat unum principium phyſicum cognitionis objecti, & hic eſt modus naturalis cognoſcendi. In modo tamen, & ordine cognoſcendi ſupernaturalis, non indiget ad phantaſmata converti, ut infra videbimus, & tenet Bernardus *Serm.* 31. & 41. *in Cant.*

74 INTELLECTUM dividimus in AGENTEM, ET PATIENTEM: Dicitur *patiens*, in quantum recipit ſpeciem ab ipſo effectam: Dicitur *agens*, in quantum format ſpeciem ſpiritualem, & per eam cognoſcit; quod quidem agit tripliciter. Primò illuminando phantaſmata, hoc eſt formando ſpeciem ſpiritualem objecti, qua perfectius cognoſcatur: Secundò, reddendo res intelligibiles in actu; vel in potentia, & diſpoſita, & producta ſpecie, & cognitione illius, dicitur res intelligibilis in actu: Tertiò, abſtrahendo à phantaſmatibus, ſicut in præcedenti numero diximus.

75 Triplicem actum, ſive modum operandi habet intellectus, & ſunt APPREHENSIO, JUDICIUM, ET DISCURSUS: Apprehenſio eſt duplex: Una SIMPLEX, & alia SIMPLICISSIMA. Simplex apprehenſio eſt illa, quæ cognoſcit plura objecta per unum ſimplicem intellectualem intuitum, nihil affirmandò, vel negando in objecto, ſed illud ſimpliciter intuendo. Simpliciſſima apprehenſio dicitur illa, quę ſolùm cognoſcit unum objectum per unicum etiam intellectualem intuitum, nihil in eo affirmando, vel negando; & hic actus regulariter eſt contemplationis proprius.

76 JUDICIUM eſt actus, quo intellectus cognoſcit objectum, in eo aliquid affirmandò, vel negando; ad quod refertur cognitio Dei per affirmantem, vel negantem Theologiam, ut fusè docet S. Dionyſius: Et huic judicio, ſive actui intellectûs principaliter tribuitur objectum adæquatum illius, nempe verum, vel falſum, quamvis ab eo non excludatur ſimplex, nec ſimpliciſſima apprehenſio; nam licèt cognoſcere ut verum, vel falſum proprie pertingat ad affirmationem, vel negationem judicii intellectualis, & ſimplex, & ſimpliciſſima, apprehenſio nihil affirment, aut negent, tamen eminenter in ſe ipſis continent affirmationem, aut negationem; nam ſi intellectui apprehendenti interrogaretur de objecto, illico de veritate, vel falſitate illius plura judicia faceret. DISCURSUS denique eſt actus; quo intellectus, vel affirmando, vel negando inveſtigat, inquirit, diſcurrit, vel infert unum ex alio in objectò cognitio; & hic eſt proprius meditationis actûs.

77 Conceptus productus ab intellectu agente mediante ſpecie quam recipit ut patiens, dicitur ACTIO IMMANENS, ſive intellectio, quæ manet unita cum ſua cauſa producente; & propterea immanens vocatur, & terminus productûs dicitur VERBUM MENTIS, quod eſt qualitas producta ab intellectu, mediante illa actione. Hinc Sancti, & Theologi terminos ſumpſerunt, quibus nobis exponerent æternam Verbi Divini generationem, per unum actum intellectus Æterni Patris; nam ſicut in Divinis producitur Verbum Divinum ſubſtantiale per unam actionem immanentem ſubſtantialem; ita in humanis producitur verbum accidentale, quod eſt qualitas, per unam actionem immanentem, quæ etiam eſt qualitas: Unde intellectus ad cognoſcendum nihil aliud

pro-

producit, nisi hanc qualitatem, quæ est intelligendi actus.

78 Dicitur hic conceptus, verbum (& valde notetur quia necessarissimum est ad res supernaturales.) quia licèt hoc quod est verbum, si strictè sumatur, tantum convenit vocibus; proprie etiam accommodatur huic conceptui intellectuali, quia ad manifestationem rerum, quas explanare intendimus, verba in interiori formantur, vel percipiuntur, & hic conceptus similiter fit, ut intellectus cum semetipso loquatur, sibi manifestando, & explanando objectum quod percipit, quamobrem non est improprium hujusmodi conceptum vocare verbum mentis; quòd expressè confirmat Scriptura dicens. *Scribæ, & Pharisæi dicebant intra se.* (*Lucæ* 5. 21.) Et alibi: *Dixerunt impii intra se cogitantes.* (*Matth.* 9. 3.) Et pluribus aliis Scripturæ locis hic conceptus vocatur verbum, & locutio; & intellectus talem actum producens, dicitur loquens.

79 Ex his actibus, sive cognitionibus intellectus, una dicitur DIRECTA, & alia REFLEXA. Cognitio directa illa est quæ directè cognoscit objectum, quin aliquid simul cum ipso cognoscat. Cognitio reflexa est, quando non solum intellectus cognoscit objectum, sed simul cognoscit quod illud cognoscat: Unde cum intellectus cognoscit objectum per solam cognitionem directam, tunc ipse ignorat quod tale objectum cognoscat, quinimo & putat illud non cognoscere & ratio est, quia ut intellectus percipere valeat quod cognoscit objectum, indiget cognitione reflexa, quæ super cognitionem objecti reflectat; cum autem hac reflexa cognitione careat, quia supponimus habere tantum cognitionem directam, impossibile est quòd cognoscat, se objectum cognoscere, quamvis verum sit quòd tunc intensius objectum cognoscit, quia tunc habet omnes vires suas collectas, & in unico objecto unitas; quas dum habet, cognitionem reflexam in duo objecta dispergit; nempe in objectum, & in illius cognitionem; & cum virtus unita fortior sit se ipsa dispersa, subinde longè perfectior est, & intensior cognitio directa, quàm cognitio reflexa.

80 Hujus ignorantiæ causa nimis anguntur animæ contemplativæ; cum enim curant in Dei contemplatione persistere, & actu divinam essentiam contemplari, sæpissime illis contingit, quòd nihil de ejus essentia distinctè percipiant; scilicet, non cognoscant quòd divinam essentiam cognoscunt, sed tantum obsentiunt caliginem quietam, & pacificam & spiritum in profundo silentio, quasi divinum eloquium auscultantem; unde nimis turbantur cogitantes nihil tunc agere, & frustra tempus terere: Sed malè, quia tunc perfectius, & intensius Deum cognoscunt per cognitionem directam, quam cognoscere, & percipere nequeunt, quia reflexa cognitione carent; quamobrem eos sedare debet Magister, & eorum ignorantiæ compotes facere.

81 Et ne trepidare possit Director, scire oportet; quòd juxta veriorem opinionem intellectus quantum ad ejus naturale exercitium, nequit habere carentiam actus; hoc est, dum homo dispositus est, vivit, & vigilat, impossibile est unum, aut aliud non cognoscere; quia licèt interdum nobis videatur nihil cogitare, non ideo est quia nihil cogitemus, sed quia caremus cognitione reflexa, quæ super directam cognitionem quam tenemus, reflectat; quod valde notare debent Magistri. Sunt namque plures animæ, quæ dum, per aliquod tempus in quieta, & directa Dei cognitione persistunt, in se ipsas reversæ, putant nihil eo tempore cogitasse, tempusque otiose amisisse; Unde debet attendere Magister, si dum ab illa oblivione revivifcunt, fortiores, fervidæ, & ad Deum conversæ inveniuntur, quia tunc proculdubio non otiosæ, sed divinitus fuerunt occupatæ: Si verò nullum ex his effectibus percipiant; vel otiosæ, vel in aliis objectis dispersæ, vel oppressæ à somno perstiterunt.

82 CONSCIENTIA (ut tenet D. Thomas 1. p. q. 79. art. 4.) non est potentia, sed actus intellectus, vocaturque a S. Basilio dictamen judiciarium; utique ad actum, sive judicium intellectus pertinens; sicque rectè definitur: DICTAMEN RATIONIS DICTANS QUOD HOC, AUT ILLUD DEBEAT OPERARI. Dividitur in Conscientiam Certam, OPINATIVAM, Dubiam, Erroneam, & Scrupulosam. *Conscientia certa* est, quando intellectus

certo judicat aliquid, agendum, vel evitandum: *Opinativa* est, cum licèt intellectus judicet aliquid esse licitum, vel illicitum, habet tamen formidinem, quòd pars opposita tutior, aut verior sit.

83 *Dubia* conscientia (quæ proprie non est conscientia) dicitur, quando intellectus aliquid cognoscit per veritatem, aut falsitatem, quin ad neutram earum partem audeat se inclinare: *Erronea* illa est, cum intellectus in rei cognitione errat, credendo scilicet bonum malum, vel malum bonum. *Scrupulosa* quæ improprie conscientia dicitur, illa est, cum intellectus dictamen elicit deductum ex levibus rationibus, & frivolis fundamentis, illic trepidando timore ubi non erat timor; quod sæpius adesse potest cum certo judicio de contrario, ut cum Medicus Sacerdoti affirmat legitimè esse impeditum propter infirmitatem ad divinum pensum exolvendum, quod & ipsi similiter videtur; & nihilominus mille scrupulis angitur si non persolvit.

84 Alia est CONSCIENTIA SPECULATIVA, quæ judicat in communi, aut in abstracto, aliquid esse licitum, vel illicitum: Alia est PRATICA, quæ ex circunstantiis occurrentibus hic, & nunc judicat aliquid esse licitum, vel illicitum. Hæc omnia conscientiarum genera summatim obtulimus Directoribus, quarum diffusam notitiam à moralibus libris debent comparare, quia ad suum munus perfecte adimplendum necessaria est.

CAPUT X.

Prosequitur materia antecedentis capitis.

85 Alius est actus intellectus, qui dicitur FIDES, quæ est Judicium quo affirmamus aliquid, vel negamus assentientes illi. Dividitur in FIDEM DIVINAM, ANGELICAM, ET HUMANAM. *Fides Divina* est, quando aliquid credimus, quia ita revelatum est à Deo: *Angelica* dicitur, cum illud credimus quia dictum est ab Angelo: *Humana* dicitur, quando illud credimus quia ab aliqua persona fide digna affirmatum est.

86 Alius est actus intellectus qui dicitur COGNITIO CERTA, quæ est triplex, nempè CERTA MORALITER, CERTA PHYSICE, VEL PHILOSOPHICE, ET CERTA INFALLIBILITER, ET METAPHYSICE. *Cognitio certa moraliter* est, quando judicamus juxta prudentiam, aliquid esse certum: *Certa physicè* vel philosophice est, cum aliquid judicamus certum secundum philosophiam, & per principia naturalia, & necessaria, ut quòd omne accidens recipitur in subjecto: *Certa* infallibiliter, & *metaphysicè* est, quando ita aliquid pro certo habemus, quod adhuc advenïente miraculo nequeat esse incertum; & hanc certitudinem habent omnes actus fidei Theologicæ.

87 *Triplicem* etiam reperimus *infallibilitatem*: una quæ provenit ab infallibilitate objecti, ut si aliquis Gentilis affirmaret quòd Deus est sapiens: Alia est infallibilitas quæ provenit actui ab ipsis principiis producentibus actum, ita ut neque cum miraculo possint esse incerta, ut sunt actus fidei Theologicæ, qui sunt infallibiliter per eorum principium, quia sunt ab habitu hujus virtutis, quæ nequit producere aliquid falsum; & idem habent judicia, quæ sunt effectus auxilii, vel habitus supernaturalis; nullus enim istorum potest esse causa actus falsi. Denique alia datur infallibilitas, quam habent animæ sanctæ, & contemplativæ de divinis perfectionibus; ita ut si fides defuisset, per suam eas experientiam infallibiliter crederent, quin in eis nulla hæsitatio remaneret; quod quidem provenit nostro judicio à Dono Sapientiæ, ut infra suo loco dicemus.

88 Alius est actus intellectus qui dicitur *cognitio intuitiva*, & est, quando res quæ cognoscitur, clare, & præsens intuetur: Propterea visio Beatorum dicitur intuitiva, quia Deum cognoscunt clare, præsentem intuendo; & sicut ait Apostolus, *facie ad faciem*. (1. *ad Corint.* 13. 12.) Alia dicitur *cognitio abstractiva* (non loquimur de abstractione in quantum facit universale, ut in Logica) & est quando res cognoscitur, neque præsens, neque absens; sed præscindendo à præsentia, & absentia, & hæc communior est contemplativis.

89 In-

89 Intellectus quamvis sit limitatus, potest cognoscere plura objecta per modum unius: Sensus tantum cognoscit accidentia extrinseca; intellectus autem potest cognoscere substantias; quæ sub accidentibus latent; Ex quibus quædam sunt *per se sensibilia*, ut ea quæ à sensibus percipi valent; quæ accidentia cognoscit intellectus per proprias species, licèt modo spirituali: Alia sunt accidentia non sensibilia per se, sed *per accidens sensibilia*, ut est qualitas, quam non cognoscit intellectus per proprias species, sed per comparationes, vel negationes; Itaque intellectus cognoscens accidentia per se sensibilia per proprias species, postea cognoscit substantias per discursus, analogias, vel negationes. Sed notandum est, quòd cum intellectus per discursum cognoscit aliquam substantiam materialem, format quandam speciem expressam illius substantiæ; quæ licèt sit imperfecta, aliquo tamen modo repræsentat illam substantiam.

90 Anima rationalis nequit cognoscere se ipsam per se ipsam, quia perpetua sui ipsius cognitione occuparetur, quod est contra experientiam: Idem dicimus de intellectu; & cum se ipsum nequeat per se ipsum cognoscere, debet hoc agere per species suorum effectuum, & actuum & ratio est à posteriori: quia si anima se ipsam, suasque potentias, & habitus posset cognoscere per suas essentias, sequeretur quod eas distinctè cognosceret per cognitionem intuitivam; quod repugnat experientiæ, & provenit ex dependentia sensus corporis, cujus est forma.

91 Intellectus in statu naturali, sive in puris naturalibus, potest aliquo modo Deum cognoscere, quia potest aliquid dupliciter cognosci: uno modo *quoad an sit*; hoc est, si illud existit, vel existere potest; & hoc modo potest intellectus in puris naturalibus Deum cognoscere ut causam causarum, sicut eum noverunt Plato, Aristoteles, & alii Philosophi: Alio modo *quoad quid sit*; hoc est, quæ sit ejus essentia, & prædicata quidditativa; & hoc modo intellectus in puris naturalibus nequid Deum cognoscere. Ex hoc igitur secundo modo cognoscendi, triplex emanat cognitio; nempe COMPREHENSIVA, PERFECTA, ET IMPERFECTA. *Cognitio comprensiva* dicitur, cum distinctè cognoscuntur essentia rei, omnesque ejus proprietates; *Cognitio perfecta* est illa quæ clare cognoscit essentiam rei, & aliquas ejus proprietates, sed non omnes: *Cognitio imperfecta* dicitur, quando cognoscitur res per ejus prædicata communia, ut cum cognoscitur homo tanquam ens, vel substantia.

92 Intellectus in statu naturali nihil potest cognoscere nisi se convertendo ad phantasmata; propterea ait Philosophus: *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.* Neque supernaturalia (ut tenet D. Thomas 1 *p. q.* 84. *art.* 7.) alio modo cognoscere valet: Quod proculdubio intelligendum est de statu, & modo naturali cognoscendi; non verò de statu, & modo supernaturali per fidem, in quo cognoscere potest per species, non per sensus sumptas, sed ab habitu fidei ministratas; quandoquidem cognoscere Deum per conversionem ad phantasmata, sit eum cognoscere quasi materialem, vel materiali similem: Et cum prima omnium causa; & propria ejus species, quam format intellectus per habitum fidei, non sit materialis, nec materiali similis; ideo intellectus in hoc statu non indiget se ad phantasmata convertere: Et licèt possit aliquando fide innixus per creaturas, & earum species in cognitionem Creatoris venire, species tamen propria Dei nequit ingredi per sensum; neque ad ejus cognitionem necessarium est ad phantasmata converti: Ideo ait D. Thomas; 1. *p. q.* 84. *art.* 5. *ad* 3.
„ Incorporea quorum non sunt phantasmata, cognoscuntur à nobis per comparationem ad corpora sensibilia, quorum sunt phantasmata: Deum autem (ut Dionysius dicit) cognoscimus ut causam, & per excessum, & per remotionem. Et alibi *In* 3. *dist.* 34 *q.* 1. *art.* 4. In statu vitæ, spiritualia, & præcipue Deum, magis videmus cognoscendo quid non est, quàm apprehendendo quid est; ideo quantùm ad statum vitæ ponitur cordis munditia; non solùm à passionum illecebris, sed etiam ab erroribus, à phantasmatibus, & ab spiritualibus, à quibus omnibus docet abscedere Dionysius in libro de Mystica

Theo-

" Theologia *Cap* 1. *& de cœlest. Hierarch.* " *cap.* 13. tendentes in divinam contem- " plationem. Idem docet in aliis locis (*D Thom.* 1 *p qu.* 84. *art* 5. 6. *&* 7. *& q.* 105 *art* 4. *& in* 3. *dist* 35. *q* 2. *art.* 2. *&* 2. 1 *q.* 81. *art.* 1. *& in* 2. *ad Corinth* 12 *lect.* 1) & tenent Gregorius *Hom.* 17. *in Ezech.* Laurentius Justinianus: *Lib. de cast. connub. cap.* 12. Augustinus, *Tract.* 107. *in Joan & lib.* 12. *in Genes. cap.* 3. *& de rapt. Paul cap.* 6 S. Bonaventura, *De itin æter. itin* 5. *dist.* 4 Albertus Magnus, *Lib. de adhærend. Deo, cap.* 8 Cardinalis Toletus, *q.* 12 Gregorius de Valentia, *To.* 1 *comm. disp.* 6. *q.* 1. *punct.* 3 & præcipue Dionysius Carthusianus, *In com. Myst. Theol art.* 2. qui hoc latè, & eruditè confirmat, & aliquibus D Thomæ, & Dionysii sententiis malè intellectis, subtiliter respondet, qui omnino videndus.

93 Intellectus secundum se, (D. Thoma teste 1. *p. q.* 82. *art* 3) est potentia nobilior voluntate, quia quanto aliquid est simplicius, & abstractius, tantò secundum se est nobilius, & altius: Cum autem objectum intellectus sit simplicius, & magis absolutum, quàm objectum voluntatis, quia nimirum objectum intellectus est ipsa ratio boni appetibilis, bonum autem appetibile, cujus ratio est in intellectu, est objectum voluntatis; ideo objectum intellectus est altius quàm objectum voluntatis, subindeque secundum se est nobilior potentia.

94 Domicilium intellectus est medium capitis, sicut frons est imaginationis; vel ut proprius loquamur, est in anima prout est in illa parte capitis; & ratio est, quia ibi sunt organa, & necessariæ dispositiones à quibus pendent intellectiones, & consequenter ibi debet esse potentia intelligendi; sed non est in anima prout illa est in pedibus, brachiis, &c. sed prout est in illa parte capitis. Nec propterea dici potest animam habere, & non habere intellectum, quandoquidem illa ipsa quæ pedes informat, informat similiter & caput; sed quia in solo capite quasi in sola parte ubi adest intellectionis dispositio, ibi exercet actus intellectus; quamobrem dicimus ibi intellectum, vel potius animam intelligentem hospitari.

CAPUT XI.

De secunda potentia animæ, nempe de Memoria, sive reminiscentia spirituali.

95 PEr memoriam spiritualem intelligimus illam potentiam superiorem cognoscitivam, quæ in se conservat species spirituales objectorum, quæ intellectus primò cognovit, quibus possit eadem objecta iterum, iterumque cognoscere; & hanc potentiam vocamus memoriam in actu primo, quia est immediata dispositio ad eam, quam dicimus memoriam in actu secundo, sive in exercitio: & est ille actus, quo iterum cognoscitur objectum, qui etiam vocatur reminiscentia: Quamobrem dicere solemus, hominem carere memoria, cum illius quod jam cognovit oblivisscitur; quamvis iste potius sit actus potentiæ, quàm ipsa potentia.

96 MEMORIA igitur in actu primo est; POTENTIA SPIRITUALIS, COGNOSCITIVA OBJECTI PER SPECIES, QUÆ REMANSERANT EX ALIIS COGNITIONIBUS EJUSDEM OBJECTI. Ex hoc colligitur non esse actum memoriæ illum, qui quamvis iterum cognoscat objectum cognitum, non cognoscit illud per easdem species quibus antea cognitum fuit, sed per species novas; quia memoria non solum consistit in cognitione objecti jam cogniti, sed in cognitione ejusdem objecti, & cum eisdem speciebus, quæ ex preterita ejus cognitione remanserunt in potentia: Itaque dum anima Dei ricordatur per novam speciem, improprie Dei ricordari dicitur, sed potius quòd Deum recenter cognoscit.

97 Etiam colligitur quòd Deus propriè non habet memoriam, quia semper est in actu cognoscendi; nec indiget speciebus ad cognitionem, quia in omnibus essentialiter assistit, & cognoscere per species est imperfectio potentiæ creatæ, quæ his adminiculis indiget ad cognoscendum; in Deo autem nulla imperfectio dari potest Cum autem solùm dicatur memoria illa, quæ iterum cognoscit objectum cognitum, & per easdem species quibus antea illud cognoverat; & in Deo neque dari possit secunda cognitio, nec species; sequitur quòd

Deus

Deus proprie non habet memoriam. Cum verò legimus in Scriptura Deum oblivisci, vel recordari, intelligendum est metaphoricè, ita ut quando dici ur irasci, & pœnitere; quæ omnia in Deo repugnant; sed tamen sic dicitur, quia in ordine ad creaturas eosdem parit effectus ac si recordaretur, oblivisceretur, vel pœniteret.

98 Non indiget ut actus memoriæ sit, quòd cognoscatur cognitio qua antea cognitum fuit objectum; sed quòd illud cognoscatur per easdem species, quibus antea fuit cognitum, & ratio est; quia cum memoriam jam apud se habet species proprias objecti, non indiget reflectere super cognitionem, sed super speciem. Quod manifestè patet in brutis, de quibus nemo dubitare potest quòd habeant memoriam sensitivam, siquidem recordantur feriri virgis, & pasci panibus; unde hoc quærunt, & illas fugiunt; & communiter dicitur quòd potentia materialis (ut est brutalis) in suos actus non reflectit; Ex quo deducitur, quòd multo minus memoria spiritualis indigebat reflectere in suos actus.

99 Difficilius cognoscere possumus in memoria: unde excitetur species quibus recordamur, quandoquidem quod experimur penitus ignoramus. Aliqui dixerunt quòd species conservantur in potentia per quandam concatenationem qua unæ cum aliis connectuntur quamobrem sæpè excitantur species per cognitionem rerum præcedentium, ut in nobis omnibus accidit, quòd per antecedentium rerum cognitionem, suo ordine excitantur sequentium species; quodsi ordinem invertimus, illico turbamur, & confundimur; & si forte aliquis de quarto verbo orationis Dominicæ interrogaretur, si ab exordio orationis non inciperet, illud referre difficiliter posset: Ex quo colligi videtur, quòd species subsequentes excitantur ab antecedentibus, quæ sunt in memoria.

100 Aliquando excitantur species à voluntate volente aliquod objectum cognoscere; interdum etiam à phantasia, & interdum à Deo, ut recordemur beneficiorum ejus, suppliciorumque & aliorum quæ ordinantur ad consectandam virtutem, & ad fugienda vitia. Sæpe species memoriæ sensitivæ excitantur ab externis sensationibus; sæpius ab humoribus, occupantibus cerebrum, ut contingit in somnis; sæpissime denique ab Angelis bonis, vel malis: Ab illis, ad nostram reformationem, & eruditionem: Ab istis, ad inferendas animæ deceptiones, & pravas cogitationes. Cum enim hujusmodi species non possunt per se ipsas excitari, necessario danda est causa excitans, quia si per se ipsas excitaretur, nullo modo posset memoria diu permanere absque earum recordatione; & experientia docet, quòd per plures annos remanent conservatæ in potentia, quin earum reminiscatur, quousque ab aliqua ex prælibatis causis excitatur.

101 Memoriam non distinguimus realiter ab intellectu, sed tantum formaliter, per rationem, connotata, & officia, quia nimirum in se conservare species intelligibiles, & per eas iterum objectum cognitum cognoscere, pertinet ad intellectum, qui per se ipsum potest hæc duo officia adimplere, nec ullo modò necesse sit aliam multiplicare potentiam, & ratio est; quia cum intellectus sit potentia cognoscens verum secundum totam ejus latitudinem, se extendere potest ad ejus cognitionem secundum omnes ejus differentias, tam in statu præsenti, quàm in futuro, vel præterito; & cum hic sit actus memoriæ, quem mediantibus speciebus cognitæ veritatis facit, sequitur quòd non indiget nova potentia.

102 Cum igitur memoria non distinguatur realiter ab intellectu, quem diximus hospitari in humano capite, idem dicendum est de memoria; cum hoc tamen discrimine, & quòd cum intellectus exercet officia tantum intellectiva, actus producit in medio capitis, ut supra diximus: *cap. 10 nu. 94.* Cum verò intellectus exercet hæc memorativa officia, actus producit in extrema parte capitis, sive in occipitio, & ratio est à posteriori; nam illis qui infirmitate oblivionis laborant; in hac extrema cerebri parte remedia apponuntur; & qui volunt fœlicem, & promptam habere memoriam, candenti ferro eandem partem torrent, & exsiccant; ut factum fuisse dicitur ab Alphonso de Madrigal, Episcopo Abulensi, qui omnes illius sæculi homines admiranda profus-

sus memoria antecessit; unde colligitur, ibi adesse organum, & dispositiones memoriæ.

103 In hujus denique directione potentiæ debet spiritualis Magister multum laborare; ordinanda quippe est ad Deum, & à superfluis creaturarum speciebus evacuanda; quia ejus inordinatio plura animæ confert dispendia; Ad quod omnino videndus B. Joannes à Cruce *Ascen. Mont. Carmeli, à cap. 1. usque ad 14 inclusive* qui luculenter, & diffuse modum tractat ducendi, & ordinandi hujusmodi potentiam.

CAPUT XII.

De tertia superiori animæ potentia, sive de voluntate spirituali, ejusque requisitis ad perfectam libertatem.

104 APpetitus rationalis hominis, sive voluntas superior, quæ in anima rationali sceptrum imperii tenet, definiri sic potest: POTENTIA APPETITIVA SPIRITUALIS, AD VOLENDUM BONUM, ET AD ODIENDUM MALUM Quę per hunc duplicem actum amoris, & odii, volitionis & nolitionis, vocari potest VOLUNTAS, & NOLUNTAS. Per primum habet pro objecto adæquato bonum in communi: Per secundum verò, malum in communi. Bonum est triplex, nempè BONUM HONESTUM, UTILE, ET DELECTABILE. *Bonum honestum* illud est, quod tanquam decens, virtuosum, & laudabile repręsentatur huic potentiæ: *Bonum utile* est illud quod ei proponitur ab intellectu sub aliqua commoditate propria, vel aliena: *Bonum delectabile* est illud quod ei proponitur tanquam sapidum pulchrum, & delectabile: Malum etiam è converso est tripliciter, oppositum scilicet huic triplici bono.

105 Hæc voluntas est potentia cæca; nec quidquam potest velle, vel nolle, nisi id ei ab intellectu tanquam bonum, vel malum proponatur; nec contrarium est dabile, etiam de potentia Dei, ordinaria; quare ait axioma Philosophicum, NIHIL VOLITUM, QUIN PRÆCOGNITUM. Bonum autem quod est adæquatum objectum voluntatis potest dupliciter proponi ab intellectu, scilicet vel cum indifferentia, vel sine illa. Tunc dicitur repręsentari cum indifferentia, quando neque proponitur totaliter bonum, nec totaliter malum, sed partim bonum, & partim malum, sicut mortificatio, aut pœnitentia, quæ proponitur sub bonitate honestæ utilitatis; & simul proponitur sub malitia veræ incommoditatis: Tunc verò dicitur repræsentari sine indifferentia, quando proponitur tanquam totaliter bonum, vel totaliter malum, & tunc voluntas non est libera ad operandum; ut contingit Beatis in visione Beatifica, in qua eis adeo bonus proponitur Deus, quod nec cum malitia incommoditatis repræsentatur: Et quia circa hujus potentiæ libertatem multum interest Magistrum instruere, longiorem solito de ejus requisitis sermonem protrahemus.

106 Triplex igitur datur libertas; scilicet LIBERTAS ALIENA A SERVITUTE, LIBERTAS ALIENA A COACTIONE, ET LIBERTAS ALIENA A NECESSITATE. *Libertas aliena à servitute*, solum dicitur libertas, in quantum homo est liber à captivitate, quæ necessitatem inducit; & huic reducitur quælibet carentia obligationis, ut peccati, pœnæ, vel debiti legalis.

107 *Libertas aliena à coactione* dicitur illa quæ caret repugnantia, vi, vel violentia: coactum nanque non solum dicit violentiam, & vim extrinsecam, verumetiam intrinsecam in voluntate, propterea non sunt idem violentum, & necessarium. Neque voluntas libera à coactione dicitur libera à necessitate: quod manifeste patet in actu Beatorum, qui habent voluntatem liberam à coactione, tametsi liberam nón habeant à necessitate; quia quamvis necessario Deum diligant, & habeant necessitatem extrinsecam; carent tamen intrinseca repugnantia voluntatis: Unde hic actus Beatorum est omnino liber à coactione, & non liber à necessitate.

108 Nec similiter actus ille quo Deus diligit semetipsum, nec motus primo primi voluntatis creatæ sunt liberi à necessitate, sed dumtaxat à coactione; & hæc potest esse dupliciter: Una simpliciter, & abso-

absoluta; & alia *secundum quid*: Absoluta simpliciter est, quando per absolutam, & inevitabilem violentiam cogimur aliquid operari; aut omittere: Dicitur secundum quid quando aliquo modo cogimur ad operandum; nempe per nimias preces, minas, aut supplicia; quibus licèt voluntas operetur, & possit non operari, induunt nihilominus metum cadentem in virum constantem, & tollunt à voluntate debitam, & sufficientem libertatem.

109 *Libertas libera à necessitate*, quæ est propria, & legitima libertas, necessaria ad meritum, vel ad culpam, illa est, quæ relinquit voluntatem cum indifferentia ad ponendum actum volitionis, vel ejus carentiam: Et hoc quod est esse liberam à necessitate, potest convenire potentiæ, vel ejus actui; unde potentia quæ operatur libera à necessitate, dicitur LIBERUM ARBITRIUM, quod sic potest definiri: FACULTAS VOLUNTATIS, ET RATIONIS. Idemque sonat ac potentia habens indifferentiam ad operandum; vel habens tale dominium in agendo, quod in suo posse omnino sit operari, vel non operari; & hoc modo vocatur homo liber ex natura sua, & sui liberi arbitrii dominus, quia ad libitum potest voluntatem suam determinare ad agendum, vel omittendum, tam in operibus naturalibus, quàm supernaturalibus; & ita definitum est apud Tridentinum. *Sess. 6. c. 5. Can 5 & 6.*

110 Actus vocatur liber, non solum cum emanat à potentia libera, sed etiam quando ipse est liber in sua emanatione; quia licèt potentia libera sit, si tempore operandi non habeat indifferentiam ad eligendum, tunc nec actus, nec potentia liberi dicuntur: Quod tunc evenit, quando voluntas in utraque parte eligenda inspicit malum, & nihilominus unam ex eis eligere adstricta est; tunc enim quamcumque elegerit partem, non peccabit; quia qamvis habeat libertatem eligendi, non habet libertatem eligendi inter bonum, & malum; subindeque caret indifferentia necessaria ad imputabilitatem: Quod valde notare debet Magister pro animabus scrupulosis; quæ dum operari habent, putant in omnibus adesse peccatum; cum revera in nulla earum operatione adsit eis indifferentia eligendi inter bonum, & malum, & tunc in nullo quod elegerint, peccare lethaliter possunt.

111 Est etiam necessarium ad perfectam libertatem potentiæ, quòd illa sit activa, & non passiva; agens, & non patiens; quia libera non est in recipiendo, sed in operando; & facto actu libero, necessario recipiendus est in potentia patiente: Quamobrem cum Deus in anima infundit supernaturaliter lumen, & amorem, non est libera potentia, quousque illis mediantibus operatur: Quod quidem notari oportet ad admissionem, vel renuntiationem eorumdem.

112 Quadruplicem etiam invenimus libertatis modum, scilic CONTRARIETATIS, CONTRADITIONIS, ELECTIONIS SPECIFICÆ, ET ELECTIONIS NUMERICÆ. *Libertas contrarietatis* contingit, cum voluntas libera est ad eligendum in uno objecto ex duobus contrariis unum; ut amare, aut odire; & propterea dicitur contrarietatis, quia amor, & odium sunt inter se contraria; & hæc est libertas propria, & imputabilis.

113 *Libertas contradictionis* tunc evenit, cum voluntas libera est, & indifferens ad ponendum actum dilectionis, vel odii; vel ad ponendam carentiam eorum actuum; & propterea dicitur contradictionis, quia actus, & ejus carentia contradictoriè opponuntur; & hæc etiam est propria libertas, & imputabilis; quia potest liberè amare bonum, aut non amare; & odire malum, vel non odire; & utrumque imputabile est.

114 *Libertas specifica* non est propria libertas; & tunc contingit, quando voluntas libera est ad amandum Paulum, vel Equum, cum libera est ad prosequendum Paulum amore charitatis, vel amore proprio; & propterea dicitur electionis specificæ, quia Paulus, & Equus sunt diversæ speciei, & similiter amor charitatis, & amor proprius. Hæc non est propria libertas, non enim est contrarietatis, quia supponimus voluntatem amaturam; nec est libertas contradictionis, quia cum amare debeat ut supponimus nequit ponere actum amoris; vel

ejus carentiam, quæ necessario requiruntur ad indifferentiam perfectæ libertatis.

115 Denique *libertas numerica* est, quando voluntas adstricta est amare aliquod objectum, sed est libera ad eliciendum unum, aut plures actus, vel majoris, aut minoris intensionis; & hæc libertas impropria est, quia caret indifferentia amandi, aut odiendi, vel ponendi actum amoris, aut ejus carentiam, in quibus vera libertas consistit, siquidem supponitur, adstrictam esse ad amandum.

C A P U T XIII.

De aliis requisitis ad perfectam libertatem voluntatis.

116 Requiritur etiam ad perfectam voluntaris libertatem, quòd in ordine causæ efficientis proximæ, habeat completam vim activam, & dominativam ad liberum ejus exercitium, possitque ad libitum amare, vel odire cum potestate completa; quam habere dicitur, cum habet potestatem dominativam indifferentem operandi quod voluerit.

117 Datur *libertas in actu primo*, & *in actu secundo*: *Libertas in actu primo* est ipsa potentia disposita cum omnibus necessariis ad libere operandum: *In actu secundo* dicitur, cum potentia actualiter est in exercitio libere agendi.

118 Requiritur etiam quòd intellectus proponat voluntati objectum cum sufficienti, & indifferendi tranquillitate, ut ipsa libere, & spontanee se determinet; nam si intellectus perturbatur, vel subito rapitur, & movetur (ut contingit in Raptu, & aliis ex passivis communicationibus) vel absque sufficienti judicio, aut deliberatione procedit, voluntas tunc movetur sine sufficienti libertate; sed impetuosè per motum præcipitem, & non plenè deliberatum; quod evenit in motibus primo primis, quibus voluntas præcipitatur absque sufficienti judicio, & deliberatione ad agendum.

119 Ex quo inferre debet Magister spiritualis doctrinam pro animabus scrupulosis, quibus licèt multoties consensisse videatur, revera longè sunt à consensu, & plena libertate operandi, cum regulariter habent intellectum obscuratum, eisque nullum objectum securè, & tranquille, tanquam bonum, vel malum proponit; sed ambigue, & quasi ad vesperum, absque sufficienti judicio; propterea voluntas trepidat, & in omnibus malum timet, unde præcipiti, & indeliberato motu objectum prosequitur. Quamobrem si nimis scrupulosi sint, raro, aut nunquam propter ejusmodi imperfectam libertatem peccabunt lethaliter.

120 Et ratio hujus Indeliberationis est, quia cum timor, & pusillanimitas contrahant, & angustent animæ vires, sicut calor, & audacia dilatant, & extendunt; ex hac contractione, & timore oritur perturbatio intellectus, qui absque sufficienti judicio determinatur; quia timor ille, & tremor conceptus, in nullo objecto dat illi securitatem, qua possit voluntati repræsentare objectum clarè, & affirmativè sub ratione indifferentiæ: Cum autem voluntas cæca sit, nec plus luminis habeat quàm id quod ei tribuit intellectus, ea cum deliberatione, & ambiguitate qua intellectus proponit objectum, eadem voluntas illud amplectitur; unde trepidè, præcipitanter, & absque sufficienti deliberatione operatur, quod sufficit ut absit culpa lethalis, & hoc modo regulariter operantur nimis scrupulosi.

121 Requiritur etiam ad actum liberum quòd proposito ab intellectu objecto indifferendi, maneat voluntas libera ad eligendum quod voluerit, nam si Deus de potestate absoluta impediret electionem voluntatis, careret perfecta libertate ex defectu liberi dominii ad indifferenter agendum: Unde sciendum est, quòd cum voluntas habet judicium indifferens; id est, quando posito ex parte intellectus judicio indifferenti ut voluntas eligat, nihil aliud restat, nisi quòd illa super illud objectum indifferens, suum actum liberum producat, & tunc durante illo judicio indifferenti, nequit Deus adstringere voluntatem ad prosequendum, vel fugiendum objectum, neque ad eligendum unum ex duobus terminis, & ratio est, quia si Deus in hoc casu necessitaret volunta-

luntatem ad actum amoris, necessarium erat ei impedire, non solum quòd actum contrarium odii non produceret, sed etiam quòd non posset producere talem actum: Cum autem stante judicio indifferenti nequeat auferri a voluntate potentia ad actum contrarium, voluntas quippe disposita facit unum aggregatum compositum ex re ipsa, & ex judicio indifferenti; ideo manendo in hac indifferentia, nequit voluntas à Deo necessitari, ut unum ex duobus terminis prosequatur, ad quòd si Deus de potentia absoluta velit necessitare voluntatem ad aliquem actum determinatum, indigeret proculdubio mutare ei judicium indifferens in necessarium, & determinatum, tuncque voluntas libera non fuisset.

122 Etiam requiritur ad debitam libertatem, quòd corpus sit bene dispositum, quia ut tenet D. Thomas 2. 2. *q. 37. art. 1.* licet hoc non attingat substantiam rei spiritualis, potest tamen ingens dolor, perturbatio, aut indispositio humorum, ita vehementer animum occupare, quòd voluntas cum plena libertate nequeat operari; ut passim videmus in lunaticis, fatuis, & acutissimis doloribus laborantibus, qui præcipites, & inordinatas actiones, & verba extra eorum deliberationem proferunt, & operantur.

123 Etiam requiritur ad perfectam libertatem voluntatis prævius Dei concursus, applicans voluntatem ad operandum, ut ambæ causæ; prima scilicet, & secunda, uniantur ad operis causalitatem; & licet ultimo loco collocamus hunc requisitum, primum equidem, & ultimum est in voluntate ad ejus perfectam libertatem: ipse enim Dominus est Alpha, & Omega, principium, & finis nostræ operationis: Ipse nos movet, nos ducit nos adjuvat, & nos perficit: Ipse opus incipit, & nobiscum prosequitur, & in nobis complet, ut qui in nobis dat velle, dat & perficere pro bona voluntate.

CAPUT XIV.

Prosequitur, & concluditur materia Voluntatis.

124 PRinceps actus voluntatis est Amor, qui dividitur in AMOREM CONCUPISCENTIÆ, ET AMICITIÆ, *Amor concupiscentiæ* (non per hunc intelligimus amorem turpem) est ille quo amatur aliquod objectum causa alterius, ut cum voluntas amat bona ut convenientia Petro, aut Paulo, vel sibi ipsi: *Amor amicitiæ* ille est, quo amatur aliquod objectum propter se ipsum; ut cum Deum diligimus propter suam bonitatem increatam, quæ est ejus essentia; & hic est proprius actus charitatis Theologicæ, pertinens ad unionem mysticam animæ cum Deo.

125 Dividitur etiam amor in AMOREM INTENTIONIS, ET ELECTIONIS, *Amor intentionis* est actus quo voluntas amat finem, ut cum amat Beatitudinem, aut Deum tanquam ultimum hominis finem; licet quilibet actus quo amatur finis particularis, & universalis, dicatur etiam amor intentionis: *Amor electionis* est ille actus, quo voluntas amat media ad assequendum finem: ut cum eligit pænitentiam ad adipiscendam sanctitatem; quamvis isti ambo amores in rigore Theologico amores non sint.

126 Voluntas nullò modo potest ferri in incognitum; hoc est nequit prosequi objectum quod intellectus non ante cognoverit; quia licet doceat D. Thomas 1. 2. *q. 27. art. 2. ad. 2.* quod voluntas potest plus amare, quàm intellectus cognoscere; & Hugo Lingoniensis *in Dionys. de Cœlest. Hierar cap. 2* dicat: *Dilectio supereminet scientiæ, plus enim diligitur quàm intelligitur*, quod proculdubio verum est circa objectum cognitum; sed circa objectum incognitum, nec adhuc divinitus dari potest, ex duplici ratione.

127 Prima, quia voluntas essentialiter est potentia cæca, nec manendo in suo esse habet capacitatem ad amandum id ex quo ab intellectu nulla ministrata est notitia; quia cum cognoscitiva non sit, sed volitiva, necessario debet à poten-

tia cognoscitiva habere notitiam objecti, sub ea formalitate, qua possit voluntas in illud ferri, aut ab illo fugere; alioquin non posset se determinare, nec objectum obsequi, cum hoc sit bonum, aut malum cognitum: Ergo manens voluntas in suo esse, & natura, impossibile est etiam divinitus in objectum incognitum ferri, sicut oculus materialis remanens materialis oculus, non potest adhuc divinitus videre Deum, ut latè probat P. Suarez; quia oculus materialis elevatus ad videndum Deum, non remanet materialis oculus, sed fit intellectus, qui solus potest intellectualiter Deum videre; nam potentia, ut intuitive videat, debet se proportionare objecto videndo: Cum autem Deus adhuc divinitus non possit esse materialis, impossibile est adhuc divinitus, quòd oculus materialis videat Deum; & idem dicendum est de voluntate.

128 Secunda ratio est: quia sicut in appetitu innato consequitur formam, vel speciem physicam (sic est forma corporis) propensio, & inclinatio ad centrum, ita similiter amor appetitus eliciti consequitur formam, vel speciem intentionalem, vel apprehensivam, ut est objectum apprehensum ut bonum, & cum certum sit, & adhuc divinitus repugnet, quòd detur appetitus innatus, ubi non datur forma physica, quia non potest dari inclinatio ad centrum, ubi non datur forma corporis gravis; ita etiam nequit adhuc divinitus dari appetitus elicitus, aut actus voluntatis, ubi non datur forma apprehensiva, quia non potest dari inclinatio ad objectum, ubi non adest forma alicujus apprehensionis.

129 Itaque erroneum est dicere, quòd in passiva, & infusa contemplatione voluntas amet Deum, & intellectus nihil cognoscat: Sicut & erroneum est asserere, quòd est aliqua communicatio passiva, & infusa facta solummodo voluntati, quin intellectus nihil cognoscat objecti illius communicationis, quia hoc adhuc divinitus est impossibile; quinimo & mille erroribus, & diabolicis illusionibus expositum. Aliud enim est quòd voluntas circa idem objectum cognitum passivè excitetur, & ideo intense, quòd multo plus in eo amet, quàm intellectus cognoscit; sed ferri, aut excitari ad objectum penitus incognitum, impossibile est.

130 Sed causa prædicti erroris deduci potest ab effectibus, quos anima percipit in his supernaturalibus infusionibus; quia cum Deus incomprehensibilis sit, quanto magis intellectus in ejus contemplatione elevatur, tanto amplius in ejus incomprehensibilitate absorbetur; & eo sublimius extollitur, quo simplicior, & imperceptibilior redditur; ad exemplum Moysis, qui dum Domino magis appropinquavit, *ingressus est in medium nebulæ*. (*Exod.* 24 18.) Cum autem potentia affectiva, ut est voluntas, in sui operatione sit longè palpabilior, quàm operatio intellectus; in ea enim ignis infusi amoris clarè percipitur; lumen verò intellectus tanquam delicatius, & sublimius, vix cognoscitur: Quamobrem falsò putant voluntatem amare, & intellectum nihil cognoscere, & hoc interest Magistrum non ignorare.

131 Voluntas rationalis in tota anima sceptrum imperii tenet, & ad libitum suum, atque obsequium cæteras vires, & potentias ducit, & gubernat; sed hujus operationis modus est valde controversus. Quidam putant quòd voluntas moveat cæteras potentias sibi subjectas per concursum simultaneum; hoc est, cum illis concurrens ad actus producendos, nempe cum sensu visus, auditus, &c ad producendam visionem, & auditionem. Alii volunt quòd fiat per radicationem, subordinationem, & simpathiam: Dicunt enim, quòd quando duæ potentiæ sunt in eadem anima subordinatæ una ad aliam, & una ab alia movetur, mota non indiget aliqua motione reali, & physica impressa in ipsa per potentiam moventem; sed sufficit radicatio sita in anima, per cujus rationem, & simpathiam, una appetente, alia, quæ ei subjecta est, illico movetur ad opus; & hæc sententia est Soti *in* 2. *dist.* 42. *qu.* 1. *concl.* 2. & aliorum.

132 Sed longè probabilior nobis videtur sententia Cajetani *in* 2 2. *qu.* 81. *art.* 4. dicentis, quòd potentia ad movendam aliam potentiam, indiget in illa imprimere aliquid physicum, & reale, per quod ad exercitium operis moveatur. Ad quod

imp-

supponendum est, duplicem esse motionem physicam (& hoc attendat Magister quia summopere necessarium est ad res passivas, & supernaturales) una dicitur CONFORTATIVA, & alia APPLICATIVA. *Motio confortativa* est illa per quam potentia mota remanet majori cum vigore, & virtute quàm antea, & potest perfectiores actus producere, quàm antea poterat per se solam, ut videtur in instrumento Artificis, & quod mediante motione manus ejus agit opus, quòd antea per se solum agere non poterat; *Motio* pure *applicativa* illa est, quæ solum movet, & determinat potentiam, ut agat quod ipsa per se ipsam agere poterat, ut promotio quam tribuit divinum auxilium; per hoc enim non additur voluntati major virtus, & sed tantum eam applicat ad agendum id quod poterat per se ipsum agere.

133 Hoc supposito dicimus, quòd neque per concursum simultaneum, nec per radicationem, subordinationem, aut simpathiam una potentia potest moveri ab alia; sed necesse est, quòd sit aliquid intrinsecum, quòd eam physicè moveat, quia ex natura harum, nec in id, nec in radice immutatur potentia, nec potest producere actum perfectiorem quàm antea poterat; & illa manente absque aliqua immutatione, necessario ejus actus debent esse sicut prius fuerunt: Unde si actus potentiæ superioris non producat aliquid intrinsecum, neque in anima, neque in potentia mota maneret aliquid immutatum, nec in se, nec in radice; nec poterit producere actum perfectiorem, & majoris virtutis quàm antea poterat; quare colligitur, quòd ut moveatur per motionem confortativam; indiget aliquo intrinseco movente.

134 Idem est necessarium potentiæ ut moveatur per motionem pure applicativam, quia actus qui procedunt à potentiis voluntati subjectis, oriuntur à quodam respectu intrinseco ad finem quem habet voluntas, & similiter ad ipsam voluntatem imperantem: Itaque prædictæ potentiæ supponunt, quòd aliquid intrinsecum a voluntate recipiant; quòd intrinsecum nihil aliud est nisi quædam qualitas producta ab actu, quo voluntas vult operationem in potentia quam movet; non per modum permanentem, sed transeuntem; quia tantum durat illa qualitas, quantum durat motio; cujus effectus est, reddere potentiam efficaciorem, si sit confortativa, vel applicatiorem ad prosecutionem actus, si sit pure applicativa.

135 Quia cum voluntas in homine sit primus motor ad quamlibet prosecutionem, ab illa participant cæteræ potentiæ applicationem ad prosecutionem suorum actuum: Et licet actus voluntatis sint formaliter immanentes, & per consequens non effectivi aliorum effectuum, tamen virtualiter, & eminenter sunt transeuntes, & ita producunt qualitates motivas in potentiis sibi subjectis ut eas moveant; sicut consideratio rei appetitibilis immutat sensibiliter corpus, commovens scilicet spiritus, qui suo motu sanguinem moveant.

136 Quamvis D. Thomas 1. *p.* 8. *q* 82. *art.* 4. asserit, quod actus imperii pertinet ad intellectum, voluntas tamen suo imperio movet intellectum, ut ipse Angelicus fatetur; & intellectus per suum imperium movet imaginationem; imaginatio autem appetitum sensitivum, & potentiam locomotivam, quæ movet denique membra corporis. Itaque cum voluntas vult facere eleemosynam, hunc producit actum imperii: VOLO DARE ELEEMOSYNAM: Hic actus producit in intellectu quandam qualitatem qua ipse movetur ad producendum hunc actum imperii, nempe; Detur ELEEMOSYNA: Qui actus movet imaginationem; & ea mediante, appetitum sensitivum, & potentiam locomotivam; & hæc denique membra corporis necessaria ut eleemosynam largiatur.

137 Situs, sive palatium voluntatis aliqui volunt quòd sit in humano capite, quia immediatè adhæret intellectui ibi domicilium habenti; & quia voluntas determinatur per cognitionem intellectus, necessarium videtur, quòd utraque potentia in eadem parte hospitetur: Alii probabilius volunt, quòd habitaculum voluntatis sit in corde, quia hoc magis appropinquat sensui Sacræ Scripturæ, siquidem sæpius cor pro voluntate accipit, ut illud Proverb. 23. 26. *Præbe fili mi cor tuum mibi*: & alibi; *Filii hominum*

num usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem? (*Psalm.* 4. 3.) Et alibi: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo*; (*Matth.* 22. 37.) & in aliis fere innumeris locis. Et hæc sufficiant ad animæ cognitionem, Mysticæ scientiæ accomodatam. Cæteræ autem quæstiones quæ circa hanc materiam in Scholis differuntur, parum, aut nihil conferunt ad intentum; unde eas merito prætermittimus.

TRACTATUS TERTIUS.

De habitibus naturalibus, & supernaturalibus.

PRæcognitis jam exterioris, & interioris hominis viribus, & facultatibus; præaddacta, & exposita etiam animæ rationalis natura, & virtute, scire oportet, quòd homo in puris naturalibus constitutus incapax est unionis divinæ, eique impossibile est non advenientibus novis comprincipiis ad Mysticam unionem elevari; quia licet naturalibus tantum ornatus viribus possit divinam existentiam per effectus creaturarum cognoscere, quidditatem tamen ejus nisi per fidem, & alia juxta fidem comprincipia, proprie, & legitime percipere non valet: In statu quippe naturali solum capax est anima eorum, quæ in eam per exteriores sensus ingrediuntur, quorum objecta debent esse materialia, aut similia; quidquid enim materialitatem, & similitudinem exuit, inattingibile prorsus est ab anima in puris naturalibus constituta: Cum autem Deus nec materialis sit, nec similis, ut testatur Isaias inquiens: *Cui ergo similem fecistis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei? Nunquid sculptile conflavit Faber, aut Aurifex auro figuravit illum? Aut laminis argenteis Argentarius?* (*Isaie* 40. 18.) Propterea anima in puris naturalibus Deum per proprias species cognoscere, & proportionabiliter ut est in se diligere non potest: indiget ergo ad perfectam ejus Mysticam unionem, per habitus supernaturales, & superioris ordinis elevari ad agendos actus supernaturales cognitionis, & amoris, quibus possit Deo (qui supra naturam est) proportionabiliter uniri: (*Henric. Suson. in dialog. veritat. cap.* 8 *& in append. cap.* 18.) Qui quidem habitus cum sunt operativi, non in animæ substantia, sed in ejus potentiis subjectantur: De quorum essentia, & ubicatione oportet in præsenti, tractatu ad instructionem spiritualis Magistri compendiatim differere.

CAPUT I.

De virtutibus, & earum habitibus, tam naturalibus, & acquisitis, quàm supernaturalibus, & infusis, de quibus tractatur in communi.

1 VIrtus secundum Aristotelem *Lib* 2. *ethic. cap.* 14. est: QUIDAM HABITUS QUI AGENTEM FACIT BONUM ET OPERI TRIBUIT BONITATEM. In qua definitione duo exponuntur effectus; & duæ virtutum habilitates; tam ex parte subjecti in quo recipiuntur, facientes illud bonum; quàm ex parte objecti, quod est actus, sive operatio tribuens ei bonitatem: Quæ quidem definitio tantum convenire videtur virtutibus moralibus acquisitis; pro quibus prorsus effecta est; non verò virtutibus supernaturalibus, & infusis, quia ulterius progrediens Philosophus affirmat, prædictum habitum *esse electivum, & in mediocritate consistentem*. A quo procul dubio virtutes intellectuales excluduntur, quæ non sunt electivæ, quia electio est in voluntate; & pariter excluduntur Theologicæ, quæ non in mediocritate consistunt.

2. Augustinus *Lib.* 2. *de liber. arbitr.* virtutem definire intendit per hæc verba: VIRTUS EST BONA QUALITAS, QUA RECTE VIVITUR, ET QUA NULLUS MALE AGIT, ET QUAM DEUS IN NOBIS SINE NOBIS OPERATUR. Quam definitionem ample-

amplectitur D. Thomas 1.2. *q*.55 *art*.4. & ex illa colligitur, quòd virtus sit habitus operativus per se primario concurrens ad bonitatem moralem humanorum actuum, & ad eorum facilitatem, & delectabilitatem; secundario verò ad entitatem tantum physicam, substratam bonitati morali actus, ejusque facilitati.

3 Et prætermittendo quæstiones ad intentum nostrum inutiles, dicimus, quòd virtus dividitur in INTELLECTUALEM, MORALEM, ET THEOLOGICAM. *Virtus intellectualis* illa est, quæ perficit intellectum in ordine ad cognitionem veri. Hæc subdividitur in quinque species, nempe in INTELLIGENTIAM, seu habitum primorum principiorum, SAPIENTIAM, SCIENTIAM, ARTEM, ET PRUDENTIAM; Quarum habitus in humano intellectu subjectantur, ut illum in ordine ad veri cognitionem perficiant. Sed sciendum est, quòd tres primę recipiuntur in intellectu practico, inquantum iste subjicitur moveri à voluntate, ad quam attinet movere ad exercitium operis, non solum intellectum, sed & cæteras potentias.

4 *Virtus Moralis* illa est, quæ voluntatem complet ad prosecutionem boni honesti, & perficitur in ordine ad media, quæ ad illud conducunt; quæ duplicis sunt classis: *Quædam sunt circa operationes*, in quibus attenditur ratio debiti, vel indebiti ad alterum, ut JUSTITIA, per quam redditur debitum proximo: RELIGIO, per quam redditur debitum Deo: PIETAS, per quam redditur debitum Parentibus; & GRATITUDO, per quam redditur debitum benefactori. *Aliæ sunt, quæ versantur circa passiones*, ut eas ad debitum rationis ordinem reducant, ut FORTITUDO; TEMPERANTIA, & cæterę, quibus passiones, & affectus appetitus irascibilis, & concupiscibilis moderantur.

5 Inter virtutes morales *quatuor* sunt *principes*, scilicet, PRUDENTIA, JUSTITIA, FORTITUDO, & TEMPERANTIA, quæ Cardinales dicuntur, nam ut docet D. Thomas *super eas tota humanæ conditionis ratio volvitur, eisque veluti Cardinibus universa vitæ honestæ, & polyticæ series innixa est*. (*D. Thom*. 2.2. *q* 1. *art*. 1.) ex quibus quatuor virtutibus habitus prudentiæ subjectatur in intellectu, ut supra diximus, quia est virtus intellectualis, & dirigit actiones per earum cognitionem, quod pertinet ad partem intellectualem, & prudentia est ipsius rectitudinis ratio.

6 Justitia verò, & cæteræ virtutes morales sub eadem contentæ subjectantur in voluntate: quia sunt habitus dirigentes humanas actiones in ordine ad proximos, & perficiunt partem appetitivam rationalem: Fortitudo subjectatur in appetitu irascibili; sicut & Temperantia in concupiscibili, cum cæteris, quæ ad horum appetituum passiones sedandas, & coercendas deserviunt.

7 Nec datur implicantia (ut aliqui volunt) in eo, quando habitus fortitudinis, & temperantiæ, & aliarum, quæ sub eisdem continentur, quantumcunque spirituales sint, subjectentur in potentia materiali, quia virtutes dantur potentiæ operativæ ad eliciendos proprios actus: Actus autem virtutum moralium, quæ versantur per se primo circa passiones, sunt actus proprii appetitus sensitivi, quia sunt passiones moderatæ talis appetitus secundum regulam prudentiæ, ut moderatus timor, moderata audacia, &c. Itaque necesse est quòd in appetitu subjectentur: unde dicimus, quòd in eo sunt formaliter immanentes, & eminenter corporeæ; sicut idem dicitur de anima rationali unita corpori, quia non repugnat, quòd forma perfectioris ordinis recipiatur in subjecto inferiori, ut illud evehat, elevet, & perficiat.

8 Confirmatur ex D. Thoma 2.2. *q*. 1. *art* 4. quia ut potentia possit esse virtutis capax, tria requiruntur: Primum, ut sit apta moveri, & regulari à superiori potentia: Secundum, quòd non sit contracta ad unum modum operandi: Tertium, quòd possit agere opus perfectum. Cùm autem appetitus sensitivus prout est in homine habeat hæc tria requisita, potest esse capax virtutis: Habet primum, quia est aptus moveri, & politice regulari à ratione, ut supra *tract*: 2. *cap*. 4. dictum est: Habet secundum, quia non est contractus ad unum modum operandi, cum interdum secundum rationem, & interdum adversus eam operetur: Habet denique tertium, quia agit opus perfectum quando per fortitudinem & temperantiam reducit ad medium

dium justum passiones irascibilis, & concupiscibilis: ergo appetitus sensitivus, ut politicè subjectus rationi est virtutis capax. Quod expresse tenet Angelicus Praeceptor *ubi supr q 56. art* 4 dicens: „ irascibilis & concupiscibliis secundùm se „ consideratae, prout sunt appetitus sensitivi, communes sunt cum nobis, & „ brutis: sed secundum quòd sunt rationales per participationem, ut obedientes rationi, sic sunt propriae solius hominis, & hoc modo possunt esse subjectum virtutis.

9 In sensibus corporis non possunt subjectari virtutum habitus, quia cùm virtus sit dispositio perfecti ad perfectius, & hoc consistat in ultimo perfectionis complemento, potentia quae sit capax virtutis, debet esse consummativa actus virtuosi, & non inchoativa, vel praeparativa tantum; & ut ait D. Thomas, *de Virtut. qu.* 56. *art.* 5. cum cognitio veri sit opus cognoscitivae potentiae, in potentiis sensitivis, & apprehensivis, ut sunt sensus corporis, nequit consummari, quia istae tantum sunt praeparativae, & dispositivae ad cognitionem intellectus, cui proprie competit attingere cognitionem veri: Itaque virtutes in sensibus corporis subjectari nequeunt.

10 VIRTUTES THEOLOGICÆ illae dicuntur, quae mentem ad Deum evehunt tanquam ad suum ultimum finem simpliciter ut cum illo valeat copulari; haec sunt FIDES, SPES, CHARITAS. *Habitus fidei* recipitur in intellectu, quia est lux ad cognoscenda revelata (licet obscure) & hoc pertinet ad intellectum. (Praetermittimus quaestionem illam; *Utrum habitus fidei recipiatur substantialiter potius in memoria, quàm in intellectu sub ejus formalitate*, quia diximus, quòd hae duae potentiae non distinguntur realiter) Haec fides versatur in ordine ad Deum, & creaturas, de quia infra dicemus. *Habitus* spei subjectatur in voluntate, quia habitualis residentia cognoscitur per actualem, & cum actus virtutis spei sit quaedam motio partis appetitivae versus bonum, quae nequit esse sensitivi appetitus, quia habitus spei non respicit bonum sensibile, quod est objectum appetitus sensitivi; sed bonum spirituale, divinum, & universale, quod est objectum appetitus rationalis; proculdubio in eo, sive in voluntate debet subjectari. *Charitatis habitus* absque dubio recipitur etiam in voluntate; nam hoc quod est amare bonum universale, pertinet ad voluntatem.

CAPUT II.

De modo, quo habitus virtutum sunt in anima, & quomodo crescant, aut minuantur, & de habituali, & actuali eorum regulatione.

11 HAbitus virtutum moralium sunt in anima cum quadam concatenatione, ut tenet Augustinus (*Lib. de Trin. c.* 6.) *Virtutes* (inquit) *quae sunt in animo humano, nullo modo separantur ad invicem* quia ut dicit Gregorius (*Lib.* 22. *Moral.*) *Virtutes si sint disjunctae, non possunt esse perfectae secundum rationem virtutis, quia nec prudentia vera est, quae justa, temperans, & fortis non est.* Quod probat D. Thomas 1. 2 *q.* 64. *art* 1. Quia nulla virtus potest permanere, nec perfecta esse absque prudentia, siquidem est proprium virtutis moralis rectè eligere, quia ejus habitus est electivus; & ut electio recta sit, non sufficit sola ad debitum finem inclinatio, quam directe expetit habitus virtutis moralis; sed etiam est necessarium, quòd aliquis eligat media convenientiora perfecto fini; quod quidem tantum fieri potest per prudentiam, quae est consiliativa, judicativa, & praeceptiva eorum, quae sunt ad finem. Prudentia etiam absque caeteris virtutibus esse non potest, quia est recta ratio agendorum; quae sicut à principiis procedit, ita etiam ad fines extenditur, ad quos homo rectè se habet per caeteras virtutes; & sicut scientia speculativa nequit consistere absque principiorum intelligentia; ita similiter neque prudentia absque caeteris virtutibus: ergo necessario debent esse virtutes connexae, & concatenatae.

12 Virtutes autem intellectuales non sunt connexae inter se, quia si connecterentur, sequeretur quòd habens unam, & caeteras similiter haberet, & hoc est contra experientiam; siquidem multi pollent

lent intelligentia absque scientia, sapientia, & arte. Virtutes etiam Theologicæ in quantum perfectæ, & completæ, sibi invicem copulantur; in quantum verò imperfectæ, & incompletæ, possunt separari, ut sequenti capite dicemus.

13 Non solùm virtutes inter se connectuntur, sed etiam æqualiter augentur, & crescunt; quare ajebat Augustinus (*ubi sup.*) *Quicumque sunt æquales in fortitudine, æquales sunt in prudentia, & temperantia*. Sed ad ejusmodi æqualitatem percipiendam scire oportet, quòd quantitas virtutum potest esse dupliciter. Uno modo secundum rationem speciei, & hoc modo dubium non est, quòd una virtus sit major altera, ut virtutes Theologicæ, quæ in ratione speciei majores sunt virtutibus Moralibus: Alio modo secundùm participationem subjecti, in quantum scilicet in eo augentur, aut minuuntur habitus, & sic omnes virtutes hominibus sunt æquales, æqualitate tamen proportionis, in quantum in illo æqualiter crescunt, sicut in digitis manus, qui secundùm eorum quantitatem, sunt inæquales: secundùm verò eorum proportionem sunt æquales, quia æqualiter, & proportionabiliter crescunt: Sic similiter in habitibus virtutum, qui secundùm proportionem cujuscumque virtutis æqualiter augentur, aut minuuntur, manentes tamen æquales in proportione juxta participationem subjecti: ita D. Thomas s: *ubi sup. qu. 66. art. 7.*

14 Nec dictis obstare potest, quod communiter dici solet de aliquibus Sanctis, scilicet, quòd plus præcelluerint in una virtute quàm in aliis, ut Franciscus Assisius in humilitate: Laurentius in fortitudine: Bruno in charitate, & silentio, & alii in aliis specialibus virtutibus; Unde inscientibus videri poterit, cæteras in eodem gradu non tenuisse virtutes; quia hoc intelligendum est, non quoad habitus, sed quoad usum, quia in eis excellentia, & fama extrinsecus enata est, siquidem eas magis exercere visi sunt, ac proinde ante hominum oculos magis claruerunt: Habitus tamen, & earum intensio proportionabiliter cæteris fuerunt æquales, ut expresse tenet Angelicus (*In 3 dist. 36 q. 15. art. 2. ad 2*) dicens: *de virtutibus quantum ad usus, & non quantum ad habitus; diversi enim Sancti diversimode excedunt se invicem in usibus diversarum virtutum*.

15 Ut modum igitur hujusmodi incrementi, vel diminutionis virtutum, secundùm participationem subjecti perpendamus (quia cùm habitus virtutum non sint ex genere quantitatis, sed ex genere qualitatis, quæ non recipit magis, vel minus, non facilè intelligi potest.) Scire oportet cum Augustino *De Trinit cap. 8* & D. Thoma, *ubi supra qu. 52. art. 1.* quòd perfectio formarum potest considerari dupliciter: Uno modo secundum ipsam formam: Alio modo secundùm subjectum participans ipsius formæ. Si attendamus ad formam secundùm se ipsam dici non potest magna, vel parva forma; sicut nec dici potest magna, vel parva sanitas, vel scientia. Si verò consideretur forma secundùm subjectum ejus participans, dici potest major, vel minor scientia, juxta majorem, vel minorum participationem subjecti.

16 Nec propterea intendimus dicere, quòd forma accipiat suum esse à materia, vel à subjecto, sed quòd considerari debet duobus modis prædictis, & sic considerata augumentum habituum non fit per additionem formæ ad formam, sed per participationem subjecti, eo scilicet quo magis, aut minus ejusdem formæ participat; nam sicut per agens quod actu est calidum, facit calidius; non quia ei addat formam, sed quia intensa fit actio agentis; ita illud facit calidius, quasi ei adderet aliquam formam: Pariformiter augentur, vel minuuntur habitus virtutum, secundùm quòd homo magis, aut minus earum perfecte participat. Notandumque est cum D. Thoma 2.2. q. 53. art. 3 quòd non omnis actus virtutis auget habitum; sicut non omne alimentum auget Corpus Humanum; sed oportet quòd intensio actus æqualis sit intensioni habitus, vel superexcedat.

17 Cùm igitur prudentia sit regula omnium virtutum, earumque inseparabilis Comes, manifestum esse debet, quòd virtutes, non in extremo, sed in medio consistant; quia ut ait D. Thomas: *In 3. dist. 33. q. 1. art. 3.* „ Virtutes Morales sunt „ circa passiones, & operationes, quas

I opor-

„ oportet dirigere secundùm regulam rationis; in omnibus autem regulatis consistit rectum, secundùm quod regulæ æquantur: æqualitas enim media est inter majus, & minus; & ideo oportet, quòd rectum virtutis consistat in medio ejus quod superabundat, & ejus quod deficit à mensura rationis recta.

18 Hinc deducet Magister, quòd singularitatis amatores; etsi videantur magna virtute præcellere, tamen imprudenter incedunt, quia non medium virtutis sed extremum semper consectari appetunt; nam adhuc in sanctitate potest esse vitiosum extremum; quamobrem dicitur per Ecclesiasticum: *Noli esse justus multum*; *neque plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas.* (*Cap 7 17*) Et in Deuteronomio (*Cap. 5. 32.*) *Non declinabitis ad dexteram, neque ad sinistram.* Quia omne quod est declinare, quamvis ad dexteram fit à medio prudentiæ, & virtutis deviat; subindeque in vitium transit. Curet igitur, quòd animæ medium teneant, & extrema, & singularitates fugiant.

19 In virtutibus Theologicis non sunt extrema vitiosa; si enim aliæ virtutes fugiunt excessum, istæ consectantur, si excessus dici potest, siquidem nullus habere potest excessum in credendo, sperando, aut amando; ideo S. Bernardus (*Tract. de dilig. Deo.*) *Modus diligendi Deum* (ait) *est sine modo diligere.* Quod quidem intelligi debet de substantia amoris, & non de circunstantiis aut externis actionibus, quæ si inordinatæ sint, aut excessivæ, erunt vitiosæ, ut ipse Bernardus alibi explicat: *Nullum finem* (inquit) *vel terminum habere debet devotio amantis: Tamen terminos suos, & fines, & regulas habere debet actio operantis.* (*S. Bernar. de virt. solit. ad fra. de Mont. Dei.*)

20 Propterea in ferventiori spiritus dilectione debet Magister exterioritates animarum reprimere, ne admirationi hominum, Dæmonumque fallaciis exponantur, quia plerumque sunt Hypocrisis signa, sicut & gesticulationes muliercularum, aut spiritum muliebrem habentium, quibus titulo divini amoris mundum fallere, & sibi ipsis æstimationem comparare nituntur: Quamobrem quos ita viderit gesticulantes, acriter reprehendat, & amet potius in discipulis modestiam hilarem quàm tristitiam gesticulosam. Nullatenus eis permittant capite demisso, aut detorto, sed erecto, & modesto incedere; non suspiria, non elevationes oculorum, non denique verba jaculatoria, & amatoria in Puerum Jesum coram hominibus imprudenter jactare (licet in secreto cubiculo, & inter se ipsos solos possint interdum æstuantis cordis incendium respirare) quia hæc potius risum, quàm devotionem movent: Sed incedant modeste hilares, tota facie; & simplici conversatione absque ceremoniis, aut nimietatibus; & experto credant, quòd vix unum ex prædictis invenient, qui non magis hypocrisi, & fictione, quàm vera sanctitate, & virtute præditus sit.

21 Attendat ad vitam communem Salvatoris nostri Dei, qui semper æquali, modesto, & venerabili vultu incedens, exterioritates, gestus, & elevationes non necessarias subterfugit, & ut ait Matthæus; 11. 19 *Venit filius hominis manducans, & bibens.* Idest, in communi hominum victu, vestitu, & conversatione absque singularitate: Et si aliquando manifestare oportuit gloriam suam, *in Monte excelso seorsum.* (*Matth 17. 2.*) & non in plateis transfiguratus est.

CAPUT III.

De necessitate virtutum, tam Moralium, quàm Theologicarum.

22 EX prædictis manifeste deducitur, virtutes necessarias esse ad moderandas passiones: quia ut ait D Thomas: (*2 2 q. 180 art 2*) *Virtutes morales impediunt vehementiam passionum, & sedant exteriorum occupationum tumultus.* Quia licet essentialiter pertineant ad vitam activam, & non ad contemplativam, cujus finis est intuitio veritatis; tamen dispositive ad vitam contemplativam pertinent; nam impeditur actus contemplationis per vehementiam passionum, per quam abstrahitur animæ intentio ab spiritualibus ad sensibilia.

23 Morales igitur virtutes disponunt ad orationem mentalem, vitia extinguendo, & passiones moderando; nam ut ait Gre-

Gregorius *Lib.* 51. *Moral. c.*30. „ Nunquam „ commotioni contemplatio injungitur , „ nec prævalet mens perturbata conspi- „ cere, ad quod vix tranquilla valet in- „ hiare ; quia nec Solis radius cernitur „ cùm commotæ nubes Cœli faciem ob- „ ducunt ; nec turbatus fons inspicien- „ tis imaginem reddit, quam tranquil- „ lus prope ostendit ; quia quo ejus unda „ palpitat, eo in se speciem similitudi- „ nis obscurat.

24 Sed hæc passionum moderatio , & vitiorum extinctio dupliciter efficienda est, extinguntur enim, vel per cessationem propriorum actuum ; vel efficacius per actus contrariarum virtutum, quibus ipsæ generantur , quod fit per mortificationem ; per eam siquidem actus vitiorum resecamus, & actus virtutum exercemus, unde vitia extinguntur , & virtutes lucrantur , & acquirunt : Quarum virtutum acquisitionem intelligimus, tam propriam , quæ fit effective per industriam , & studium acquirentis , quàm impropriam, quando scilicet acquirens tantum se habet dispositive, vel meritorie, & ab illo producuntur virtutes : Primo modo solent acquiri virtutes, quæ acquisitæ dicuntur : Secundo modo acquiruntur illæ , quæ per se sunt infusæ ; illas quippe Deus immediate nobis dispositis simul cum gratia sanctificante primo infundit, & juxta naturam novæ dispositionis per meritum nostrum eas postmodum auget.

25 Virtutis habitus , tam acquisitus , quàm infusus, dat facilitatem per se, & intrinsecam respectu actus ; agit enim quòd principium talis actus sit completum , & perfectum , non tamen semper dat facilitatem extrinsecam respectu actus, quæ provenit ex impedimentorum remotione : solus enim habitus virtutis acquisitæ dat posteriorem hanc facilitatem , ex eo quod acquiritur per exercitium removens impedimenta , scilicet vitia, & in hoc consistit accidentalis mortificatio , cujus est vitium oppositum virtuti impugnare , inferendo vim naturæ, ad differentiam essentialis mortificationis, quæ tum cum facilitate , tum etiam cum delectatione vitium expugnat.

26 Quamobrem mirari non debet Magister si statim post justificationem , in qua cum gratia sanctificante dantur, virtutes infusæ, æqualis ac antea percipiatur difficultas bene operandi ; quia hoc provenit ex eo quod vitia non immediate, & directè virtutibus infusis opponuntur , sicut opponuntur virtutibus acquisitis : Propterea necessaria est sedula mortificatio , & passionum coërctio, ut per cessationem vitiosorum actuum , & per exercitium contrariarum virtutum possit anima impedimenta removere , & habitum ea removendi comparare qui det ei facilitatem ad actus virtutum exercendos , quæ naturalis est, ut in sequenti capite dicemus.

27 Nec etiam mirari debet , quòd passiones ad malum inclinantes , neque per longum tempus, neque per totam vitam totaliter auferantur per virtutes acquisitas, vel infusas , quia passionem sunt in natura nostra radicata , quamobrem semper manet mutua illa colluctatio carnis, & spiritus, etiam post moralem virtutem : Tantummodo autem ut docet D Thomas : „ Tam per virtutem acquisitam , quàm „ per infusam hujusmodi passionem modi- „ ficantur , ut ab his homo non effræna- „ te moveatur ; sed quantum ad aliquid „ prævalet in hoc virtus acquisita ; & „ quantum ad aliquid virtus infusa . Vir- „ tus enim acquisita prævalet quantum „ ad hoc , quòd talis impugnatio passio- „ num minus sentitur ; & hoc habet ex „ causa sua , quia per frequentes actus, „ quibus homo est assuefactus ad virtu- „ tem, jam desuevit talibus passionibus „ obedire, consuevitque eis resistere ; ex „ quo sequitur, quòd minus earum mole- „ stias, sentiat : Prævalet verò virtus in- „ fusa quantum ad hoc , quòd facit , quòd „ hujusmodi passionem , etsi famulentur, „ nullo tamen modo dominentur ; Virtus „ enim infusa facit quòd nullo modo obe- „ diatur concupiscent iis peccati , & facit „ hoc infallibiliter ipsa manente . (*D Th. q de verit. ar* 10 *apud Fr. Philip. à SS.Trinit. Theol Myst. p.* 2. *tract* 1. *disc.* 3. *art.* 2. *in fin.*) Hucusque D. Thomas , & idem alibi confirmat.

28 Virtutes Theologicæ immediate ordinantur ad ultimum finem simpliciter , qui est Deus , quem habent pro objecto, & sine quibus anima cum eo uniri non potest, ut ex dictis, & dicendis manifeste constabit.

CAPUT IV.

Utrum habitus virtutum, tam acquisiti, quàm infusi, maneant in anima gratia, & charitate deperdita; & quae sit vera virtus.

29 COmmunis est aliquorum sententia, quòd gratia in ordine supernaturali æquiparatur animæ in ordine naturali, ut in præcedenti tractatu diximus; quia sicut hæc est principium radicale suarum potentiarum, quæ sunt proprietates emanantes ab ea; ita similiter gratia (teste Gregorio *Hom. 27 in Evang.*) est principium radicale virtutum, & donorum, quæ à radice gratiæ, quasi proprietates, & rami emanere dicuntur; Itaque sunt inseparabiles à gratia, & cum ea ingrediuntur in anima, & egrediuntur; nam licet sint realiter distinctæ à gratia ita, ut potentiæ realiter sunt distinctæ ab anima; tamen quasi ejus proprietates sunt Inseparabiles ab illa; sicut etiam potentiæ sunt inseparabiles ab anima.

30 Ex quo colligitur, ut docet D. Thomas 2.2.*q.* 24 *art.*12. quod habitus charitatis sit inseparabilis à gratia; & quidquid animam privat gratia, privat etiam charitate; & similiter quod de gratia dicitur in ordine ad conservationem virtutum, dicendum est de charitate, & è converso: Itaque videndum est si utraque deperdita manere possint in anima habitus virtutum.

31 Ad quod scire oportet, tria esse genera virtutum: Quædam non sunt veræ *Virtutes*, sed tantum *apparentes*, quia non ordinantur ad verum bonum, sed apparent, ut prudentia Furis in perquirendis astutiis ad furandum: Justitia Hypocritæ, qua bona aliquando contemnit, ut pauper spiritu videatur, & fortitudo Libidinosi, qua ardua aggreditur, ut libidinem consequatur: quæ quidem virtutes, licet realiter non virtutes, sed vitia sint, nomen tamen apparentium virtutum sortiuntur, illisque præditos vocat Dominus Sapientes, utens humano modo loquendi: *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt*, ut ait per Hieremiam 4. 22. Etiam per Lucam 16.8 collaudat Villicum iniquitatis: *Quia prudenter fecisset, quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt*.

32 Aliæ sunt *virtutes veræ*, sed *non perfectæ*, quia ad verum bonum, sed non perfectum diriguntur; nempe ad bonum honestum, quod non habet rationem ultimi finis, sed solum intermedii, & hujus generis sunt virtutes morales acquisitæ, quæ licet sint veræ virtutes, tamen docet D. Thomas 1 2.*q.* 23.*art.* 7. quia ad ultimum finem non ordinantur, nequeunt dici perfectæ. *Si verò (inquit) illud bonum particulare sit verum bonum, puta conservatio Civitatis, vel aliud hujusmodi, erit quidem vera virtus, sed imperfecta, nisi referatur ad finale, & perfectum bonum*. In quarum virtutum genere præcelluerunt Plato, Stoicus Diogenes, Crates, & multi ex Philosophis Ethnicis.

33 Aliæ denique sunt *Virtutes*, quæ non solum sunt *veræ*, sed etiam *perfectæ*, quia ordinantur ad ultimum finem, qui est perfectum bonum, & tale simpliciter, & hujusmodi sunt virtutes Theologicæ, & Morales infusæ. Primæ virtutes, scilicet apparentes, non regulantur per veram, sed per falsam prudentiam, quæ PRUDENTIA CARNIS dici solet: Secundæ regulantur per providentiam naturalem, & acquisitam, quæ PRUDENTIA HUMANA dicitur: Tertiæ regulantur per prudentiam supernaturalem, & infusam, quæ vocatur PRUDENTIA DIVINA. Oritur hæc differentia prudentiæ, per quam singula virtutum genera regulantur, ex diversa earum radice, ex qua producuntur; nam propterea primæ virtutes regulantur per prudentiam carnis, qui à natura sensuali, & carnali trahunt originem: Secundæ diriguntur per humanam prudentiam, quia non à gratia supernaturali, sed à natura honesta, & per naturalem usum comparantur. Tertiæ regulantur per prudentiam divinam, quia à divina gratia supernaturali, & infusa quasi proprietates oriuntur.

34 His suppositis dicimus, quòd virtutes apparentes non solùm durant gratia, & charitate deperdita, verum etiam in habente supponunt carere gratia, & charitate, quia ut ait quidam doctus: .. Objectum

„ jectum prædictarum virtutum non est „ verum bonum, sed apparens; nec est „ ordinabile ad Deum ut ultimum finem, „ sed potius ab illo ut ultimo fine avertitur (*Gonet. Manual. Thomist. tom 3 tract. 4. cap 7 in fin.*) Cùm autem omne quod opponitur ultimo fini sit adversus gratiam, & charitatem, quæ ad ultimum finem diriguntur, sequitur, quod prædictæ virtutes in habente supponant privationem gratiæ, & charitatis.

35 Virtutes morales acquisitæ, quæ veræ virtutes sunt, licet imperfectæ, durant etiam amissa gratia, & charitate; quia cùm à gratia, & charitate non pendeant, nec sint de ordine supernaturali, sed naturali, & acquisito, nullam habent à gratia, & charitate dependentiam; propterea possunt sine illa conservari, ut expresse docet D. Thomas: „ Virtutes Mo„ rales (inquit) prout sunt operativæ „ boni in ordine ad finem, qui non exce„ dit facultatem naturalem hominis, „ possunt per opera humana acquiri; & „ sic acquisitæ sine charitate esse possunt, „ sicut fuerunt in multis gentibus. (*D. Thom. 1. 2. quæst. 65. art. 2.*)

36 Nec propterea possunt dici falsæ, quia realiter veræ sunt, cùm nemo negare possit, quod prosequantur finem honestum, & laudabile, licet non ultimum, & perfectum; hujusmodi enim virtus, ut tenet D. Thomas. (*ubi supra*) *Erit quidem vera virtus, sed imperfecta, nisi referatur ad finale, & perfectum bonum.* Neque etiam opponitur sententiis Sanctorum affirmantium, nullam veram virtutem esse posse, ubi charitas non est; quia intelligendum est de veris, & perfectis virtutibus infusis; loquuntur enim in ordine ad ultimum finem assequendum: Virtutes verò acquisitæ ordinantur ad bonum honestum, quin ad ultimum finem referantur; & hæc sunt veræ virtutes, licet imperfectæ, ut diximus.

37 Ex his acquisitis virtutibus oritur, quòd frequenter videmus in aliquibus hominibus, & mulieribus pravæ conversationis; nempe quòd plores actus quarumdam virtutum, ut eleemosynæ, pietatis, misericordiæ, & aliarum, frequenter, & affectuosè exerceant, quod facere non possent, si prædictarum virtutum habitus non haberent: Cum igitur virtutum infusarum habitibus careant, quia non sunt in gratia, & charitate, necessario dicere debemus, quòd prædicti actus virtuosi procedant ab habitibus acquisitarum virtutum qui deperdita gratia, & charitate conservantur; quamvis aliqui putent procedere à facilitate naturali per repetitionem actuum acquisita; sed hæc facilitas proculdubio radicem habet in habitibus acquisitis, ut erudite probat quidam doctus Mysta (*P. D. Hieron. Spert. select. myst. part 4 cap 3. per tot.*)

38 Virtutum verò infusarum, & supernaturalium habitus amittuntur deperdita gratia, & charitate, quia respiciunt, & ordinantur ad ultimum finem perfectum; & sicut virtutes acquisitæ, quæ respiciunt finem intermedium, & particulare bonum, non possunt esse absque prudentia humana, quæ eas regulet ad se habendum optime circa particulares fines; ita virtutes morales infusæ nequeunt esse absque prudentia infusa, quam dirigit charitas, ut homo perfectè se habeat circa ultimum finem simpliciter. Quamobrem colligitur, quòd deperdita charitate, quæ dirigit prudentiam infusam ad hunc ultimum finem, necessario debent deperdi virtutes morales. Ad hoc ergo alludit illud Joannis: *Qui non diligit, manet in morte* (*Joann. 3. 14.*) Quia sicut ille qui naturaliter moritur, non potest agere actus vitales; ita similiter ille qui supernaturaliter moritur, non potest agere actus virtutum supernaturalium.

39 Virtutes denique Theologicæ, scilicet fides, & spes, inquantum perfectæ in se, & in suis actibus, non possunt esse sine gratia, & charitate: In quantum verò imperfectæ, durant, & permanent. Quare sciendum est cum Divo Thoma: „ Quòd virtutes infusæ possunt considerari dupliciter; vel secundum princi„ pium operandi; vel secundum perfe„ ctum esse virtutis; nam cum hæc ordi„ netur ad faciendum opus bonum, tunc „ dicitur perfecta virtus, quando possit „ agere perfectè opus bonum; quod qui„ dem est, dum non solum bonum est „ quod fit, sed etiam bene fit, alioquin „ si bonum sit quod fit, non autem bene „ fiat, non erit perfectè bonum; unde

nec

„ nec habitus, qui est talis operis princi- „ pium, habebit perfectæ rationem vir- „ tutis: Sicut si aliquis operetur justa; „ bonum quidem facit, sed non erit opus „ perfectæ virtutis, nisi hoc bene fiat: „ id est, secundum electionem rectam, „ quod est per prudentiam; & ideo justi- „ tia sine prudentia non potest esse vir- „ tus perfecta. (*D. Thom. 1. 2. qu. 65. art. 4.*)

40 Ideoque fides, & spes sine charitate possunt quidem æqualiter esse, sed perfectæ virtutis rationem sine charitate habere non possunt; quia cum fides opus sit credere Deo, & credere sit, alicui propria voluntate assentiri, si non debito modo velit, hoc est, per charitatem, quæ perficit voluntatem (omnis enim rectus motus voluntatis ex recto amore procedit) sequitur, quòd deficiente charitate, manebit fides; sed imperfecta, ut ait Augustinus (*De Civit. Dei. lib. 4.*) *Si igitur* (inquit) *fides est sine charitate, sed non perfecta virtus*.

41 Idem similiter est dicendum dè spe; actus enim spei est, à Deo spectare Beatitudinem futuram, cujus erit perfectus actus, si fiat ex meritis, quæ quisque habet propria, quæ sine charitate non potest habere; quia ea amissa, & merita pariter amittuntur; unde non potest esse perfecta spes sine charitate. Si autem beatitudinem expectet ex meritis, quæ nondum habet, sed deinceps proponit acquirere, erit quidem actus imperfectus, & ad eum non requiritur, charitas: „ Ideo (inquit D. Tho- „ mas, *ubi sup.*) fides, & spes possunt „ esse sine charitate; sed sine charitate „ proprie loquendo, virtutes non sunt; „ nam ad rationem virtutis pertinet, ut „ non solum secundum ipsa aliquod bo- „ num operetur, sed etiam bene, ut di- „ citur secundo Ethicorum. Hæc D. Thomas, & nos de hac quæstione.

42 De virtutibus in particulari non est ad intentum nostrum necessarium, cùm circa earum specificationem, & exercitium sit à multis, & præcipue ab Angelico Præceptore latissime disputatum. Nosque, qui compendiatam, & breve notitiam eorum, quæ in Mystica necessaria sunt, Magistris prævenire intendimus, multum à nostro scopo deviaremus, si tractatum integrum de virtutibus in particulari in hoc compendio texeremus; maxime cum ad exercitium, & directionem animarum de illis communiter in libris spiritualibus longe, lateque disputetur.

CAPUT V.

De Donis Spiritus sancti in communi; & an sint habitus.

43 NOn solùm per gratiam sanctificantem ornatur fidelis anima habitibus virtutum, sed etiam Donis Spiritus Sancti, quæ licet à virtutibus non distingui aliqui voluerint, ex eo nimirum, quia in eis aliqua sint, quæ nominibus virtutum insigniuntur; nihilominus dicimus: cum Angelico Præceptore, & communi Theologorum sententia, quòd Dona Spiritus Sancti distincta sunt à virtutibus; quod quidem ex Esaia constat, qui sub nomine Spirituum commemorat Dona Spiritus Sancti, dicens: *Et requiescet super eum spiritus Domini; Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilii, & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini* (*Esaiæ 11 2.*) Ex quo loco constat, septem esse Spiritus Sancti Dona, scilicet, Donum Sapientiæ, Donum Intellectus, Donum Consilii, Donum Fortitudinis, Donum Scientiæ, Donum Pietatis, & Donum Timoris; quæ in nobis diffunduntur juxta ordinem divinæ inspirationis; quæ quidem nihil aliud est, nisi quędam motio, quæ ab extrinseco in nobis fit.

44 Ut igitur intelligamus distinctionem inter Dona, & virtutes, supponere debemus cum D. Thoma 1. 2 *q* 68 *art.* 1., Quod in homine est duplex principium movens; „ unum quidem interius, quod est ratio; „ aliud autem exterius, quod est Deus. „ Manifestum est autem, quòd omne, „ quod movetur, necesse est proportiona- „ tum esse motori, & hæc est perfectio „ mobilis in quantum mobile, dispositio, „ qua disponitur ad hoc quod bene movea- „ tur à suo motore: quanto igitur mo- „ vens est altior, tanto necesse est quod „ mobile perfectiori dispositione ei pro- „ portionetur; sicut videmus, quòd per- „ fectius oportet esse discipulum disposi-

tum „

„ tum, ad hoc quòd altiorem doctrinam „ capiat à Doctore. Manifestum est autem, quòd virtutes humanæ perficiunt „ hominem, secundùm quod homo natus est moveri per rationem, in his quæ „ interius, vel exterius agit: Oportet „ igitur inesse homini altiores perfectiones, secundum quas fit dispositus, ad „ hoc quòd divinitus moveatur, & istæ „ perfectiones vocantur Dona; non solum quia infunduntur à Deo, sed quia „ secundum ea homo disponitur, ut efficiatur prompte mobilis ab inspiratione „ divina, sicut dicitur Esaiæ 50. 5. *Dominus aperuit mihi aurem: ego autem non „ contradico; retrorsum non abii*. Et Philosophus (*Aristot. in c. de bona fortuna.*) „ dicit, quòd is qui movetur per instinctum divinum, non expedit consiliari „ secundum rationem humanam, sed quòd „ sequatur interiorem instinctum, quia „ movetur à meliori principio, quam sit „ ratio humana; & hoc est quod quidam „ dicunt, quòd Dona perficiunt hominem ad altiores actus, quam sint actus virtutum. Hæc Sanctus Doctor: ex quo clare infertur, quòd Dona sint omnino distincta à virtutibus.

45 Cum tamen hæc Dona disponant hominem ad sequendam motionem Spiritus Sancti; & prævium sit, quòd in multis non sufficiat solus instinctus rationis, sed indigent divina motione, quia, ut ait Apostolus: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. (*2 ad Corint. 3. 5*) Et alibi: *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto*. (*1. ad Corint. 12. 3.*) Et D. Thomas inquit: „ Inter spirituales pœnas culpæ originalis, potissima est debilitas rationis; ex qua contingit, quòd homo difficulter pervenit „ ad cognitionem veri, & de facto labitur in errorem. Propterea Dona Spiritus Sancti sunt homini necessaria ad salutem (*D. Th. 4. cont. Gentes c. 52*)

46 Quia ratio hominis (ut docet Angelicus *ubi supr. art. 2.*) est perfecta dupliciter à Deo: Primo quidem naturali perfectione, secundum lumen naturale rationis: Alio modo, quadam naturali perfectione per virtutes Theologicas; & licet hæc secunda perfectio sit longe major, quàm prima, sed tamen prima perfectio modo perfectiori habetur ab homine, quàm secunda: De prima quippe habet homo quasi plenam possessionem, de secunda autem habet possessionem imperfectam, quia imperfecte diligimus, & cognoscimus Deum: Et cùm certum sit, quòd unumquodque, quod perfecte habet naturam, vel formam aliquam, vel virtutem per se potest secundum illam operari (non exclusa tamen Dei operatione, qui in omni natura, & voluntate interius operatur) & è converso; id quod imperfecte habet naturam aliquam, vel formam, aut virtutem, non potest per se operari, nisi ab altero moveatur; sicut Sol, qui est perfecte lucidus, per se ipsum potest illuminare; Luna autem, in qua est imperfecte natura lucis, non illuminat, nisi illuminata; Sic igitur quantum ad ea, quæ subsunt humanæ rationi, in ordine scilicet ad finem connaturalem homini, potest operari homo per judicium rationis: Si tamen in hoc homo adjuvetur à Deo per specialem instinctum, hoc erit superabundantis bonitatis; sed in ordine ad finem ultimum supernaturalem, ad quem movet ratio, secundum quod est aliqualiter, & imperfecte informata per virtutes Theologicas, non sufficit ipsa motio rationis, nisi desuper adsit instinctus, & motio spiritus Sancti, juxta illud Apostoli: *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei* (*Ad Rom. 8. 15*) Et illud: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam* (*Psalm 142. 11.*) Cui addit Angelicus „ Quia in hæreditatem illius terræ „ Beatorum, nullus potest pervenire, nisi „ moveatur, & ducatur à Spiritu Sancto, „ & ideo ad illum finem consequendum „ necessarium est homini habere Dona „ Spiritus Sancti. *D. Th. ubi supr.*

47 HÆC DONA (ex D. Thoma *ubi supr. art. 3*) SUNT QUÆDAM PERFECTIONES HOMINIS QUIBUS DISPONITUR AD HOC, quod Homo Bene SEQUATUR INSTINCTUM SPIRITUS S. Quæ necessario debent esse habitus; & ratio est, quia, sicut virtutes morales perficiunt vim appetitivam, secundum quod aliqualiter participat rationem; puta in quantum nata est moveri per imperium rationis; ita etiam Dona Spiritus Sancti se habent ad hominem in comparatione ad

Spiritum Sanctum, sicut virtutes morales se habent ad vim appetitivam in comparatione ad rationem: Cùm igitur virtutes morales sint habitus, quibus vires appetitivæ disponuntur ad prompte obediendum rationi; ita etiam Dona Spiritus Sancti debent esse habitus, quibus homo perficiatur ad prompte obediendum Spiritui Sancto.

48 Septem ergo necessario debent esse Dona, quia cum sint habitus, qui perficiunt hominem ad parendum motioni Spiritus Sancti ad similitudinem virtutum, quæ perficiunt vim appetitivam ad parendum instinctui rationis; & sicut omnes humanæ vires natæ sunt moveri per divinum instinctum tanquam à quadam superiori potentia; propterea in omnibus viribus hominis, quæ possunt esse principia humanorum actuum, ita ut sunt habitus virtutum, debent etiam esse habitus Donorum, nempe in intellectu, sive superiori ratione, & in vi appetitiva superiori, sive in voluntate.

49 Intellectus autem, sive ratio est speculativa, & practica, & in utraque consideratur apprehensio veritatis, quæ pertinet ad inveniendam, & judicandum veritatem; quamobrem ad apprehensionem veritatis perficitur ratio speculativa per DONUM INTELLECTUS: Practica verò per DONUM CONSILII: Ad recte autem judicandum ratio speculativa perficitur per DONUM SAPIENTIÆ: Practica verò per DONUM SCIENTIÆ: Appetitiva autem virtus in his, quæ ad alterum spectant, perficitur per DONUM PIETATIS: In his verò, quæ sunt ad se ipsam perficitur per DONUM FORTITUDINIS: Denique contra inordinatam cupiditatem rerum delectabilium perficitur per DONUM TIMORIS, secundum illud Proverbiorum: *Per timorem Dei declinat omnis à malo* (*Prov.* 16 6.) Unde manifeste constat, quòd hæc Spiritus Sancti Dona necessario debent septenario numero includi, & similiter quòd ad omnia, ad quæ se extendunt virtutes, pariter & hęc Dona extenduntur; ideo ait Bonaventura: *Ut enim mundus septem diebus est perfectus, sic & minus mundus septem Donis spiritus Sancti.* (*S. Bonavent. libr. de sep. Don. c.* 2.)

50 Hæc Dona similiter ac virtutes inter se connectuntur; quibus enim unum habet, habet & omnia; & ratio est, quia hæc Dona recipiuntur in anima à Spiritu Sancto, mediante charitate, ut docet Apostolus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* (*Ad Rom.* 5. 5. Et sicut ratio perficitur per prudentiam, in qua omnes virtutes glomerantur, ita etiam omnia Dona in charitate connectuntur; quamobrem habens charitatem, habet omnia Dona; & omnibus Donis orbatur, qui charitatem amittit.

51 Nec huic obstare poterit textus Apostoli asserentis: *Alii datur per spiritum sermo sapientiæ; alii sermo scientiæ secundum eundem spiritum.* (1. *ad Corint* 12 8. Ubi videtur, quòd Dona possunt se ad invicem separari, siquidem uni datur à Spiritu Sancto sermo sapientiæ, & alii sermo scientiæ; ergo potest quis unum habere sine alio. Ad quod respondetur cum D. Thoma *ubi supr. in resp. ad* 1 quòd sapientia, & scientia, de quibus hic loquitur Paulus, non sunt ex Donis Spiritus Sancti, sed ex gratiis gratis datis (ut suo loco videbimus) & ratio est; quia Dona sapientiæ, & scientiæ tantum sunt duæ perfectiones, quibus mens humana disponitur ad sequendum instinctum Spiritus Sancti in ordine ad divinorum cognitionem, scientia verò, & sapientia, quæ sunt gratiæ gratis datæ, sunt quædam communicationes, quibus aliquis in cognitione rerum divinarum, & humanarum ita abundat, quòd possit fideles instruere, & infideles confundere, & de his loquitur Apostolus in præallegato loco, siquidem prosequitur: *Alteri fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, &c.* (1. *ad Corint.* 12. 9.) Quæ sunt gratiæ gratis datæ, & hæc Divinus Spiritus singulis dividit prout vult, ut idem Paulus testatur: Dona autem Spiritus Sancti, omnia simul cum charitate, & gratia connectuntur.

52 Sed licet sint inter se connexa, sunt tamen in dignitate inæqualia, propterea debemus cum D. Thoma notare: „ Quod „ dignitas Donorum dupliciter potest „ considerari, uno modo simpliciter, sci„ licet per comparationem ad proprios a„ ctus, prout procedunt à suis principiis, & alio

" & alio modo secundum quid, scilicet, " per comparationem ad materiam: Simpliciter autem loquendo de dignitate " Donorum, eadem est ratio comparationis in ipsis, & in virtutibus, quia Dona ad omnes actus potentiarum animæ " perficiunt hominem, ad quos perficiunt " virtutes: Unde sicut virtutes intellectuales præferuntur virtutibus moralibus, & in ipsis virtutibus intellectualibus contemplativæ præferuntur activis; " ut sapientia, intellectui, & scientia, " prudentiæ, & arti; ita tamen " quòd sapientia præfertur intellectui, " & intellectus scientiæ; sicut prudentia, & synderesis, eubuliæ; ita " etiam in Donis, sapientia, & intellectus, scientia, & consilium, præferuntur pietati, fortitudini, & timori; " sicut justitia fortitudini, & fortitudo " temperantiæ. Sed quantum ad materiam, fortitudo, & consilium habent " in arduis locum; pietas autem, & etiam " scientia, in communibus: Sic igitur dignitas Donorum ordini enumerationis, " respondet; partim quidem simpliciter, " secundum quod sapientia, & intellectus " omnibus præferuntur; partim autem " secundum ordinem materiæ, secundum " quod consilium, & fortitudo præferuntur scientiæ, & pietati. Hactenus D. Thomas. *Ubi supr. art.* 3.

53 Si verò Dona comparentur virtutibus, dicere debemus, quòd virtutes Theologicæ longè sunt perfectiores, quàm Dona; quia Dona tantum perficiunt vires animæ ad parendum motioni Spiritus Sancti: Virtutes verò Theologicæ easdem animæ vires Domino copulantur; & multo perfectius est animam cum Deo unire, quàm ad media hujusmodi unionis disponere, qualia sunt motiones Spiritus Sancti, & hac de causa perfectiores sunt Donis Spiritus Sancti. Sed respectu virtutum intellectualium, & moralium, præstantiora sunt Dona; quia ut ait D. Thomas: " Virtutes solum perficiunt animæ vires " in ordine ad rationem; Dona verò in " ordine ad Spiritum Sanctum moventem; " & certum est, quod ad excellentiorem " motorem expedit, ut perfectius disponatur, qui movendus sit. *(D. Th. ubi sup. art. 8.)*

54 Hæc denique Dona: ut ait quidam doctus (*Gonet. Manual. Thom to 3. tract. 4. cap. 7.*) sunt septem radii spirituales, tam splendidi, quàm igniti, à Sole Justitiæ procedentes: Septem columnæ, quibus tota innititur domus, quam sibi Divina Sapientia ædificavit: (*Proverb. 9. 1.*) Septem lucernæ, de quibus dicitur in Exodo: (25 37.) *Facies lucernas septem & pones eas super candelabrum.* Septem stellæ in dextera Christi, ut vidit Joannes in Apocalypsi *cap. 1.* Septem oculi super lapidem unum, de quibus fit mentio apud Zachariam Prophetam *cap. 3.* Septem crines, in quibus fortitudo Sampsonis posita erat (*Judicum 16.*) Denique septem filii patientis Job, qui per singulos dies convivium faciebant: (*Job. 1.*) *Alium enim diem* (inquit Gregorius) *habet sapientia: alium intellectus; alium consilium: alium fortitudo; alium scientia; alium pietas; alium timor.* Quibus Sanctus Spiritus firmat, & protegit animum contra omnia vitia, & tentationes. *Contra stultitiam* prosequitur Gregorius. *sapientia; contra hebetudinem; intellectu; contra præcipitationem, consilio; contra timorem, fortitudine; contra ignorantiam, scientia; & contra superbiam, timore.*

CAPUT VI.

De Donis Spiritus Sancti in particulari, cum doctrina practica in singulis.

55 Quia aliqua in praxi occurrere possunt directoribus circa horum Donorum exercitium, congruum erit breviter de illis in particulari texere sermonem; & primo circa *Donum sapientiæ*. Dicimus cum Angelico (2 2. q. 45. *art.* 2.) duplicem habere partem; una est speculativa, & alia practica; per partem speculativam se habet respectu cognitionis Dei, & divinorum cum quadam affirmatione, nullo habito ad divinam revelationem respectu (ut habet fides) sed tantum affirmat per ipsam rei speculatæ veritatem: Pars practica nullum habet respectum ad res divinas, neque eas contemplatur; sed per divinas regulas judicat de actibus humanis, eos ordinando,

K & di-

& dirigendo ad cauſam univerſaliſſimam.

56 Hoc Donum ſecundum ejus partem ſpeculativam, quæ ad divinam cognitionem attinet, ſolet regulariter eſſe cauſa Myſticæ Theologiæ, ut tenet Dionyſius *De divin. nomin. cap.* 7. vocans eam divinam, & infuſam ſapientiam, & Donum Divini Spiritus: Tenet etiam Bonaventura *de Don S Sancti* & Dionyſius Cartuſianus *de Myſtica Theolog art.* 9. & iſte diverſis fundamentis probat, eſſe hujusmodi Donum cauſam contemplationis, tam activæ, quàm paſſivæ; & nullo modo obſtare, quòd ambæ contemplationes ex eodem principio procedant; quando quidem ex eadem radice charitatis procedit exercitium voluntatis, tam in activa, quàm in paſſiva contemplatione.

57 Præſtat intellectui hoc Donum, quoddam ſimpliciſſimum, & altiſſimum lumen, quo ſuaviter, & efficaciter voluntas movetur; & ut bene notat D. Thomas 2. 2. *qu* 180 *art.* 7. *in corp.* ipſe intellectus percipit ſaporem ſuavem ex facilitate cognitionis veritatis, ad quam intellectus ducitur per ſuam naturalem inclinationem, quæ efficitur delectabilior habenti hoc Donum Spiritus Sancti; & propterea vocatur Donum ſapientiæ, id eſt, ſapidæ ſcientiæ, & in voluntate ſimiliter ſuaves parit effectus; & longe ſuaviores his, quos cauſat habitus fidei; quia habitus fidei quamvis Deum repræſentet ut eſt in ſe, tamen hoc fit cum aliqua obſcuritate, & caligine, plus tenebroſa quàm ea quæ per Donum ſapientiæ recipitur; hoc enim quamvis Deum ſpeculatur per ænigmata, & intra fidem, lumen tamen eſt clarius, & profundius, quamobrem delectatur intellectus, & ſuaviter rapit voluntatem.

58 Cauſat hoc Donum in anima quamdam certitudinem, & firmiſſimam ſecuritatem divinæ exiſtentiæ, & Myſteriorum fidei, adeo infallibilem, & ſecuram, quodſi de poſſibili fides defuiſſet, vel Angelus de Cœlo contrarium affirmaret, nullatenus anima de veritate dubitare poſſet, quæ quidem certitudo in nullo expreſſo fundamento, vel ratione fulcitur, ſed ex ſola experimentali certitudine, quòd ita ſit, & ad hoc fortaſſe facere poteſt, quod ajebat Apoſtolus, cùm dicebat Galatis; *Sed licet nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit. (Ad Galatas 1 18)*

59 Radicatur etiam in anima contemplativa in virtute hujus Doni, adeo altiſſima æſtimatio, & conceptus divinitatis, quodſi omnes Seraphim, aut Cherubim, aut cæteræ creaturæ variis rationibus, & exemplis magnitudinem illius exaggerarent, eſſet animæ quaſi parva gutta in vaſtiſſimo mari adjecta, talem quippe per hoc Donum concipit Dei notitiam, ut ſolus Deus, & non creatura aliqua poſſit ei aliquid ſuperaddere. Dum igitur anima per hoc infuſum lumen Deum contemplatur, nihil præter illum admittit, quamobrem nihil addere curet Magiſter, ſed quòd ſuaviter applicet voluntatem, & in illo dulciter conquieſcat, alioquin non parva incommoda obſequi poſſunt.

60 Demum ſcire oportet, quòd Actus Doni ſapientiæ non eſt ſimplex, vel ſimpliciſſima apprehenſio, ſed firmum judicium, & in hoc diſtinguitur à Donis intellectus, ſcientiæ, & conſilii, quæ ſunt intellectualia: Unde (ſicut docet Angelicus 2. 2. *q* 98. *art* 8) cùm intellectus judicat de rebus fidei, hoc agit per hoc Donum ſapientiæ: Cùm autem eas ſimpliciter penetrat, nihil in eis affirmando, vel negando, hoc agit per Donum intellectus: Cum verò judicat de rebus creatis ſupernaturalibus, hoc facit per Donum ſcientiæ: Denique cùm reducitur ad exercitium particulare agendorum, hoc agit per Donum conſilii: Quod bene notare oportet, ut poſſit Magiſter in anima exercitii ſui originem cognoſcere. Habitus hujus Doni ſapientiæ in intellectu ſubjectatur.

61 *Donum intellectus* in eadem ſui nominis potentia recipitur, cujus officium eſt arcana eorum penetrare, quæ nobis in ſupernaturalibus fides proponit Intellectus namque humanus, cum ſit limitatus, tantummodo poteſt res limiti ſubjectas cognoſcere, & ſi forte ad eas, quæ ſupernaturales ſunt oporteat elevari, indiget ſupernaturali habitu fidei, qui licet Deum, & ſupernaturalia poſſit cognoſcere, tamen obſcure, & caliginoſe, & (ut ſolemus dice-

dicere) quasi superficialiter; Quamobrem ut hæc quæ obscure repræsentantur intellectui possit medullitus, profundiusque penetrare, indiget alio lumine superaddito lumini fidei, juxta illud Psalmi: (35 10.) *Et in lumine tuo videbimus lumen*. Quod lumen (teste D. Thoma 2. 2. *q*. 8. *art*. 1) dicitur Donum intellectus, quod quidem sicut & cætera Dona (ut tenet Gregorius, *Lib.1.Mor.cap.* 23.) supponunt fidem, & gratiam sanctificantem.

62. Actus hujus Doni solet esse causa contemplationis, tam activæ, quàm passivæ, quoad illam tamen partem, quæ primam omnium causam penetrat, & cognoscit: Est enim simplicissima divinæ veritatis apprehensio, obsequens scilicet fidem repræsentantem Deum, ut est in se sed absque affirmatione, vel negatione, propterea est proprius utriusque contemplationis, ut tenent communiter Mystæ.

63 Et priusquam ad cætera Dona procedamus, dicere oportet, quòd per habitus fidei,& Donorum sapientiæ, & intellectus, aut per eorum singulos, potest anima cum Deo suo uniri, & copulari secundum suam intellectivam potentiam, quia ejus unio mystica (ut supra visum est *Tract*. 1. *c*. 1. *n*. 2.) consistit formaliter in cognoscendo proportionabiliter Deum, ut est in se: Cumque per hujusmodi habitus ita cognoscatur Deus; sequitur quòd per eos possit humanus intellectus cum Deo suo uniri, & copulari.

64 Ut autem possit Magister practice cognoscere, à quo ex his habitibus contemplatio animæ, sive activa, sive passiva, procedat; observet, si lumen quod recipit, est obscurum, indeterminatum, & confusum, causans in anima profundam oblivionem, vel indistinguibilem caliginem; quia, tunc cujusmodi contemplatio provenit ab habitu fidei, quæ ex natura sua est obscura, & caliginosa, ut tenet Apostolus, & obscuritas, & caligo generant oblivionem, solitudinem, & silentium.

65 Si autem anima adeo sublimiter, & profunde Deum supernaturaliter cognoscit, quòd per quandam experimentalem notitiam plus in illo judicet, quàm per omnes naturales rationes, & considerationes, per plures annos posset ipsa sola judicare, tunc proculdubio hic actus à Dono sapientiæ procedit. Denique quando intellectus contemplans Deum altissime illum cognoscit, manendo in profunda, & simplici admiratione, nihil in eo affirmando, vel negando; tunc oritur ille actus ab habitu Doni intellectus.

CAPUT VII.

Prosequitur eandem materiam.

66 Habitus *Doni scientiæ* subjectatur etiam in intellectu, & est habitus, quo homo agit actus supernaturales, & judicat de mysteriis fidei, separando in eis ea quæ credere debet, ab his quæ credere non oportet, juxta quam cognitionem dirigit humanas actiones, ut communiter docent omnes Theologi cum Divo Thoma 2. 2 *q* 9. *art* 3. & Bonaventura *De Don SS. c.* 1 Distinguitur à Dono sapientiæ (licet ambo de eisdem rebus divinis judicent) in hoc, quod Donum sapientiæ habet pro objecto solam veritatem propter quam suum judicium elicit; Donum verò scientiæ judicat de rebus fidei per congruentias, & rationes humanas, & quia convertitur ad creaturas, nequit esse medium proximum intellectualis exercitii in actum pure contemplationis, licet aliqui contrarium velint.

67 Habitus *Doni consilii* similiter recipitur in intellectu; & est quidam habitus, quo homo fit aptus duci, & doceri à Spiritu Sancto, in ordine ad ea quæ agere debet, vel omittere, ad consequendam vitam æternam: Qui (ut docet D. Thomas 2. 2. *q* 52 *art*.4 *ad* 2) cùm sit quædam inquisitio, aut consilium divinum ad id quod operari oportet, propterea vocatur Donum consilii: Distinguitur enim à Dono scientiæ, quia Donum scientiæ judicat de his, quæ credenda, vel non credenda sunt, Donum consilii de his, quæ agenda sunt, vel omittenda.

68 Et valde notandum est cum Angelico Præceptore *In* 3 *dist*. 35 *q*.2 *art*. 4 quòd cùm homo non solùm edocetur in his, quæ agere debet, aut omittere, sed etiam instruitur ad alios erudiendos, in his, quæ ad eorum justificationem expediunt; hoc

K. 2. non.

non pertinet ad Donum consilii, se ad gratiam gratisdatam, quam Sanctus Doctor vocat *consilium activum*, & hoc Donum vocat *consilium passivum*, quod habent omnes qui sunt in gratia, & charitate, quia est habitus infusus disponens hominem, ut illuminetur à Sancto Spiritu in his, quæ agenda, vel omittenda sunt ad vitam æternam; gratia verò consilii activi, non omnibus in gratia constitutis conceditur, ut per se constat.

69 Distinguitur similiter hoc Donum (ut tenet idem Angelicus 2. 2. *q.* 52. *art* 1. *ad* 1.) à prudentia, & eubulia in eo, quòd istæ inquirunt de his, quæ per humanam rationem comparari possunt, vel sunt illi contingentia; per hoc verò Donum Divinus Spiritus infundit quandam firmissimam certitudinem eorum, quæ prudentia, & eubulia solùm inquirunt, & conjectantur.

70 Invenit igitur Magister aliquas animas hoc Dono illuminatas, & omnes in statu Matrimonii spiritualis. Circa quas animadvertere oportet quòd prædictæ in omnibus fere operationbus à Sancto Spiritu dicuntur, & gubernantur juxta illud Apostoli: *Qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*. (*Ad Rom* 8. 15.) In aliis verò quæ in statu Matrimonii constitutæ non sunt, etiam intuebitur, quòd per quoddam quasi habituale lumen in omnibus agendis præmonentur, & bonitatis, aut malitiæ, perfectionis, aut imperfectionis cognitionem, antequam operetur, recipiunt; & hoc proculdubio ab hoc Dono consilii procedit: Quod cum interdum ad actionem, interdum ad contemplationem referatur, nequit esse actus immediatus contempla tionis.

17 Habitus *Doni pietatis* subjectatur in voluntate, & est quidam habitus, quo homo obsequitur, & amat Deum tanquam amabilissimum Parentem; ideo Apostolus inquit: *Accepit spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater*. (*ad Rom.* 8. 16.) Distinguitur à virtute pietatis, quòd hæc respicit Parentes, & carnaliter propinquos; & Donum pietatis primario respicit Deum, ut Patrem, & secundario Parentes, & egenos. Distinguitur etiam à virtute Religionis, quæ Deum colit, ut Creatorem; hoc autem Donum colit; amat, & sequitur, ut amantissimum Patrem; quæ omnia sunt D. Thomæ. (2. 2. *q.* 121. *art.* 1.)

72 Habitus *Doni fortitudinis* recipitur etiam in voluntate, & est quidam habitus, quo justus disponitur ad superandam in arduis difficultatem, quousque finem arrepti operis, secundum motionem supernaturalem attingat. Distinguitur à virtute fortitudinis in eo, quòd virtus solummodo dat fortitudinem ad tollerandas res ipsi connaturales, secundum aliquas earum difficultates; Donum verò fortitudinis ad omnia extenditur, tam naturalia, quàm supernaturalia, ut omnibus difficultatibus superatis optatum finem assequatur. Ita D. Thomas. 2. 2. *q.* 193. *art.* 1. & 199. *art.* 1. *ad.* 1. & *in* 3. *dist.* 34. *qu.* 3. *art.* 1.

73 Hujus proculdubio Doni effectus sunt contra diabolicos incursus, vigor animi, & fortitudo; & similiter tolerantia, & patientia in purgationibus passivis, cæterisque vitæ spiritualis periculis, & difficultatibus; & denique desideria martyrii. Circa quæ præmonere oportet Magistrum, quòd plerumque inveniet animas in omnibus statibus, quæ quidem affirment, se à Deo ad martyrium vocatas esse, atque in ejus desideriis vehementer concremari; cum quibus præcaute procedendum est, quia non semper vera sunt ejusmodi desideria, maxime ut executioni mandentur; indigent enim hæc desideria incidere in viros ad vocationem aptos, in omni virtute consummatos, atque in laboribus, fortitudine, & patientia valde expertos: Insuper pollere debent doctrina, spiritu, & fervida charitate; & præcipue habere statum aptum ministerio; quia sicut merito prohibitum est cum Hæreticis disputare ob periculum perversionis, & tantum permissum viris in omni scientia, & virtute præditis; multo magis prohibendus est ab occasione proxima perversionis, quam incurrere potest, qui martyrium quærit, si in omnibus supradictis non sit bene instructus, probatus, & perfectus. Propterea in his, qui aut per professionem, statum, vel sexum ad capessendum martyrium inepti sunt, hujusmodi desideria, non ad executionem martyrii in Gentibus per prædicationem, sed

ad-

ad executionem martyrii in se ipsis per mortificationem admittenda sunt.

74 Quoad Regulares verò, vel Sacerdotes Sæculares, quamvis prædictis dotibus polleant, & desideria martyrii habeant non illico se determinet Magister, sed Regulares mittat ad suos Superiores examinandos, qui juxta institutum, & personarum capacitatem, melius, & tutius se determinabunt, quia scriptum est: *Sapientis oculi in capite ejus*. (*Eccle. 2. 14.*) Sacerdotes verò Sæculares mittat ad suos directores: Quodsi ipse sit eorum director, precibus, & Sacrificiis per multum tempus à Deo pro tam arduo proposito lumen postulet; eosque in laboribus, doloribus, frigore, nuditate, cæterisque virtutibus multum probet, videatque si hujusmodi desideria in illis augeantur, & lumen excitans semper persistat, vel è converso: Quo durante, cæterisque requisitis scientiæ, ætatis, virtutis, status, & conditionis personarum, & aliis, quæ necessaria judicaverit, satis perpensis, & examinatis; & præsertim viris doctis, & spiritualibus consultis, poterit tuto eorum vocationem, & missionem permittere; & semper in his, & similibus caute, & pedetentim procedat.

75 In cæteris verò hujusmodi desideria ad eorum mortificationem, & abnegationem reducat; & plerumque in illis conspiciet, quòd in scopulos periculosos fervoris sui causa impingunt, & in pœnitentias, imprudentesque rigores declinant; & aliquando in ejulatus, clamores, fugas præcipites, & actiones indecentes ebulliente corde, indiscrete, & imprudenter erumpunt; quæ omnia interdum provenire possunt ab his desideriis non morigeratis, & interdum à spiritu lunatico; ad quarum percallendam originem, præcipiat eis Magister, quòd hæc sua desideria compescant, moderentur, & relinquant: Quodsi statim paruerint, vel saltem parere curaverint, possunt hæc desidera procedere à bono spiritu, eisque ad meritum multum proficere: Si verò vel obedire noluerint vel; quamvis velint non possint penitus obedire, tunc proculdubio à spiritu lunatico, aut diabolico respective procedunt: A diabolico quidem si obedire noluerint, à lunatico vero, si volentes obedire, non possint.

C A P U T VIII.

Concluditur materia de donis, & agitur de fructibus Spiritus Sancti, & de Beatitudinibus.

76 Habitus *Doni timoris* subjectatur etiam in voluntate, & est quidam habitus, quo humiliter reveremur Deum. Confirmat in hoc consistere illud Psalmi concinentis de Beatis, qui humili & æterna reverentia Dominum venerantur; *Timor Domini Sanctus permanens in sæculum sæculi*. (*Ps. 18. 10.*) Quia cum in beatis nullus alius possit reperiri timor, nisi hæc sola Dei reverentia, evidenter colligitur, quòd in hac reverentia (ut docet D. Thomas *In 3 dist 34 qu. 1. art. 2. ad 1 & q. 2. ar. 1. & 3. ad 2.*) hoc Donum timoris consistat.

77 Sed ne in pluribus Sanctorum sententiis aliqua forsan oriatur difficultas, & Magister valeat animabus afflictis aliquam consolationem præbere, scire oportet, quòd quadruplex est genus timoris; scilicet, timor humanus, servilis, filialis, & initialis (non loquimur de illo timore, qui pavor, aut metus dicitur.) *Timor humanus* dicitur, quando propter laborem, aut pœnam temporalem homo recedit à Deo suo; puta propter horrorem martyrii, &c. & hic timor perversus est.

78 *Timor servilis* ille est, cùm homo recedit à peccato propter supplicium æternum, aut propter aliquam pœnam temporalem; & hic timor non est malus juxta glossam in illud Pauli: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore*. Quem timorem à bono spiritu procedere affirmat, dicens: *Unus spiritus est, qui facit hos duos timores, scilicet, servilem, & castum. Gloss. ord. in epist. ad Rom. 8.*

79 Sed in hac specie *timoris servilis, unus* est timor *bonus*, & *alter malus*: *Bonus* est, quando quod timetur convenit rectæ rationi, & per eam moderatur, ut propter culpam timere gehennam; hic timor bonus est, & inclinat ad bonum, ut deci-

decisum fuit apud Tridentinum *Sess. 6 c. 6.* in cujus favorem extant plura Scripturæ loca, & Sanctorum Patrum sententiæ: *Timor* verò *servilis*, *& malus*, est, quando in eo quod timetur, ponitur malum pro ultimo fine timoris, præponendo illud summo bono, ut cum aliquis dicit: SI NON ESSET INFERNUS COMMITTEREM PECCATUM. *Timor servilis bonus* est actus fugæ virtutis spei Theologicæ, quia eodem habitu, quo producimus actus amoris Beatitudinis, & media ad illam assequendam adhibemus, producimus etiam actus, quibus fugimus ea quæ nobis illam possunt impedire; & hic timor (teste Augustino *Lib. 83 quæst. 33.*) fugit culpam, ne nobis hujusmodi bonum impediat.

80 *Timor filialis* est ille, qui timet malum culpæ, ne Deo privetur, & ne per culpam ille offendatur; & ideo dicitur timor filialis, vel filiorum, quia boni filii timent exacerbare Parentem, propter solam ejus reverentiam, & amorem. Iste timor est actus virtutis charitatis Theologicæ, quia omnes actus, qui habent pro objecto formali divinam bonitatem, sunt eliciti à charitate: Cùm autem hic Sanctus timor habeat idem objectum, consequens est, quòd sit actus virtutis charitatis.

81 *Timor initialis* non est realiter di-distinctus à timore filiali, sed solùm distinguitur intensione, & statu; quia (ut ait D. Thomas 2. 2 *q. 19. art. 8.*) Timor initialis est proprius incipientium, in quibus incipit generari quidam timor filialis, de radice charitatis procedens; quæ cum adhuc in illis non sit perfecta, timor ille, qui ab ea generatur, non potest dici perfectus filialis, sed tantum initialis: Quamobrem timor initialis in ordine ad filialem se habet, sicut charitas imperfecta ad perfectam, & sicut charitas imperfecta non distinguitur realiter à perfecta, sed tantum in intensione, & statu; ita similiter timor initialis non distinguitur realiter à filiali, sed tantum in intensione, & statu.

82 Ex quibus omnibus deducitur, quòd Donum timoris Dei non sit ex ullo timorum istorum, quia Donum non inducit timorem, sed reverentiam; nec per eum directè timetur Deus, sed reverenter veneratur, & colitur. Præterquamquod ex tribus bonis timoribus prædictis, timor servilis est actus fugæ virtutis spei Theologicæ: Timores filialis, & initialis sunt actus aliciti à virtute charitatis; & cùm maneat probatum, quòd Dona realiter distinguuntur à virtutibus, sequitur manifeste, quòd Donum timoris non sit habitus, quo Deus timeatur; sed habitus, quo Deus reverenter veneretur. Denique cum hoc donum non habeat pro objecto materiali essentiam divinam, sed reverentiam, & obsequium, licet possit per charitatem actus ejus imperari; nequit esse medium proximum ad unionem mysticam, & contemplationem; de quibus loquimur. Videatur S. Bonaventura. *De. Sep. Don. c. 1. per tot.*

83 *Fructus Spiritus Sancti* (ut docet D. Thomas 1. 2 *q. 70. art. 1. resp. ad 1.*) non sunt habitus, qui in aliqua determinata potentia subjectantur; sed actus infusarum virtutum, & Donorum, quia fructus non potest esse radix arboris, sed ejus actus, aut effectus, & ipsa locutio metaphorica declarat, non esse radices, aut habitus, sed fructus, aut actus. Quod equidem confirmare videtur Apostolus *Ad Galat. 5. 22.* quandoquidem eos vitiorum habitibus opponit, esse actus supponit, & non habitus; qui merito vocantur fructus Spiritus Sancti, quia habitus virtutum, & Donorum, a quibus procedunt, sunt supernaturales, & infusi, & omnis supernaturalis infusio Spiritui Sancto tribuitur, juxta illud Domini: *Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis* (*Joann. 14. 16.*)

84 Denique ratione convincitur; ejusmodi fructus non esse habitus, sed actus: „ Quia (ut docet Angelicus *ubi* „ *supr.*) sicut operatio humana cùm „ producitur juxta operationem rationis; dicitur fructus rationis; ita etiam „ cùm operatio humana producitur juxta virtutem supernaturalem, quæ Donum est Spiritus Sancti, actus ab ea „ productus vocari debet fructus Spiritus Sancti. Unde manifeste patet, hos fructus esse actus virtutum, vel Donorum, & non habitus. Idem dicendum est

est *de octo Beatitudinibus*, quarum singulae clare demonstrant, esse actus virtutum paupertatis, justitiae, patientiae, fortitudinis, &c. ut expresse docet D. Thomas *ubi supr.* & cum multis Pater Franciscus Suarez. *Part.* 1. *de grat. libr.* 2. *capit.* 22. *numer.* 2. Et haec de habitibus supernaturalibus ad brevem notitiam Directorum dixisse sufficiant.

TRACTATUS QUARTUS.

De Gratiis gratis datis.

HActenus merito dicere possumus, parum, aut nihil de arcanis Mysticae Theologiae effectibus, vel infusis synthomatibus contexuisse sermonem, totumque hucusque studium nostrum circa speculativam, & generalem principiorum notitiam, quae veluti fulcra spirituali Magisterii praeponenda sunt, versatum fuisse: Exinde autem eorum practica notitia, quae rara, difficilia, & obscura per Gratias gratis datas mystice operantur, Directores imbuere operae pretium est. Ut enim in tam obscuris, & periculosis anfractibus animae filum teneant, oportet eorum quidditates, ubicationes, causas, exitus, & offendicula funditus demonstrare. Faxit Deus (ad cujus gloriam hic noster dirigitur labor) quod mentem nostram divini sui luminis radio illuminare dignetur, quo tam difficilis, atque impenetrabilis viae finus Magistris spiritualibus aperire, & clarigare valeamus. Putamus enim non ingratum legentibus futurum esse, cum nulla ex his quae pertractanda sunt, hoc fortasse ordine, & methodo exposita alibi reperiantur.

CAPUT I.

De Gratiis gratis datis in communi.

1 GRatia GRATIS DATA juxta Angelicum Praeceptorem est; *Quoddam Donum, sive auxilium, quo homo ad justificationem alterius cooperatur, (D. Tho. 1. 2. q. 111. art. 1.)* Vocatur gratia data gratis, quia absque propriis meritis, & supra omnem facultatem naturae, alicui gratis datur; non ad sui justificationem, sed ad proximi profectum, ordinatum ad ejus sanctificationem: Unde de qualibet earum ait Apostolus: *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem. (1. ad Corint.* 12. 7.) Cui addit D. Thomas: *Intelligitur alienam. In 1. ad Cor.* 12.

2 Ex hoc colligitur, quod hae gratiae possint reperiri in homine gratia, & charitate destituto, quia cum ad propriam sanctificationem non dirigantur, sed ad proximi utilitatem, non implicant à propria gratia, & charitate esse separatas, sicut visum est in Caifa Pontifice, & in uxore Pilati, in Propheta Balaam, & aliis; & Apostolus de hujusmodi gratiis loquens ad Romanos 11. 6. dicit: *Si autem gratia; non operibus; alioquin gratia non esset gratia.* Nam eo ipso quod sint gratiae, non exigunt in subjecto meritum, aut dispositionem; & hoc est discrimen inter eas, & Dona Spiritus Sancti, non obstante quod inter eas sint gratiae sapientiae, & scientiae; quia Dona gratiam sanctificantem supponunt, quam istae gratiae non requirunt: Quamobrem deducere debet Magister, cujus pretii, & aestimationis sint homines hujusmodi gratiis praediti, si cum heroica ejus sanctitate, & virtute non copulentur; ad quam, & non ad gratias attendere debet Director.

3 Numerum gratiarum exponit Apostolus scribens Corinthiis: *Alii per spiritum* (inquit) *datur sermo sapientiae; alii autem sermo scientiae secundum eundem spiritum: alii fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum: alii prophetia: alii discretio spirituum: alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum. (1. ad Corint.* 12.) Has tantummodo gratias narrat Paulus; quarum necessitatem miraculoso, & elevato (ut assolet)

solet) calamo explicat Divinus Thomas 1.2. *q.* 111. *art* 4. his verbis: „ Gratia gratis data ordinatur ad hoc quod homo alteri cooperatur, ut reducatur ad Deum. „ Homo enim ad hoc operari non potest, „ interius movendo (hoc enim solius Dei „ est) sed solum exterius docendo, vel „ persuadendo; & ideo Gratia gratis data „ illa sub se continet, quibus homo indiget ad hoc, quòd alterum instruat in „ rebus divinis, quæ sunt supra rationem. „ Ad hoc autem tria requiruntur: Primò „ quidem, quòd homo sit sortitus plenitudinem cognitionis divinorum, ut ex „ hoc instruere alios possit: Secundò, ut „ possit confirmare, vel probare ea quæ „ dicit; alioquin non esset efficax ejus „ doctrina: Tertiò, ut ea quæ concipit, possit auditoribus convenienter „ proferre.

„ Quantum igitur ad primum, tria „ sunt necessaria, sicut etiam apparet in „ Magisterio humano: Oportet enim „ quòd ille, qui debet alium instruere in „ aliqua scientia, primo quidem, ut principia illius scientiæ sint ei certissima; „ & quantum ad hoc ponitur FIDES, „ quæ est certitudo de rebus invisibilibus, „ quæ supponuntur ut principia in catholica doctrina: Secundò oportet, quòd „ Doctor rectè se habeat circa principales conclusiones scientiæ, & sic ponitur „ SERMO SAPIENTIÆ, quæ est cognitio divinorum: Tertiò oportet, ut „ etiam abundet exemplis, & cognitione „ effectuum, per quos interdum oportet „ manifestare causas, & quantum ad hoc „ ponitur SERMO SCIENTIÆ, quę est „ cognitio rerum humanarum, quia invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.

„ Confirmatio autem in his, quæ subsunt rationi, est per argumenta; in his „ autem quæ sunt supra rationem divinitus revelata, confirmatio est per ea quæ „ sunt divinæ virtuti propria; & hoc dupliciter; uno quidem modo, ut Doctor „ Sacræ doctrinæ faciat, quòd solus Deus „ facere potest in operibus miraculosis, „ sive sint ad salutem corporum, & quantum ad hoc ponitur GRATIA SANITATUM; sive ordinentur ad solam divinæ potestatis manifestationem, sicut „ quòd Sol stet, aut tenebrescat, vel quod „ mare dividatur, & quantum ad hoc ponitur OPERATIO VIRTUTUM: Secundò, ut possit manifestare ea, quę solius „ Dei est scire, & hæc sunt contingentia, „ & futura. & quantum ad hoc ponitur „ PROPHETIA: & etiam occulta cordium; & quantum ad hoc ponitur DISCRETIO SPIRITUUM Facultas autem pronuntiandi potest attendi, vel „ quantum ad idioma, in quo aliquis possit „ intelligi & secundum hoc ponitur GENERA LINGUARUM; vel quantum ad sensum eorum, quę sunt proferenda; & quantum ad hoc ponitur INTERPRETATIO SERMONUM Hactenus D. Thomas; ex quo colligitur omnes has gratias esse valde necessarias in Ecclesia ad perfectam expeditionem ministerii Apostolici, & ad animarum instructionem, licèt non omnes uni, sed uni unam, vel plures, regulariter Spiritus Sanctus concedat, dividens singulis prout vult; nec repugnat posse uni omnes concedere, sicut olim Sanctis Apostolis concessæ fuerunt.

6 Aliæ communiter vocantur gratiæ gratis datæ, quæ non ad proximi utilitatem, sed ad propriam animæ recipientis salutem diriguntur, & lato modo gratiæ gratis datæ dicuntur, quia nimirum sunt beneficia gratis à Domino concessa: Et licet asserat D Thomas 1.2. *q* 111. *art* 4. *ad* 1. quòd non omne beneficium divinum dicitur gratia gratis data, sed solum ea, quæ excedit facultatem naturæ, ex hac exceptione firmatur regula in contrarium; nam si beneficia à Deo collata excedant facultatem naturæ, poterunt merito vocari gratiæ gratis datæ; & hujus generis sunt visiones, revelationes, raptus, ecstases, & his similia; quæ nullus negare poterit, quòd excedant naturæ facultatem. De his tamen, non in præsenti, sed in sequenti tractatu agemus; & in hoc tantummodo de his novem adductis ab Apostolo.

7 Hæ gratiæ gratis datæ longe inferiores sunt gratia sanctificante: Primò, quia gratia sanctificans reddit hominem amicum Dei, quæ amicitia non requiritur ad hujusmodi gratias gratis datas, quas habere potest Dei inimicus, ut suprà *num.* 1. vidimus: Secundò, quia ut ait D. Thomas:

mas *ubi supra*, *art.* 5. „ Unaquæque virtus tanto excellentior est, quanto ad aliud bonum ordinatur, semper autem finis potior est his quæ sunt ad finem; gratia enim gratum faciens ordinat hominem immediate ad conjunctionem ultimi finis; gratiæ autem gratis datæ ordinant hominem ad quædam præparatoria finis ultimi; sicut per prophetiam, & miracula, & alia hujusmodi, homines inducuntur ad hoc quòd ultimo fini conjungantur, & ideo gratia gratum faciens est multo excelsior, quàm Gratia gratis data. „ Hæc D. Thomas.

8 Gratiæ gratis datæ, de quibus Apostolus loquitur, non omnes sunt habitus, qui in potentiis animæ recipiuntur, sed interdum per modum auxilii transeuntis recipiuntur. Quæ autem ex illis sint habitus, & quæ sint auxilia, suo loco dicemus, cùm de singulis sermonem faciemus: Plerumqne enim vidimus aliquas ex illis quasi habitualiter possideri; alias verò raro, & citra recipientis arbitrium, quia Divinus Spiritus eas singulis dividit prout vult.

CAPUT II.

De Gratiis gratis datis in particulari, cum doctrina practica pro singulis, & præcipue de gratia Sapientiæ, prima ex gratis datis.

9 PRima ex gratis datis est SERMO SAPIENTIÆ, & est habitus supernaturalis, & infusus, quo homo sublime, & profunde judicat de rebus divinis, & ita eas penetrat, quòd possit etiam alios easdem docere. Hic habitus recipitur in intellectu, quia hoc quod est cognoscere, judicare, & penetrare, est proprium hujus potentiæ cognoscitivæ: Ita D. Thomas. 1. 2. *q.* 111. *art.* 4 *ad* 4.

10 Sed ad praxim deveniendo, reperiet aliquando Magister animas, quæ vel à supernaturalibus locutionibus, vel ab infusis Mysteriorum fidei notitiis ita illuminatæ sunt, quod affirment se esse à Deo excitatas, ut ea quæ sibi tradita sunt, alios doceant. In hoc enim debet Director præcaute procedere; præsertim si hoc modo excitatæ sint fœminæ, quibus Apostolus prohibet docere, & loqui in Ecclesia Dei, sed tacere, audire, & humiliter viros interrogare: *Mulier* (inquit 1. *ad Timoth.* 2. 11. 12.) *In silentio discat cum omni subjectione: Docere autem Mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio*. Et alibi: *Mulieres in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut lex dicit: Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent, turpe est enim Mulieri loqui in Ecclesia* (1. *Ad Corint* 14. 34 & 35) Et causam assignat D. Thomas (*In* 1 *ad Tim.* 2. *lect.* 3.) *Indicit* (inquit) *eis taciturnitatem, disciplinam, & subjectionem, & hæc tria ex una ratione procedunt, scilicet, ex defectu rationis in eis*. Aliam affert rationem Anselmus *In* 1. *Ad Corint* 14 34 & *in* 1 *ad Timot.* 2 12. dicens: „ Nam verba Mulieris sunt inflammantia, juxta illud Ecclesiastici: 9. 11. *Colloquium illius quasi ignis exardescit*. Unde Mulier in silentio discat, ne vox ejus audientes moveat ad libidinem .... Silentium teneat, quia dum loquitur, magis ad luxuriam irritat, & irritatur.

11 Quamobrem suspicari debet Director, quod ejusmodi excitatio ad docendum sit Dœmonis fallacia, qua eas perdat, alios scandalizet, & in propriam, & vanam æstimationem incurrant; quia si interdum in aliqua fœmina talis gratia visa est, cui merito dici potuisset illud Psalmi: 44. 3. *Diffusa est gratia in labiis tuis*, regulariter in eis fuit, quæ præfuerunt congregationibus Monialium in Cœnobiis: & in sæcularibus fœminis contracta ad eundem sexum docentis; nam licèt Deus sit suarum gratiarum Dominus, raro tamen, aut nunquam absque extrema necessitate, circa diversis sexus instructionem concedit fœminis gratiam sermonis.

12 In unico verò casu hæc fœminarum instructio concedi potest, & tunc est, quando persona quæ instruenda est, à nullo alio nisi à tali fœmina reprehensionem, vel doctrinam libenter accipiet, simulque procul absunt periculum, scandalum, & indecentia, & adhuc in hoc casu debet prius Magister alia media adhibere; Quæ si non sufficiant, & habita prudenti consideratione ipse ita expedire judicaverit,

rit, tunc poterit instructionem permittere; caute tamen, semperque super illarum factis, vel dictis diligenter invigilans.

13 Si Saecularibus hominibus haec gratia concessa videatur, moneat eos Magister, quòd circa familias suas eam exercere studeant, ut Patribus familias competit; extraneis verò, potius sanctis operibus, & virtutum exemplo, quam verbis, & lingua praedicent, & nullatenus quempiam exterorum eis docere permittat, laicis quippe non est ab Ecclesia commissum officium docendi, & praedicandi, quia scriptum est ab Apostolo: *Quomodo verò praedicabunt nisi mittantur? (ad Rom. 10. 15.)* Imo quamvis hanc gratiam abundanter recepissent, dum à Doctoribus, & Magistris verba doctrinae audiunt, quasi inscientes auscultent; & adhuc interrogati, non docendo, sed quasi discendo respondeant, quia sic à Sanctissimis viris actum est.

14 In Regularibus, & maxime in Praelatis, omni vacat suspicione ejusmodi gratiae excitatio, quia eis ex munere competit docere, & praedicare; sed cum hoc discrimine inter docentes, & docendos; quòd haec excitatio fuerit ut subditi doceant, & moneant suos Superiores, & Praelatos, erit excitatio nimis suspecta, utpote adversus ordinem Ecclesiasticae Hierarchiae, in qua adinstar illius Coelestis, non superiores ab inferioribus, sed inferiores à superioribus illuminari debent: quamobrem maxima cum cautela procedendum est, & nisi adsit stricta necessitas, aut evidens utilitas, talem exequi motionem non permittat.

15 E converso, alii ex Regularibus indigent stimulis agitari, ut gratiam verbi quam acceperunt, executioni mandare studeant; quandoquidem falsa humilitate, aut anima pusillanimitate se excusant. Hujusmodi ad ministerium praedicandi, & docendi sunt à Magistro compellendi, quia communiter (concurrente aptitudine personae) secura, & vera est hujusmodi excitatio in Religiosis Mendicantibus, quorum munus est per exempla, & verba lucere, & proximos instruere in Ecclesia Dei: Et idem dicimus de Sacerdotibus saecularibus, si dotibus scientiae, & virtutis praediti sunt. Caeteris autem quibus sexus, status, vel professionis causa munus docendi interdictum est, moneat quòd Praedicatores attente audiant, humiliter taceant, prudenter discant, & bonis operibus potius addiscant, quàm per verba, & sermonem quasi è naribus spiritum proferant.

16 Haec gratia solet manifeste declarari animae cui conceditur; interdum per clarissimae intelligentiae lumen, interdum per verba interna, vel externa, supernaturaliter prolata, ut factum fuit in Prophetis; interdum per symbola, & figuras, & frequentius denique per firmam experimentalem notitiam; qua monetur, ut conceptum corde sermonem aliis per doctrinae verba communicet; & haec omnia cum mirabili securitate in recipientis animo infunduntur.

17 Sed nihilominus tamen maxime caveat Magister, ne aliqua Daemonis commisceatur fallacia: Propterea debet attendere si illa locutio, lux, figura, aut notitia reddit animam, non solum ita illuminatam, quò manifeste cognoscat suam naturalem capacitatem excedere (ut semper in hac gratia contingit) sed etiam intra se intime recollectam, & divinitus occupatam, atque intima paupertate spiritus, & in Directoris voluntate omnino resignatam, adeo ut aequali facie praeceptum, exequenti, aut omittendi ejusmodi gratiam accipiat. Debet insuper ex hac communicatione contrahere humilem erubescentiam manifestandi gratiam Magistro, simulque illusionis formidinem, licet interius de ejus certitudine secura sit. Director autem absque oratione, & matura discussione, nunquam ad operis executionem se determinet.

CAPUT III.

De Gratia scientiae, secunda ex gratis datis.

18 SEcunda gratia dicitur SERMO SCIENTIAE & est quidam habitus qui in intellectu recipitur, & dirigitur ad penetrationem, & explanationem rerum divinarum per verba, comparationes, & argumenta, quibus eas stabiliat, confirmet,

met, doceat, defendat, & eorum adversarios supernaturali efficacia confundat, ut olim visum fuit in præexcelsa Virgine, Martyre, & Doctora Catharina Alexandrina; quæ per hanc gratiam, non solum divina efficacia Catholicam fidem confirmavit, verumetiam Doctores, & Sapientes profligavit, & confudit.

19 Hæc gratia distinguitur à Dono Scientiæ, quæ (ut ait D. Thomas 2. 2. *q.* 111. *art* 4. *ad* 4) Donum Scientiæ datur ad jud candum de Mysteriis fidei, separando ea quæ homo debet credere, ab his quæ credenda non sunt, ut secundum hoc dirigat actiones humanas ad consecutionem sui ultimi finis. Gratia autem Scientiæ, non solum judicat de rebus divinis, eas profunde penetrando, sed etiam homini tribuit efficaciam, qua eas confirmet, & adversarios confundat. „ Aliud est scire (ajebat Augustinus *de Pronit. cap.* 10.) „ tantummodo quid homo credere debeat „ propter adipiscendam vitam; aliud est „ scire quemadmodum hoc ipsis opituletur, & contra impios defendatur.

20 Hæc gratia regulariter conceditur Doctoribus, qui sua doctrina, & calamo exponunt veritates Catholicas, & verbis, ac scriptis errores confutare, atque sanæ doctrinæ adversarios confundere satagunt. Similiter etiam conceditur Prædicatoribus ad probandam virtutem, confundenda vitia, & ad firmam veritatis doctrinam stabiliendam; & denique Operariis Evangelicis, præcipue illis qui inter Infideles operantur; licèt non repugnet interdum aliis similiter concedi juxta divinum beneplacitum; sed frequentius his quos enumeravimus.

21 Sed valdè animadvertendum est pro hac, & sequentibus gratiis, quod sicut Deus ad munera, & officia obeunda eligit personam, tribuit etiam ei omnia necessaria, quibus possit commissum sibi munus adimplere: & ita similiter denegat ei omnia quæ prædicto muneri opponuntur: & ratio est, quia cum Deus unicuique statum, & occupationem concedit, optat solum quòd perfecte adimpleat id quod ei commissum est, neque ad alia munera quæ perfectam sui status, aut occupationis adimpletionem impedire possunt, extendatur; quia ut ait Gregorius super illa verba Domini per Matthæum: *Tollat unusquisque Crucem suam quotidie, & sequatur me.* (*Matth.* 16. 24.) Dominus non dixit alienam, sed suam ut unusquisque quæ status sui sunt, operetur, & non alieni. Igitur si Deus non vult quod nemo contra commissum sibi statum operetur, sed tantum quòd in eo perfecte se habeat; omnis gratia quæ commisso statui, vel muneri opponatur, falsitatis suspicionem incurret: Propterea debet Magister ante omnia bene inspicere, & examinare, si gratia quæ ab aliquo affirmatur, sibi fuisset concessam, ejus statui, occupationi, vel sexui opponatur; & si ita sit, tanquam valdè suspectam, vel falsam prohibeat eam executioni mandare: Si verò statui, sexui, vel officio accommodetur, poterit esse vera, & tunc ad aliud examen poterit transire, ut tuto possit ad salutem proximi cooperare.

22 Et licet dubitare non liceat quòd interdum Deus extraneas sexui, vel officio occupationes, vel munera committat, ut in adducto exemplo Divæ Catharinæ visum est; sed scire debeamus, quòd licèt gratia quæ tunc conceditur, sexui, vel officio personæ generaliter non respondeat, in illa tamen occasione qua conceditur statui, & officio personæ se accomodat, ut patet in exemplo adducto; in quo licèt gratia illa Scientiæ erat generaliter impropria sexui fœmineo, tunc verò in illa conjunctura temporis statui Catharinæ mirifice respondit; erat enim adstricta, ad suam fidem conservandam, Religionis Catholicæ fundamenta explanare; seseque ab impugnationibus defendere; quamobrem de statu fœmineo transivit ad statum Doctoræ, & Magistræ Catholicæ, & tunc gratia Scientiæ, non in statum improprium, sed in aptissimum, & propriissimum cecidit, & sic philosophandum in cæteris; & ubi non adest necessitas, aut utilitas stricta, & evidens, non facile gratias esse concessas credat, maxime si statui, aut sexui recipiendum non sint accommodatæ, ut sæpius diximus.

CAPUT IV.

De Gratia fidei, tertia ex gratiis datis.

23 Tertia Gratia gratis data dicitur GRATIA FIDEI, cujus habitus diversus est ab illo virtutis Fidei Theologicæ, licèt in illo fundetur, si tamen (quod aliqui negant) habitus sit. Est igitur hæc gratia, quoddam specialissimum lumen infusum, quo homo profunde penetrat nostræ Fidei Mysteria, ita ut alios valeat erudire, & instruere; sed hoc absque ornatu verborum, & absque probationibus, & argumentis; & ut ait Apostolus: *Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis*. (1. *ad Corint.* 2. 4.) Ex qua nimirum gratia oritur, quòd plerumque non sine admiratione conspicimus; scilicet, quòd plures homines, & mulieres, impoliti, & idiotæ, absque venustate verborum, & suasione eloquentiæ, sed planis, & communibus verbis, ita de Deo, & de Mysteriis Fidei loquuntur, quòd vix homo doctissimus, & in Academiis versatus, non solùm ita profunde loqui, verumetiam, & quæ ab ipsis loquuntur, valeat comparare; ut in Beatis Paschasio Bailone, Joanne Dei, Salvatore ab Horta, & aliis pluribus visum est.

24 Distinguitur hæc gratia à virtute Fidei Theologicæ, in eo quòd virtus Fidei sit judicium affirmans, & hæc gratia tantum est apprehensio, & penetratio rerum divinarum, qua homo efficitur capax alios docendi, & instruendi. Distinguitur etiam à Donis Sapientiæ, & Scientiæ, quia eorum habitus res Fidei tantum penetrant in ordine ad proprii subjecti dispositionem, ut sequatur instinctum Spiritus Sancti, & ab eo prompte moveatur: Penetratio verò gratiæ Fidei reducitur ad alienam utilitatem, & profectum. Distinguitur denique à gratiis prædictis Scientiæ, & Sapientiæ; quia licèt istæ penetrent veritatis Catholicas, & ad alienam instructionem, & profectum dirigantur; sed hoc efficiunt per probationes, argumenta, facundiam, & validissimas rationes: Hæc autem gratia Fidei nulla dat verba composita, nullam facundiam, nulla argumenta, sed verba simplicia, & communia, quibus homo de Deo, & Fidei Mysteriis sublimiter, & profunde loquitur.

25 Circa hanc gratiam dicendum venit, quòd nullo modo (si absit necessitas, & magna utilitas, atque specialissima motio) permittat idiotas, & rusticos docere alios; nec de difficilibus Mysteriis Fidei, nempe de Gratia, Prædestinatione, Auxiliis, & his similibus, cum aliis texere sermonem. & hoc licèt affirment, hanc Fidei gratiam accepisse; possunt enim in maximos errores incurrere; quandoquidem & mediocriter in Sacra Theologia versati, indigent specialissima cura in prædictis materiis pertractandis; præterquam quod deficientibus casibus prædictis, regulariter quasi idiotæ despiciuntur hujusmodi homines, & nullum fructum in aliis percipiunt. Doceat eos in omni humilitate, silentio, & virtute se conservare; in illis enim fructuosius regulariter erit cum Deo conversari, quàm de Deo fabulari.

26 Frequentissime etiam inveniet Magister fœminas plures, vel potius Mulieres garrulas, & vagas, quæ prætextu loquendi de Deo per stratas, & aulas Dominarum, per vicos, & plateas, sine pudore, sine recollectione, sine modestia, & sine spiritu errantes; suspiria, gemitus, & verba jaculatoria jactant, atque de Deo, & Fidei Mysteriis (plusquam oportet) cum omnibus loquuntur, putantes his verbis, & actionibus proximos ædificare, atque ad virtutem, & amorem divinum provocare: Ex quo quidem sequitur, quòd præter ingentia damna, quæ per easdem Beatas passim experiuntur, ipsæ quasi aqua effunduntur & mille venialibus peccatis implicantur *In multiloquio* enim (ut ait Sapiens) *non deerit peccatum*. (*Proverb.* 10. 19.) Et Bernardus *De interior. dom.* affirmat, semper de his quæ loquebatur, pœnituisse, & nunquam quòd tacuisset, ei pœnituit, cum fere semper de Deo loqueretur: & plerumque audivimus perfectissimum virum affirmantem, fructuosius esse cum Deo habere colloquia, quàm de illo loqui; & merito quidem, nam loquendo cum Deo, præter divinum objectum quod habet, consequitur anima lucem, amorem, pacem, & præsidium, &

peni-

penitus vitat damna linguæ, & loquendo de Deo, sæpe labi poterit in præsumptionem, vanitatem, vel mendacium, & ut communiter dicitur, interdum de divinis incipit colloquium, & postea in carnalitates, & detractiones terminatur.

27 Alii solent esse viri qui ut spirituales habentur, & prætextu spiritus, & colloquendi de Deo, nimis frequentant Monasteria Monialium, affirmantes, ex earum colloquio non parum profectum adipisci; quod difficile credi potest, & difficilius verum esse, cum raro (si absit justissima causa, vel necessitas) circa animæ detrimentum fiat: Ut quid enim diligitur, & procuratur frequens colloquium cum mulieribus quantumvis spiritualibus, nisi quia eos inducit occulta luxuria in corde latens, vel Diabolicus impulsus cor inficiens? Quid obsecro gigni potest ex longa, & frequenti mulierum confabulatione, nisi luxuria, vanitas, otiositas, & innumera alia pericula, quæ viros aliàs perfectissimos passim incurrisse videmus? Forsitan desunt spirituales viri, qui viros spirituales possint proficere, suisque colloquiis erudire, & ad ulteriorem perfectionem provocare? Quare igitur viri fugiunt colloquia virorum, & tam frequentius delicata colloquia Monialium consectantur, nisi quia sua libidine ducti, servire cupiunt, potius carni, quàm spiritui; corpori, quàm animæ; ventri, quàm menti? Pudeat igitur eos spiritum quærere, ubi illum amittere, aut periculo exponere certum est: Suffundantur pudore, quærendo, & emendicando à fœminis fervorem, doctrinam, & profectum, & viros sanctos, & doctos despiciendo, qui in scientia, virtute, & doctrina perfulgent ad hoc ministerium in Ecclesia Dei. Si quos igitur invenerit Magister ex sibi subjectis hac diabolica astutia illusos, acriter reprehendat, & ad Monialium Monasteria perpetuo accedere prohibeat, quodsi sæpius moniti resipiscere noluerint, eorum perditionem præ oculis exponat, & à sua directione penitus amoveat.

28 Sed quia præfati solent se excusare, dicentes, quòd Moniales, vel fæminæ quibus cum loquuntur, sunt valde spirituales, quamobrem neque periculum aliquod incurrere, neque scandalum causare possunt; audire debent Bonaventuram ex Augustino sic loquentem: *Asperus igitur, & rigidus cum mulieribus sermo est habendus, & quo magis sancta, magis cavendæ. (S. Bonavent. opere de purit animæ.)* Et merito, quia naturaliter virtus amabilior est, & pulcherrima cælatura in habente, & venustiores, atque elegantiores fœminas reddit modestia, simplicitas, docilitas, humanitas, & perfectio; propterea cor loquentis in turpem servitutem vehementius arripiunt, & tanto magis, quanto prædictis dotibus excellunt, & quia cum hujusmodi minor adest cautela, ob spiritualis commercii causam, quam supponimus, sæpius contingit, quòd actio minus attenta, aut affectuosa confabulatio, pro simplicitate spiritus habeatur, unde sensim non suspicantes malitiam, Diaboli laqueis irretiuntur.

CAPUT V.

De Gratia sanitatum, quarta ex gratis datis.

29 QUarta gratia vocatur ab Apostolo GRATIA SANITATUM. Et est quidam habitus, quo homo operatur miracula in ordine ad sanitatem corporalem: Nec putetur quòd homo miracula faciat, ut causa principalis, quia solius Dei est, sed ut causa instrumentalis, quia per habentem hujusmodi gratiam Deus miracula operatur. Hæc gratia (ut docet D. Thomas 2.2.q.178.*art.1. ad 1. & 5.*) in fide tanquam in principio dispositivo radicatur, & illa se habet tanquam medium proximum.

30 Hæc gratia visa est aliquando habitualiter inesse aliquibus servis Dei; ad quod si quempiam illorum duxerit Magister, debet mature examinare ejus interiores motus, an scilicet ex vera charitate procedant, similiterque effectus quos divinus impulsus in subjecto pariet qui esse debent, sui despectus, rubor, humilitas, & ardentissima erga proximos charitas; quia ut miracula vera sint, debet agens esse summe humilis, & in suis oculis valde despectus, alioquin maximo labendi periculo se exponeret; hujusmo-

jusmodi enim gratia in humilitate fundatur; qua deficiente, vera esse non potest.

31 Si igitur aliquis ad Magistrum accedat, & hanc sibi gratiam concessam fuisse affirmet, nullo modo ei fidem præbeat, neque gratiam exercere permittat, sed potius eum arguat, increpet, & quasi superbum reprehendat, & humiliet; quia si vere gratiam accepit, Deus ipse disponet, quòd casualiter gratiam exequatur, & tunc adhuc Magister oculos operantis perstringat, ne miraculum patrasse præsumat; sed probet eum atque præcipiat, quòd deinceps nihil eorum operetur, & attendat qua facie hujusmodi mandatum accipit; nam si de tali prohibitione lætetur, erit vere humilis, & gratia poterit esse vera, si cum cæteris adminiculis conveniat: Si verò ægre ferat præceptum, aut contristetur, vel (quod pejus est) prætextu charitatis gratiam defendat, erit utique superbus; & gratia falsa; quam omnino debet illi prohibere.

32 Sed quia forsan poterit hilaritatem vultus ad præceptum fingere, & exterius Gratias agere, quamvis interius dolore & superbia contingatur; propterea debet Magister antequam præceptum injungat, gratiæ sanitatis excellentiam, & utilitatem commendare, atque ejusmodi concessionis credulitatem ostendere, ut ille credat Magistrum de sua gratia esse valdè contentum; & tunc repente illum arguat, & in totum talis gratiæ executionem prohibeat; & primo motui vultus diligenter attendat, quia repentinus eventus omnem prævenit artem, & fictionem: Si autem tunc vultus det signa tristitiæ, vel iracundiæ, præceptum confirmet, & de periculis, & diabolicis illusionibus quibus obnoxius est, eum commonefaciat.

33 Sed licet hilariter, & humiliter mandatum accipiat, & licet Magister veram esse gratiam sibi persuadeat; nec tunc permittat quòd publice ea utatur, sed cautissime, & cum evidenti necessitate, putà, cum jam humana remedia desunt, aut sunt valde difficilia, & tunc clam, & occulte, ita ut absit evulgationis periculum, & applicando Crucem, reliquias Sanctorum, vel aquam benedictam, ut earum virtuti, potius quàm operantis, illa sanitas tribuatur, & nullatenus permittat quòd aliquis illi reverentiam, aut venerationem licet minimam exhibeat. Summopere invigilare debet Director super his animabus quia miserabili lapsui vanitatis, & superbiæ sunt expositæ; unde oportet eas abscondere, zelare, & fræno humilitatis, abjectionis, & mortificationis cohibere; neque humanum eis vultum, sed asperum ostendat, operaque earum, non solùm non applaudat, sed omnino contemnat, & despiciat, ne illæ putent quòd de illarum sanctitate, & virtute aliquam æstimationem concepit; imo quasi illi onerosas, & despectas sese conspiciant, ut in debita semper humilitate, & annihilatione conserventur.

34 Proterea non reprehendere cupimus Venerabiles, & Sanctos viros qui palam sanitates, & miracula operantur; neque eorum Prælatos, aut Directores qui eis permittunt, aut præcipiunt ejusmodi mirabilia patrare; credimus enim utrisque adesse divinam lucem, & inspirationem, propter altissimos divinæ providentiæ fines, qui regulariter reducuntur ad confirmationem doctrinæ Catholicæ, aut ad augendam in fidelibus fidem, aut ad decorem Religionis ubi illi professi sunt, aut his similia, & in opportuno tempore (ne videatur gratiam istam in Ecclesia defuisse) scit Deus inspirare, & movere illorum Prælatos, & Directores, ut illis miracula facere, & gratiam exequi præcipiant, aut permittat, & tunc secure, & absque illorum dispendio; imo cum multorum compendio, & Altissimi gloria sanitates operantur.

35 Nos verò omnibus mature perpensis semper cupimus, & monemus, quòd divini favores (in quantum possibile sit) occultantur, & omnia extraordinaria opera quæ admirationem hominum rapiunt, soli Deo pateant; & si ea operari oporteat, clam, & occulte cum omni cautela, & humilitate fiant, sæculares enim quasi teneritatem spiritus ignorantes, suo nimio applausu, non paucas Domus Dei columnas everterunt; maxime dum vidimus quod Dominus noster Jesus Christus,

ita sua miracula (ad nostrum exemplum) quasi verabatur, quod Leproso dixerit: *Vide nemini dixeris, sed vade ostende te Sacerdoti* (*Matt.* 8 4) Et Cæco à nativitate: *Vade in domum tuam; & si in vicum introieris, nemini dixeris* (*Marci* 8 26.) Et Surdo, & Muto: *Et præcepit illis ne cui dicerent.* (*Marci* 7 35.) Et apertius præallegatam docuit doctrinam in miraculosa resurrectione filiæ Archisynagogi Jayri, cum ab eo requisitus, ut ascenderet, & filiam suam vitæ restitueret, ut melius zelaret miraculum quod erat facturus, dixit: *Non est mortua Puella, sed dormit.* (*Luc.* 8 52.) Et resurrectione facta, ac puellæ parentibus stupore perculsis, *præcepit, ne alicui dicerent, quod factum est.*

36 Si ergo Filius Dei non expositus, aut subjectus vanitati, & periculo, in prædictis mirabilibus adeo caute, & occulte se gessit, non propter se, sed propter nostrum exemplum; quanto magis timere, & formidare debent homines hujusmodi pericula, quamvis sanctissimi sint, dum à se fragilem naturam exuere non possunt? Quamobrem monemus Magistros, quod in quantum eis possibile sit, hæc, & alia similia abscondere, & zelare satagant; & cum adsit urgens necessitas, aut evidens utilitas, clam, & occulte ad exemplum Domini fieri permittant. *Dat Christus exemplum* (verba sunt Damasceni *Lib.* 3. *de fide, c.* 17.) *ut sic in magnis quæ faciunt, latere velint; sed ut prosint aliis, prodantur inviti; gaudeant solum quia eorum nomina scripta sint in Cælis.* Ita etiam Chrysostomus, *Homil* 26. *oper. imperfect.* Beda, *In Matth.* 8. Theophilatus *In Lucam.* 8. & alii communiter.

37 Denique omnia, quæ circa hanc gratiam diximus, pertinet ad homines spirituales, qui regimini Directoris subditi sunt. Sed præter istos solet gratia Sanitatum concedi à nativitate aliquibus hominibus, qui in Hispania SALUDADORES vocantur; cujus examen gratiæ, ad Sanctum Inquisitionis Tribunal spectat. Hi licèt in gratia, & charitate non sint (quandoquidem nulla ex gratiis gratis datis in habentibus supponat) gratiam suam exercent; quorum examini, & approbationi non se immisceant Directores, sed ad Reverendissimos fidei Inquisitores remittant; quamobrem nos a signis quæ habere debent, merito abstinemus.

CAPUT VI.

De Gratia operationis Virtutum, quinta ex gratis datis.

37 QUinta gratia dicitur OPERATIO VIRTUTUM. Hæc gratia tantum distinguitur à præcedenti in eo quod illa ordinatur ad corporum sanitatem, & hæc ordinatur ad alia portenta, & prodigia supra naturalem potestatem, & quæ solius potentiæ divinæ sunt, ut cum Moyses percussionem virgæ in duodecim christallinos calles Mare rubrum divisit; (*Ex.* 13.21) & Josue in medio sui cursus Solem stare præcepit (*Josue* 10. 13.) & his similia.

19 Hæc gratia etiam in fide tanquam in principio dispositivo radicatur (ut tenet D. Thomas 2 2 *q* 178 *art.* 1. *ad* 1. *&* 5) & communiter comitatur præcedentem; qui enim accipit gratiam immutandi corpora sensibilia, regulariter etiam accipit gratiam immutandi elementa, & corpora insensibilia; quamobrem ea quæ de antecedenti dicta sunt, de præsenti dicenda veniunt; addendo tamen, & monendo Directores, quod reminiscantur illorum portentorum, quæ facta sunt in Ægypto per manum Moysis, & proculdubio ad hanc gratiam pertinuisse credenda sunt; & ibi reperitur quod *fecerunt Magi per incantationem similiter.* (*Exod* 8. 18.) Ex quibus infertur, ope Dæmonis posse hæc sublunaria immutari, ita ut esse miracula, & potentia ab hominibus videantur; quibus plures illusi in varios errores, illusiones, & pericula prolabantur; & quandoquidem Solem, Lunam, & Cœlos (ut per Josue) movere Dæmon, vel detinere non possit, quia ab intelligentiis illi superioribus moventur, & diriguntur; possunt tamen elementa & corpora sublunaria immutare, atque in eis multa quæ nobis videantur portenta, efficere, ut docet D. Thomas, 1. *p. q* 111. *art.* 3 *ad* 2 Cajetanus *In* 1. *p. D. Thom. q.* 110 *art* 2. & cum multis Joannes Pineda Societatis Jesu: *In Job tom.* 1. *cap.* 1. *vers* 13. *qu.* 1. *num.* 8.

40 Quam-

40 Quamobrem Director maximopere cavere debet, & solicite investigare, an à bono, vel à malo spiritu prodigia operentur, & quia gratia hæc (sicut & cæteræ gratis datæ) non supponit gratiam sanctificantem, & potest reperiri in homine malo, & perverso, & forsan talis sit qui gratiam habere affirmaverit; difficillimum valde erit cognoscere, an sit gratia vere gratis data, vel aliqua Dæmonis astutia; ad cujus discretionem observare debet

41 Primo: si gratia ordinatur ad proximi utilitatem, & æternam, & spiritualem salutem, sicut gratia sanitatum ordinatur ad salutem corporalem; hoc est, ex ejus gratiæ executione sequantur Altissimi honor, & gloria, vel confirmatio veritatis fidei, vel alicujus erroris eversio; vel si videntibus excitetur desiderium æternorum, vel ad vitam spiritualem mutatio, vel augeatur virtutis exercitium, vel denique opera misericordiæ exerceantur; quia tunc licet possidens gratiam pravus sit, poterit esse vera operationis virtutum gratia.

24 E converso autem: si sit per Dœmonis astutiam, quamvis prima fronte videatur aliquam ex dictis utilitatem afferre, breviter tamen (ut advertit S. Ignatius de Loyola *De regul. ad plenior. spiritu. reg.4*) fucatam faciem revelabit, & clare videbitur, quod vergit in damnum salutis æternæ, aut temporalis, vel quod ad aliquod malum inducit. Dœmon namque quamvis interdum vera falsis immisceat, semper hoc efficit ut melius errores ingerat, & malum causet, ut infra dicemus; unde per effectus poterit cognoscere Magister, à quo fontis foramine talis gratia scaturiat.

43 Secundo: attendat si homo ad usum hujus gratiæ utitur verbis, signis, characteribus, circulis, vel aliquibus rebus sacris; vel si observat dies, horas, vel avium cantus, aut utitur herbis, frondibus, & his similibus; quia tunc ex superstitione, & pacto Dœmonis explicito, vel implicito, & non ex prædicta gratia operatur; gratia quippe agit per se, & absque adminiculis, quin obstet quòd Moyses per virgam, quam manu gestabat, Ægypto plagas intulisse dicatur, quia hoc fuit valde mysteriosum, & hæc Moysis virga fuit umbra Crucis, per quam Inferno plagas, & mundo redemptionem Christus Dominus inflixit, & effecit.

44 Tertio: examinet Magister animum, & intentionem, quibus ejusmodi portenta fiant; quia si sincere, & propter majorem Dei honorem, & proximorum utilitatem, vel ut confirmetur veritas fidei in urgenti necessitate patrentur, poterit esse vera gratia. Si autem absque magna necessitate, aut utilitate, sed curiositate, vanitate, aut temeritate fiant, absque dubio erit Dœmonis fallacia.

45 Quarto: bene perpendat si gratia hæc comparata est ab aliquo per alienam industriam, consilium, aut instructionem; id est, si quis eum docuit aliquem modum adipiscendi talem gratiam; vel si ipsi possidens eam optavit, vel à Deo postulavit immature, & absque urgentissima necessitate; sed levitate, vanitate, aut curiositate, quia tunc manifeste erit falsa, & à bono spiritu aliena.

46 Quinto, & ultimo: si homo ille qui portenta hujusmodi agit, de illis vanitatem, vel æstimationem, aut quæstum capit; vel de facinore illo se jactat, & magni ab hominibus haberi cupit; vel si patratis prodigiis ipse abscondi curat, & verecundia suffusus fugit humanas laudes: & auram popularem, & si forsan fugere nequeat, Deo & non sibi attribuit, & magnopere erubescit; quòd homines eum factorem talium portentorum cognoscant; quia licet supponamus hominem istum esse gratia, & charitate destitutum, nihilominus tamen gratia si vera est, quasi à Spiritu Sancto procedens, parere necessarium est effectus sanctos, & humiles in subjecto, & tunc erit vera gratia; sicut in primo casu falsa, & diabolica illusio.

47 Denique: si homo bonus, & sanctus sit, qui hanc gratiam teneat, & in eo omnia boni spiritus requisita inveniantur, nihilominus cum eadem cautela se in illa gerat Magister, quæ de antecedenti dicta est; neque propterea habentem magni æstimet; nec gratiam exequi permittat, nisi adstantibus prædictis requisitis, quia rarius necessaria erit hæc gratia quàm præterita.

CA-

CAPUT VII.

De Gratia prophetiæ, sexta ex gratis datis.

48 SExta gratia est PROPHETIÆ; & est quoddam supernaturale lumen, quo res futuræ, aut occultæ manifestantur, & agnoscuntur. Si hoc fiat ministerio Angelorum, ut tenet D. Thom. 2.2 *q*. 172. *ar*. 1. & 5. vel fiat immediate à Deo; quasi alienum à nostro proposito prætermittimus: sicuti etiam disputare, an distinguantur Prophetia, & finis Prophetiæ; siquidem Prophetia in cognitione consistit, & finis Prophetiæ sit utilitas proximi.

49 Objectum materiale Prophetiæ sunt res revelatæ; objectum formale est Divina auctoritas revelans. Prophetia cum sit cognitio quæ clare percipit revelata, & id quod clare cognoscitur, videri dicatur; propterea Prophetæ in sacris litteris appellantur VIDENTES reprobata est sententia Montani dicentis, Prophetas dum prophetabant in ecstasi constitutos fuisse, quamobrem loquebantur nescientes: Hunc errorem improbat Hieronymus, & Theophilatus; imo incerta, & occulta fiebant illis certa, & manifesta, ut de se fatetur David dicens: *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* (*Psalm* 50 7) Quamvis enim Prophetia fiat per altissimas cognitiones sibi Deo interdum assumente potentias, datur tamen Prophetæ cognitio reflexa Prophetiæ, quia ordinatur ad proximi utilitatem, & absque reflexione non posset eam Propheta manifestare.

50 Actus prophetiæ est verus, certus, & infallibilis; quia est actus supernaturalis, cujus Auctor est Deus, cui nequit attribui falsitas, aut fallibilitas, & non solum est certius in ordine ad divinitus revelata, sed etiam (ut docet D. Thomas 2.2 *qu*. 171. *art*. 1.) in ordine ad proprias operationes Prophetæ; hoc est, quòd ipse clare discernat, quæ sunt à Deo omnino revelata, & quæ sunt propria sui intellectus; alioquin actus Prophetiæ non esset certus, & infallibilis, quia hæc infallibilitas, & certitudo solum consectatur ea quæ divinitus revelata sunt.

51 Cognitio prophetica, & cognitio fidei licèt sint certæ, & infallibiles, sunt tamen (ut tenet Suarius *De fid. disp*. 6. *sect*. 5 *num* 5.) obscuræ, & inevidentes, & ratio est, quia veritas dimanat ab eo quòd res cognoscatur ut est in se, quod quidem habent Prophetia, & Fides; certitudo sumitur ex firmo judicio, quod similiter habent Fides, & prophetia; infallibilitas pendet à certo eventu, quem pariter utraque tenet; sed claritas, & evidentia desumitur ab objecto formali cognitionis quod debet percipi clare, & manifeste. Cum autem Deus in quantum est prima veritas in dicendo, sit objectum formale Fidei, & Prophetiæ, sequitur, quòd licet utriusque cognitio sit vera certa, & infallibilis, erit tamen obscura, & inevidens in ordine ad objectum formale, quamvis in ordine ad materiale clara, & evidens sit.

52 Sed licèt cognitio prophetica sit certa, vera, & infallibilis quoad substantiam, essentiam, & principium; in quantum verò ad nostram intelligentiam, & materiale significatum verborum, sæpius non est vera, certa, & infallibilis: „ Et causa est (verba sunt B Joannis à Cruce „ *Ascensio Mont. Car. lib*. 2. c 19. *nu*. 1.) quia „ cum Deus immensus sit, & profundus, „ habere solet alios conceptus, & intel„ ligentias valde diversas ab illo propo„ sito in quò à nobis communiter intelli„ guntur; quæ tanto veriores sunt, & „ certiores, quanto nobis non ita esse vi„ deantur sicut passim in Sacra Scriptu„ ra videmus, ubi pluribus ex antiquis, „ Prophetiæ, & divinæ locutiones, non „ ut sperabant, contingebant, quia ea„ rum mysticam intelligentiam suo sensui „ litteraliter coaptabant; ut ex pluribus locis Sacræ Scripturæ constat, qui videri possunt apud eundem Doctorem Mysticum loco citato.

53 Alia est causa, quia solent esse Prophetiæ comminatoriæ, vel conditionatæ: in quibus licèt interdum sit expressa conditio, possunt tamen non sortiri effectum juxta litteram, quamvis juxta mentem divinam suum effectum habeant certum, & infallibilem. Cujus extat exemplum in

illo Davidis vaticinio *Gen* 49. 10. circa illud Jacobi Patriarchæ asserentis, non defecturum sceptrum à Juda, donec veniret qui mittendus erat; de quo prophetavit David, *quod dominaretur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum*; (*Psalm* 71. 8.) quod litteraliter adimpletum non fuit, siquidem Christus Dominus non dominavit temporaliter, ut sonat littera; sed spiritualiter secundum mentis divinæ intelligentiam.

54 Ex Prophetiis comminatoriis quæ absolute sonant, & realiter sunt conditionatæ, una fuit illa Jonæ Prophetæ facta, (*Jonæ* 3. 4.) quod scilicet post quadraginta dies illa vastissima, & populosa Ninivitarum Metropolis subverteretur; quæ licèt nullam continebat conditionem, in mente tamen divina latebat, quodsi pro suis delictis pœnitentiam agerent, nulla ejus sequeretur subversio. Alia fuit illa facta Isaiæ in qua Regis Ezechiæ interitus absolute prædicebatur: Quia verò convertit se, & clamavit ad Dominum, quindecim suæ vitæ annos adjicere promeruit. (*Esaiæ* 38. 1.)

55. Ex quibus, & aliis pluribus quæ in sacris litteris referuntur, clare conjicitur imprudentia aliquorum circa quasdam Prophetias Mulierculàrum, & Monialium, quæ quotidie publicis auribus exponuntur, quæ licèt in eis sicut in Prophetis antiquis Spiritus Domini requieverit (quod non ita certum est) possunt non sicut sonant contingere, vel alium effectum sortiri: Quandoquidem prædictæ Revelationes mulierum frequenter sint imaginationes, & capitis debilitates, & ut tales despiciendæ omnino sunt, nosque fide nostra simus contenti, ubi abundantia spiritus recipitur, & per consequens propria sapientia, & intelligentia verborum Dei, ut ait B. Joannes à Cruce: *ubi sup.*

56 Sed prorsus lamentabile est, non paucos videre Magistros, qui his Muliercularum, & Beatarum vaticiniis ita affecti sunt, quòd non eos pudeat, cum multorum scandalo, & irrisione passim ea evulgare, qui de aliis nesciunt loqui nisi de tali, & tali persona, cui hoc, vel illud revelatum est, in omnibus agentes mysteria, & (quod pejus est) constituentes tempora, tenaciter affirmando illud eventurum, & interdum in negocio prædestinationis, aut reprobarionis, ita ut si Moniales illæ, aut Beatæ possent ad libitum salutis æternæ chirographum donare, sicut & reprobationis sententiam proferre: Ex cujus pessimæ revelationis securitate plerumque oritur, quòd personæ illæ nimium de sua prædestinatione fidentes, parum, aut nihil curant de sua salute, & vitæ integritate, credentes esse prædestinatas, quia hoc illis affirmavit Magister Beatæ; unde ad horam mortis differunt pœnitentiam, & vitæ emendationem; quamobrem vel tunc damnantur, vel saltem de sua damnatione suspectæ moriuntur, ut sæpius visum est.

57 Tales profectò Magistri, non solum debent privari Magisterio, verumetiam & acriter puniri; quia si in Sanctis Prophetis tot sunt Prophetiæ, quæ causa comminationis, vel conditionis latentis in ipsis, vel causa diversæ intelligentiæ; nempe quia mens divina in illis verbis non respexit ad sensum litteralem, non ad conceptum finem devenerunt, quanto minus æstimare debent earum vaticinia, & prophetias, quæ tantum distant à spiritu, & sanctitate Prophetarum? Et præcipuè in obscura, & periculosissima prædestinationis, vel reprobationis materia, quam quidem voluit Dominus nobis latere, ne in finali hoc decreto confidentes, virtuosa opera, & integritatem vitæ negligeremus; unde scriptum est: *Sunt justi, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei; & tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta, eo quòd universa æque eveniant justo, & impio; bono, & malo; mundo, & immundo; immolanti victimas, & sacrificia contemnenti.* (*Eccl.* 9. 1. 2.) Contra quem locum militant Prophetiæ prædictæ.

58 Sed adhuc prædictorum Directorum fatua fides eò devenire solet, quòd ejusmodi Beatas, & Moniales, de eorum propria salvatione interrogare non pudeant, & aliquando res futuras, occultas, vel alterius vitæ, in ordine ad se, vel ad alios præcipiunt eis quòd à Deo sciscitentur; quamobrem animas illas mille Dæmonis

la-

laqueis misere exponunt, qui eorum vitiosæ curiositati præsto est ad ingerendos errores, & illusiones, sicut Deus procul ad suum divinum lumen communicandum; quia ut ait B. Joannes à Cruce *Lib 2 ascens. mont. Carmel. cap. 21. nu. 1.* multum ei displicet curiositas; cui regulariter non responde.; optat quippe quòd in fide vivamus, & quòd ordo agendorum, per cursum naturalem, & non supernaturalem dirigatur; cujus quidem metas transgredi, divinæ providentiæ contrarium est.

59 Quod si interdum Deus Magistri, vel animæ curiositati respondeat, potius in eorum damnum quàm profectum responsio vergit, ut olim visum fuit in uxore Jeroboam sciscitante Ahiam Prophetam circa infirmitatem Aviæ filii sui, ut habetur in 3. Regum 14. 1. *& deinceps*; & in Balaam Propheta, quem severe punivit, non obstante quòd ipse illi præceperat parere voluntati Balach Regis Moabitarum *Num. 22. & 23.* quia ille propria voluntate, & accedendi desiderio à Deo facultatem extorsit: Videatur B. Joannes à Cruce in loco citato, ubi videre poterit Director damna, & inconvenientia quæ ex tali curiositate oriuntur.

60 Non datur habitus in gratia Prophetiæ, ut probat D. Thomas 2 2. *q.* 171. *art.* 2. quia sicut ait Apostolus: *Omne quod manifestatur lumen est.* (*Ad Ephes. 5. 13.*) Et sicut manifestatio visionis corporalis fit per lumen corporeum, ita manifestatio visionis intellectualis fit per lumen intellectuale: est autem necessarium quòd manifestatio proportionetur lumini per quod fit; sicut effectus proportionatur suæ causæ: Cum igitur Prophetia pertineat ad cognitionem supernaturalem, sequitur quòd ad eam requiratur quoddam lumen intellectuale superexcedens lumen naturale rationis; quod quidem dupliciter potest esse in intellectu: Uno modo per formam permanentem, sicut lux materialis, quæ est in Sole, aut in igne: Alio modo per passionem, & impressionem transeuntem, sicut lux est in aere, & hoc modo est lumen propheticum, ut in sequenti capite dicemus.

CAPUT VII.

De Lumine prophetico & de differentiis Prophetiæ.

61 Lumen Propheticum (ut docet D. Thomas 2 2. *q.* 171. & 172.) est quædam qualitas ab actu intellectus Prophetæ distincta, qua adjuvatur, & roboratur mens Prophetæ. Sed sciendum est cum eodem Angelico Præceptore *ubi supra art.* 1. quòd dupliciter potest prophetari; uno modo secundum res sunt in se ipsis; alio modo secundum res sunt in earum causis: Cognoscere autem res ut sunt in se ipsis, proprium est solius intellectus divini, cui ab æterno omnia in se ipsis patent; unde talis cognitio non potest esse naturalis, nisi per divinam revelationem, & hujus generis fuit illa cognitio Petri apud Matthæum, qua confessus fuit Christum esse Filium Dei vivi, & propterea illi respondit Dominus: *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in Cælis.* (*Matt 16. 17.*) Modus autem cognoscendi res in earum causis potest esse naturalis; sicut Medicus præmonstrat salutem, vel mortem futuram infirmi per aliquas causas quas observat, quæ habent ordinem ad tales effectus, sicut per experientiam cognovit.

62 Ex hoc poterit Director conjicere, si animarum vaticinia fiant per supernaturale lumen Propheticum, quia si anima per aliquas circunstantias, causas, vel signa; puta, per turbationem, & ruborem vultus, vel alia signa, possit devenire in cognitionem illius quod prophetat, non facile hujusmodi notitia pro vera Prophetia habenda est; intellectus quippe veri Prophetæ, non per causas naturales, aut conjecturas, sed per lumen omnino desuper infusum illuminandus est. *Non enim* (ait Petrus) *voluntate humana allata est aliquando Prophetia; sed Spiritu Sancto inspirate loquuti sunt Sancti Dei homines.* (*2. Petri 1. 21.*)

63 Hoc lumen Propheticum omnino desursum est, descendens à Patre luminum, & extra sumentis est arbitrium, pendens prorsus ab arbitrio moderantis; unde

M 2

unde hoc lumen (ut ait D Thomas 2. 2. *q.* 175. *art.* 3.) ad omnia, tam divina, quàm humana; tam spiritualia, quàm corporalia se extendit; quia omnis manifestatio quæ per aliquod lumen fit, extenditur ad omne id quod illi lumini subjicitur; sicut visio corporalis extenditur ad universos colores, & cognitio naturalis animæ ad omne id quod subjicitur intellectui agenti: Cum autem cognitio Prophetica fiat per divinum lumen, cui omnia, tam divina quàm humana, tam spiritualia quàm corporalia subjiciuntur; ideo lumen Propheticum, & cognitio Prophetica ad omnia se extendunt.

64 Lumen Propheticum non est in mente Prophetæ per modum formæ permanentis, sed per modum impressionis, & auxilii transeuntis; alioquin posset homo ad libitum suum prophetare, quod experientiæ repugnat, & confirmat Gregorius *Hom.* 1. *in Ezech.* per hæc verba: „ Aliquando Prophetiæ spiritus adest Prophetis; nec semper eorum mentibus præsto est, quatenus dum hunc non habent, se hunc cognoscant ex Dono habere cum habent.

65 Et probari potest ratione: quia lumen intellectuale quod est in aliquo per modum formæ permanentis, principaliter perficit intellectum ad cognoscendum principium eorum, quæ ei per tale lumen repræsentantur, ita ut per lumen intellectus agentis principaliter perficitur intellectus ad cognitionem primorum principiorum, eorum quæ naturaliter cognoscuntur; sed principium eorum quæ ad cognitionem supernaturalem pertinent, & per Prophetiam manifestantur, est ipse Deus, qui essentialiter invisibilis est Prophetis, sicut visibilis est Beatis, in quibus lumen Propheticum est per modum formæ permanentis, & perfectæ: Ergo in hac vita lumen Propheticum nequit esse per modum formæ permanentis, sed per modum passionis, & impressionis transeuntis, ergo non potest esse habitus: Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 171. *art.* 2.

66. Cognitio Prophetica cujus formale est lumen Propheticum, in ordine ad illud est eadem in omni Prophetia, ut expressè docet Angelicus Præceptor; *ubi supra art.* 4. *ad* 3. & ratio est, quia cum lumen semper idem sit, Prophetia quæ per illud fit, debet semper esse una formaliter; sed secundum ejus objecta est multifaria specie diversa; in moralibus enim species habituum distinguuntur secundum earum objecta; objectum autem Prophetiæ est id quod est in cognitione divina, supra omnem facultatem humanam; quamobrem secundum objectorum differentias dividitur in diversas species, ut *Prophetia prædestinationis*, qua Deus in ipsa præcognoscit ea, quæ ab ipso agenda sunt in homine, quæ nequit ab homine vitari, sed necessario adimplenda est. Alia est *Prophetia præscientiæ*, qua Deus in ipsa præcognoscit, quòd ipse acturus sit per nostrum liberum arbitrium, quæ hoc mediante debet adimpleri. Alia est *Prophetia comminationis*, quæ non semper impletur, sed per eam prænuntiatur ordo causæ ad effectus, quæ quandoque aliis supervenientibus impeditur, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 174. *art.* 1.

67 Isidorus (*Ethimol. l.* 7 *c.* 8.) distinguit Prophetiam secundum modum prophetandi, qui potest distingui, vel secundum potentias cognoscitivas in homine, quæ sunt sensus, imaginatio, & intellectus, & sic sumitur triplex visio, quam ponit, tam ipse, quàm Augustinus (*In Gen. ad litt. lib.* 12) vel potest distingui secundum differentes influxus Propheticos, qui quidem quantum ad illustrationem intellectus significantur per Prophetiam Spiritus Sancti: Quantum verò ad impressionem formarum imaginabilium ponit tria; scilicet, somnium, & visionem, quæ fit vigilando respectu quorumcumque communium; & ecstasim, quæ fiet per elevationem mentis in aliqua altiora: Quantum verò ad sensibilia signa ponit tria, quia sensibile signum, aut est aliqua res corporea exterius visui apparens, & ideo quantum ad hoc ponit nubem: aut exterius aliquod prolatum, & quantum ad hoc ponit vocem; aut est vox per hominem formata cum similitudine alicujus rei, & quantum ad hoc ponit parabolam. Hæc sunt D. Thomæ *sup. art.* 1. *ad* 3.

CA-

CAPUT IX.

De his quæ requiruntur ad Prophetiam, & de practica ejus instructione.

68 AD Prophetiam, sicut ad cæteras Gratias gratis datas, non requiritur gratia habitualis sanctificans subjectum prophetantem; propterea inveniri potest in homine pravo, & peccatore, ut olim in Balaam, Caypha, & aliis visum est, & rationem (præter superius adductam; nempe, non dari Gratias gratis datas ad propriam, sed ad alienam sanctificationem) hanc adducit Angelicus 2. 2. *quæst.* 172. *art.* 7 per hæc verba: „ Considerandum est, quòd sicut Deus, qui est „ causa universalis in agendo, non præ„ exigit materiam, nec aliquam materiæ „ dispositionem in corporalibus effectibus, „ sed simul potest, & materiam, & di„ spositionem, & formam inducere; ita „ etiam in effectibus spiritualibus non præ„ exigit aliquam dispositionem, sed po„ test simul cum effectu spirituali inducere „ dispositionem convenientem, qualis re„ quiritur secundum ordinem naturæ, „ & ulterius potest etiam simul per crea„ tionem producere ipsum subjectum, „ scilicet animam, & in ipsa sui creatio„ ne disponere ad Prophetiam, & dare „ illi gratiam Prophetalem. Hoc ipsum confirmat Gregorius *Hom.* 30. *in Evangel.* dicens: „ Implet Spiritus Sanctus cytha„ redum puerum, & Psalmistam facit Pa„ storem armentorum, Sychomoros vel„ licantem, & Prophetam facit. Non „ ergo requiritur alia dispositio præcedens „ ad Prophetiam, sed dependet ex sola „ voluntate Spiritus Sancti, de quo dici„ tur: hæc omnia operatur unus, atque „ idem spiritus, dividens singulis prout „ vult: Hæc Gregorius.

69 Hæc ratio, scilicet meræ dependentiæ à divina voluntate, & non à gratia sanctificante, nec ab aliqua subjecti dispositione, quæ circa Prophetiam, & cæteras Gratias gratis datas vera est, nequit accommodari aliis favoribus, qui quidem etiam dependent à mera Dei voluntate, & beneplacito, & nequeunt à gratia sanctificante separari, ut sunt unio passiva, & infusa animæ, tam in spirituali matrimonio, quàm in raptu, ecstasi, & aliis, de quibus infra sermo fiet, & ratio differentiæ est manifesta, quia Prophetia, & cæteræ Gratiæ gratis datæ, fiunt per lumen, vel auxilium, vel habitum, quæ in se, & per se subjectum non sanctificant, quia non diriguntur ad ejus sanctificationem, sed tantummodo reddunt aptum, & dispositum ad conferendam proximis instructionem ad eorum salutem, quia ad eam directe ordinantur: In unione verò passiva, raptus, ecstasis, matrimonii, &c. (ut infra patebit) fiunt, & causantur per habitus fidei, Donorum Sapientiæ, & Intellectus, quoad rationem, & quoad voluntatem per charitatem, & directe ordinantur ad propriam subjecti sanctitatem, licèt indirecte possint ordinari ad proximorum salutem. Cum autem prædicti habitus quibus hujusmodi favores efficiuntur, nequeant à gratia sanctificante separari, quamvis dependeant omnino à divino beneplacito (quia homo nullo modo potest prædictos favores ad libitum habere) supponunt tamen gratiam sanctificantem; unde prædicta ratio tantum potest habere locum in his quæ fiunt per instrumentum omnino independens à gratia sanctificante; quod maximopere notare debet Magister.

70 Igitur cum lumen Propheticum non sanctificet animam Prophetæ, nec sit proprietas à gratia sanctificante quasi à radice procedens, neque ordinetur ad subjecti sanctificationem, sed ad proximorum salutem, & omnino pendeat à divino beneplacito, non requiritur ad Prophetiam, neque gratia habitualis sanctificans, neque boni, & sancti mores in subjecto; propterea hoc supponit Matthæus de illis qui accesserunt ad Christum dicentes: *Domine nonne in nomine tuo prophetavimus* (*Matth.* 7. 22.) Quibus respondit Dominus. *Non novi vos*. Et cum omnes in gratia constitutos noscat Dominus quasi suos, & amicos, ut ait Paulus: *Novit autem Dominus eos qui sunt ejus*. (2. *ad Timoth* 2. 19) Sequitur quòd illi Prophetæ carebant gratia, & amicitia Christi, & quòd ad Prophetiam neque gratia neque boni mores requirantur.

71 Sed

71 Sed nihilominus tamen Angelico(ut assolet) calamo D. Thomas 2. 2 *qu* 172. *art* 4. animadvertit (quod valde notare debet Magister) hoc est: „ Quòd boni„ tas morum potest, & debet attendi se„ cundum duo; uno quidem modo secun„ dum interiorem ejus radicem, quæ est „ Gratia gratum faciens: alio modo quan„ tum ad interiores animæ passiones, & „ exteriores actiones: Gratia autem gra„ tum faciens ad hoc principaliter datur, „ ut anima hominis Deo per charitatem „ conjungatur; unde quidquid potest esse „ sine charitate, potest esse sine Gratia „ gratum faciente, & per consequens, si„ ne bonitate morum: Prophetia autem „ potest esse sine charitate, quod apparet „ in duobus; primo quidem ex actu u„ triusque, nam Prohetia pertinet ad in„ tellectum, cujus actus præcedit actum „ voluntatis, quam perficit charitas. Se„ cundo ex fine utriusque; datur enim „ Prophetia ad utilitatem Ecclesiæ; non „ enim ordinatur directe ad hoc quòd affe„ ctus ipsius Prophetæ conjungatur Deo, „ ad quod ordinatur charitas, & ideo „ Prophetia potest esse sine bonitate mo„ rum, quantum ad propriam radicem „ bonitatis.

„ 72 Si verò consideramus bonitatem „ morum secundum passiones animæ, & „ actiones exteriores; secundum hoc im„ peditur aliquis à Prophetia per morum „ malitiam, nam ad Prophetiam requiri„ tur maxima mentis elevatio ad spiri„ tualium contemplationem; quæ qui„ dem impeditur per vehementiam passio„ num, & per inordinatam occupationem „ rerum exteriorum, ut ex filiis Prohe„ tarum legitur, quod simul habitabant „ cum Eliseo 4. *Reg* 4. quasi solitariam vi„ tam ducentes, ne mundanis occupatio„ nibus impedirentur à Dono Prophetiæ. Ex his inferre debet Magister, quòd anima quæ assiduis occupatur negotiis, commerciis, visitationibus Dominarum, & aliis quæ spiritum obturbant, aut distendunt, & potius deorsum quàm sursum elevant, valde suspecta est, quòd in suis vaticiniis, & Prophetiis illusa sit.

73 Et ne falso conceptu duci possit Director, credens, Dœmonem nullam posse animæ suggerere Prophetiam, siquidem ex prælibatis constat, hanc non posse fieri nisi per lumen Propheticum, quòd nequit ab alio quàm à Deo illabi; quamobrem Dæmon in prædio lumine Prophetico immediate elevante mentem Prophetæ per spiritualissimas species nihil efficere, vel superaddere potest, quia nequit ille esse causa, & Auctor luminis Prophetici; nec immediante in puris spiritualibus ingerrere: Attamen quando Prophetia fit per species materiales, & phantasmata, ut sæpius contigit Prophetis, tunc potest Dæmon (illi mediantibus) plures fallacias, & allucinationes ingerere.

74 Secundo, quòd (ut docet D. Thomas 2. 2 *q*. 172. *art*. 5) Dœmon potest plura intelligere, quæ sunt supra humanum intellectum, & hæc potest homini revelare; quia certissimum est, quòd intellectus superioris ordinis aliqua cognoscere potest, quæ sunt remota à cognitione intellectus inferioris, est autem supra intellectum humanum, non solum intellectus divinus, sed etiam intellectui bonorum, & pravorum Angelorum, secundum ordinem suæ naturæ; propterea quædam cognoscunt Dœmones, etiam per suam naturalem cognitionem, quæ ab hominum cognitione valde remota sunt, & hæc possunt hominibus revelare; non per lumen Propheticum, quod longe est à sua potestate, sed mediantibus formis sensibilibus, & materialibus speciebus imaginationi infusis.

75 Hæc igitur quæ intellectui humano remota sunt, & Angelico nota, & pervia, vocantur remota secundum quid humano intellectui: Ea verò quæ solus Deus cognoscere potest, dicuntur remota simpliciter ab intellectu humano: Itaque Prophetia simpliciter, & absolute sumpta, nequit fieri nisi per divinam revelationem, seu lumen Propheticum; alia verò quam agere Dœmones possunt, tantum dici potest secundum quid Prophetia: Cum autem (ut docet Angelicus 2. 2 *q*. 172 *ar* 2.) ad Prophetiam non solum requiratur lumen Propheticum, sed etiam species rerum revelatarum; ideo per eas (si materiales sint) non obstante lumine potest Dœmon suos errores, & illusiones ingerere; quamobrem caute procedere debet Magister.

76 Nec facile credendum est Prophetiæ,

tiæ, quia interdum effectum sortitur, & evenit vera esse quæ prædixit; Dœmon enim semper falsis aliqua vera immiscet, & ut bene notat Glossa *in cap. 22 libri Numeri*, Balaam divinus erat Dœmonum, & nihilominus prophetavit quòd oriretur Stella ex Jacob, & exurgeret homo de Israel, qui confringeret omnes duces alienigenarum; quòd quidem in Salvatore nostro integre adimpletum est, & ratio est D. Thomæ: *Quia sicut se habet bonum in rebus, ita verum in cognitione; impossibile est autem inveniri aliquid in rebus quod totaliter bono privetur*. Unde impossibile est esse aliquam cognitionem, quæ totaliter sit falsa, absque admixtione alicujus veritatis: Unde & Beda dicit, quòd nulla est falsa doctrina, quæ non aliquando aliqua vera falsis intermisceat; Ideoque ipsa doctrina Dœmonum, qua suos Prophetas instruunt, aliqua vera continet, per quæ receptibilis redditur; sic enim intellectus ad falsum ducitur per apparentiam veritatis, sicut voluntas ad malum per apparentiam bonitatis; unde & Chrysostomus dicit: *Concessum est Diabolo interdum vera dicere, ut mendacium suum rara veritate commendet*. (*S Joan. Chrysostom. hom. in Matth. 7*)

77 Præterea Prophetæ Dœmonum non semper loquuntur, vel prophetant ex Dœmonum revelatione, sed interdum ex revelatione divina, ut manifeste patet in vaticinio Balaam toties repetito; de quo dicitur in Numeris *cap. 21* quòd ei Dominus fuerit loquutus, licèt fuisset Propheta Dœmonum, & ratio est D. Thomæ: *ubi supra ad 1* „ Quia Deus utitur etiam ma-„ lis ad utilitatem bonorum; unde & „ per Prophetas Demonum aliqua vera „ pronuntiat; tum ut credibilior fiat ve-„ ritas, quæ etiam ex adversariis testi-„ monium habet; tum etiam quia cum „ homines talia credunt, per eorum di-„ cta magis ad veritatem inducuntur; „ unde Sybillæ multa vera dixerunt de „ Christo. Sed etiam quando Prophetæ „ Demonum à Demonibus instruuntur, „ aliqua vera prædicant; quandoque qui-„ dem virtute propriæ naturæ, cujus Au-„ ctor est Spiritus Sanctus; quandoque „ etiam ex revelatione bonorum spiri-„ tuum, ut patet per Augustinum; „ *Lib. 2. in Gen. ad litt.* & sic etiam illud „ verum, quod Demones enuntiant, à „ Spiritu Sancto est. Hactenus D. Thomas, qui omnino videndus.

78 Ex omnibus prælibatis de gratia Prophetiæ poterit Magister cognoscere, quam difficile sit in rebus tam obscuris illusionibus, atque imaginationibus obnoxiis pedem figere, & integram satisfactionem habere, ut in eis confidens, sibi, & aliis futura, vel contingentia valeat obfirmare, & similiter quàm digni sunt censura, punitione, & irrisione illi Directores qui semper inter Prophetias istas Mulierum, & Monialium ambulant, se ipsos, & alios seducentes, neque in tot fallaciis quas experiuntur errorem suum deponentes; unde quotidie digniores irrisione, & nimis culpabiliores fiunt. Igitur prædictis omnibus particularibus notitiis rejectis, contenti sint his Prophetiis, quæ in Sacris paginis continentur; vel Sancta Mater Ecclesia approbet, vel credendas exponat; cæteras verò fugiant, in quantum eis possibile sit, atque cum talibus Prophetis cautissime se gerant; sufficiunt enim pro Ecclesiæ conservatione, & fidelium profectu illas quæ nobis ab ea propositæ sunt, credere, & operari.

CAPUT X.

De Gratia discretionis Spirituum, septima ex gratis datis.

79 Septima gratia est Discretio Spirituum; & est quidam habitus, seu quoddam lumen, quo occulta, & interiora cordium manifestantur. Hæc gratia est duplex, una quæ respicit ad meram cognitionem, & penetrationem cordium, & alia quæ tendit, & respiciat ad directionem animarum. Hic habitus recipitur in intellectu, quia est lumen, & cognitio quæ pertinet ad potentiam cognoscitivam. Cognitio quam tribuit hæc gratia, est certa, & infallibilis, quia in suis prædicatis est supernaturalis, cujus causa est Deus tanquam Auctor supernaturalium actuum, & cui nulla incertitudo, aut falsitas tribui potest; unde necesse est, quòd cognitio per hanc gratiam communicata sit infallibilis, & certa.

80 Gra-

80 Gratia Discretionis quæ solum dirigitur ad meram cognitionem & penetrationem cordium, tribui solet his qui nec animas dirigunt, nec directuri sunt; quia licèt Directoribus, quos ad tale ministerium eligit Deus, eandem soleat dare cordium sibi subjectorum penetrationem, potest tamen esse diverso modo quàm cæteris, quibus tribuit gratiam ad meram penetrationem interiorum, licèt interdum eam eodem modo accipiant, & insuper lucem ad spiritualem directionem necessariam. Alii verò propter alios fines ordinatos ad profectum eorum quorum interiora manifestantur, lucem capiunt; quæ valde diversa est ab ea quæ Directoribus communicatur: De utrisque loquemur Deo dante.

81 Multifarie igitur multisque modis gratia hujusmodi mentibus hominum infunditur, quæ aliquando recipitur mediantibus externis sensibus, sub aliquibus figuris, vel symbolis materialibus statum animarum repræsentantibus; nempe animas in gratia constitutas, pulchras nimis, velut arbores consitas floribus; malas verò deformes, velut arbores aridas: Aliquando etiam mediantibus aliquibus qualitatibus, vel accidentibus, quibus suavis odor, vel placidus calor exire ex Justis percipitur; sicut ex injustis, frigiditas, & fœtidissimus vapor; quod fit infundente Domino in sensibus externis species impressas illius pulchritudinis, vel fœditatis, fœtoris, vel odoris suavissimi, eodem tempore quo in intellectu recipientis infunditur notitia supernaturalis status illius animæ: Aliquando autem fit per verba externa sensibus corporalibus, vel internæ imaginationi, vel intellectui, respective per species impressas, & infusas.

82 Interdum lumen, vel intelligentia nihil expressum materiale exponit, sed spiritualiter infundit firmam notitiam statuum animarum, infundente Domino speciem spiritualem non subjectam visui (licèt longe clariorem) ad modum illius ante cujus oculos repente pertransiret lucidissimum speculum, ubi omnia clarissime patescerent; quòd ablato eo, firmissima eorum, quæ in illo conspexit, maneret memoria: Ita similiter hæc notitia quæ veluti fulgur pertransit, instruit intellectum clara intelligentia status animæ cujus datur notitia, & hic modus securior est prædictis; non enim in hoc sicut in illis ingeri potest Dæmonis fallacia.

83 Hæc notitia, & cordis manifestatio, solet regulariter aptari statui accipientis; nam licèt nnn repugnet eis concedi qui carent gratia sanctificante, tamen communiter justis, & Dei amicis conceditur, & tunc secundum eorum statum, & exercitium notitia est magis, aut minus spiritualis; propterea his qui in via purgativa consistunt, fit ministerio sensuum, vel imaginationis, per externa signa, vel interna symbola, & figuras: Eis autem qui in via illuminativa exercentur, interdum per sensibiles species, interdum etiam per spirituales, quia utrisque participatur in hac via: Illis denique, qui in via unitiva se exercent, per spirituales species intellectui immediate infusas, potiusquam per materiales imaginationi, vel sensui communicatas: quamvis non repugnet quòd juxta divinum beneplacitum hic ordo invertatur; cum hoc tamen discrimine, quòd hi qui in via purgativa consistunt, raró, aut nunquam per pure spirituales species immediate intellectui infusas illuminantur, quia hunc audiendi, & intelligendi modum penitus ignorant, & eorum intelligentiæ regulariter se Deus accommodat, ut supra dictum est.

84 Communicatur interdum hæc gratia absque ulla luminis infusi reflexione, sed manet in intellectu quædam ratio, & firmissimus sensus status illius animæ, ita quòd nullo modo de ejus veritate valeat dubitare, & quamvis nihil distinctum percipiat, tamen experimentaliter cognoscit nulla ejus diligentia ejusmodi notitiam potuisse comparare, & hoc fit per speciem à Deo infusam, per quam objectum cognoscit directe, sine ulla suæ cognitionis reflexione: Et quamvis ea quæ sunt in objecto, hoc est statum animæ, cognoscat, & illorum reflexionem in confuso habeat; nempe an sit anima illa in bono, vel in malo statu, de quo habet experimentalem certitudinem, modum tamen cognitionis, & infusi luminis claritatem distincte non percipit, quia caret illius cognitione reflexa,

flexa,

flexa, & tanto intensius objecti veritatem percipit, quanto virtus cognoscitiva unita, & non dispersa, objectum attingit.

85 Interdum manifestatur status animarum per supernaturalem locutionem factam auditui, vel imaginationi, aut intellectui (de quibus locutionibus suo loco tractabimus) in quibus omnibus commonere oportet Magistrum spiritualem, quòd omne quod anima percipiat, videat, vel intelligat per externam visionem, sensificationem, vel symbola, figuras, vel formas materiales, reputet suspectum, periculosum, & alta indagine dignum; quia quamvis à Divino Spiritu possit procedere (quandoquidem per hos, & similes modos sæpius Deus animabus loquatur) in his tamen materialibus signis, potest Dœmon plures fallacias, & errores ingerere, ex quibus passim scandala evenire contingunt.

86 Propterea dum aliqua ex animabus statum alterius sibi revelatum fuisse affirmet, eam Magister acriter reprehendat, & rigide tractet; neque ei facile credat, & multo minus aliquem de suo statu commonere permittat, nisi clare cognoscat quòd Dominus ad talem monitionem perseveranter inducat, animæ tribuendo docilitatem, & subjectionem voluntati Directoris, & pariter sui ipsius humilitatem, cum vera, & charitativa commiseratione illius animæ, cujus imperfectus, vel malus status revelatus est; ad cujus notitiam neque perturbatur, neque irascitur, neque animam contemnit, sed tranquille dolens de divina offensione, salutem sui proximi ardenter desiderat; tunc quidem talis revelatio proculdubio erit à Deo.

87 Si verò anima propter pravam, aut imperfectam conscientiam, quam in proximo videt, putans se stare, vehementer irascitur, aut in nimium alterius boni zelum accenditur; vel licèt doleat de ejus peccato, inquiete tamen, & indiscrete, hanc revelationem à malo spiritu processisse timendum est: Quamobrem debet ei Magister præcipere, quòd à tali excitatione recedat, & ad suos proprios defectus oculos reflectat, quin amplius de alterius salute solicita sit.

88 Sed licèt certo cognoscat Director revelationem status alicujus fuisse certam, & à bono spiritu factam, non statim animam de suo statu monere permittat, sed magna cum mora, & cautela procedat, licèt habens notitiam affirmet, se ad hoc instanter à Deo moveri, aut præceptis adstringi; sed debet à Deo enixe in oratione postulare, quòd ei dignetur inspirare modum, occasionem, & dispositionem, ut Dei gloria, & proximi emendatio subsequatur: & casu quo monitio agenda sit, aptior ad hujusmodi erit Confessarius, vel Director personæ monendæ, vel alius vir gravis illi familiaris, & raro, aut nunquam permittat, quòd persona quæ habuit intelligentiam, hujusmodi monitionem faciat, & semper cautissime procedat; in his enim non modica adsunt pericula.

89 Eos autem quibus aliorum interiora manifestantur, semper moneat, quòd se ipsos attente inspiciant, atque ad proprios defectus, & peccata assiduos oculos convertant, quòd vanitatem, & propriam æstimationem timeant, humilitatem mordicus teneant, & suum periculum labendi, & amittendi gratiam dum in hac mortalitate degunt, considerent, atque in suæ vilitatis, & fragilitatis pulvere glutinentur, quia cum peccatorum, & imperfectorum infinitus sit numerus, quorum status hujusmodi gratiam habentibus clare patescunt, facile possunt in superbiam, & propriam æstimationem, vel in aliorum contemptum declinare; quamvis verum sit quòd si gratia à bono spiritu procedit, ipsa causat humilitatem, & timorem filialem in subjecto.

CAPUT XI.

De modis quibus Deus solet statum Animarum Purgatorii manifestare.

90 Licèt gratia Discretionis Spirituum stricte sumpta, solum ordinetur ad cognitionem spirituum corpori unitorum, & adhuc in hac vita degentium; sed quia facile Ductor spiritualis poterit turbari, & ambigere circa manifestationes sæpius occurrentes animarum separatarum,

rum, quæ jam æternitatem ingressæ sunt, in quarum apparitionum discretione plures passim videmus committi errores, rumores, & fallacias; propterea visum est nobis ea quæ ex libris, & aliorum experientia didicerimus, pro Directorum instructione proponere.

91 Non impræsentiarum excogitamus quæstionem; utrum scilicet animæ quæ jam è vivis excesserunt, iterum per divinam dispositionem, aut permissionem ad nos revertantur? Cum hoc nefas videatur disputare, siquidem non solum quotidiana viget experientia, sed etiam ex Sacris litteris comprobatur. In primo quippe Regum volumine legitur, animam Samuelis, per divinam permissionem è Sinu Abrahæ, ad præsentiam Saulis fuisse revocatam (1. *Reg.* 28 15.) Et in Dominica Transfiguratione (referente Mat. c. 17 3) animam Moysis jam è vita functi, in Majestate dicitur apparuisse: Unde si in prædictis casibus actum est, nulla potest assignari urgens ratio, quare in aliis etiam evenire repugnet? Ut probant Augustinus *Lib. de cur. pro mortu. c.* 15 & 16. Gregorius, *Dialog. l.* 3. *cap.* 24. & 25. & *l.* 4 *c* 40. & 55. & alii, quos citat, & sequitur Cardinalis Robertus Bellarminus (*contr. to.* 1 *lib.* 2. *de Pur. c.* 8. *per tot.*)

92 Nec similiter aggredimur disputare, an ipsæmet animæ sint quæ apparent, ut defendunt Augustinus, Gregorius, Paulinus *In vit. S. Ambrof.* & alii, & habetur in Synodo 7. vel sint earum Angeli, ut cum pluribus defendit Benedictus Pererius; *In Exod. cap* 7 *nu.* 44. quia revera plerumque ipsæ animæ, & interdum earum Custodes apparere affirmant Augustinus, D Thomas, Antoninus, Joannes Gerson, & alii plerique., quibus subscribit doctus Abbas D. Franciscus Blascus de la Nuza in suo libro Patrocinii Angelorum *Par.* 3. *lib.* 3. *cap.* 4. *§. unic.* quod sane ad nostrum propositum parum refert, dummodo earum apparitio realis, & vera sit, de qua (ut ait Augustinus *ubi supra cap.* 16.) nefas erit dubitare.

93 Prætermittimus etiam differere, utrum corpora assumant phantastica, vel solida? Quia utriusque modi extant exempla, ut colligitur ex D. Thoma 1. *p. q* 51. *art.* 2. & confirmat Petrus Thyræus *De prodigio appar Lib.* 1 *cap.* 7 *nu.* 119. Utrum etiam assumpta corpora possint flammis comburi, unguibus dilaniari, ferreis cathenis torqueri, vel solum apparenter videantur ea tormenta pati, & respective ad exteriora supplicia, alia interiora ipsis respondentia sustineant? An etiam puri spiritus possint materiali, & elevato igne conflagari? Utrum in locis subterraneis tantum, vel etiam super terram animæ purgentur? Et an denique à Dæmonibus æqualibus pænis, ac inferno animæ Sanctæ torqueantur? Quia omnes hujusmodi quæstiones sunt extra propositum nostrum, & videri possunt apud Theologos de Purgatorio tractantes, præcipue adversus perfidos Luteranos Purgatorium negantes, quos refellit doctissimus Bellarminus *ubi supra controv.* 6. *de Purgat.*

94 Nos autem contenti erimus eos tantum referre modos, quibus solent prædictæ animæ manifestari, ne spirituales Magistri (ut sæpius vidimus, & confirmat Episcopus Oxomensis *D. Joan. Palafox to.* 5. *in not. ad apparit. M Franciscæ à SS Sacram. fol.* 195. *num.* 335.) fallacias, & imprudentias incurrant. Et primo frequentissime apparere solent oculis corporalibus in assumpto corpore, flammis circumamictæ; interdum verò in sordidis vestibus, vultibus tristibus, & macilentis; dirissime suspirantes, & ejulantes; aliquando in ipso habitu, quo dum vixerant, utebantur; sæpissimè in illo, quo humatę fuerunt, & sepultæ; multoties apparent dormientibus, quarum triste spectrum non ita terret soporatos, sicut conturbat, & terret cum fit vigilantibus; tunc enim regulariter contremiscit corpus, pavet spiritus, cor languescit, & palpitat, anhelitus comprimitur, & suffocatur, & interdum in deliquium prolabitur animus. De his omnibus apparendi modis plura extant exempla in Vitis Patrum, in Speculo Historiali, & Exemplorum, in Historia Ecclesiastica, & aliis valde fide dignis Codicibus. Cum igitur hujusmodi apparitiones sunt à bono spiritu, omnes prædicti effectus mitescunt, sensimque introducitur in animo virtus, & fortitudo (ut in omnibus visionibus boni spiritus evenit, & nos infra *Tract.* 5. *à cap* 5. *usque ad* 8. dicemus, & notat Palafox *ubi supra fol.*

1. *num.*

I. *numer.* I. & *seq.*) simulque charitativus affectus benefaciendi tali defuncto.

95 Si verò loco pavoris; & turbationis, quibus bona visio incipere debet, succedat aliqua delectatio sensibilis, quam illico consectari incipiat magnus timor, & inquietudo spiritus, aut insaporosa perturbatio, aut blasphemia, aut impuritas (quia aliquid ex prædictis evenit in visionibus mali spiritus) proculdubio erit Dæmonis fallacia, & tunc anima se muniat signo Sanctissimæ Crucis, locumque aqua benedicta respergat, & majori qua possit intensione, ad Deum interius confugiat. (*M. Francisca à S S. Sacrament. in relat. numer.* 78.)

96 Interdum animæ apparere solent sub specie brutorum, avium vel aliorum rerum insensibilium, nempe luminis, ignis, nubis, umbræ, lapidis, rotæ, currus, &c. ut de omnibus extant exempla in Speculo Exemplorum, in Historia Ecclesiastica, ut affirmat Palafox *ubi supra fol.* 105. *col.* I. & tenet Martinus de Roa *de stat. anim Purg. cap* 44. Thyræus *ubi supr.* & alii: Et tunc vel exiguum, vel nullum pavorem incutiunt, quousque clare cognoscitur, res illas esse spiritus dolentes, & pœnis affectos, quod fit, vel per locutionem animarum sive externam, sive imaginariam; vel per intelligentiam, aut puram notitiam respective, cui etiam major, aut minor timor respondet.

97 His apparitionibus plerumque præcedunt strepitus, lamenta, vel delicata, & mœstissima suspiria, gemitus, aut ejulatus, ac demum animæ loquuntur, vel corporalibus oculis exhibentur; licèt interdum contingat, quòd per multum temporis, lamenta, suspiria, & strepitus audiantur, quin animæ sæpius interrogatæ, vel respondeant, vel appareant, quia nondum venit occasio à divina providentia præfixa, ut possint ea quæ sibi necessaria sunt ad consolationem aliis manifestare, ut ex variis apparitionibus constat. (*M. Francisca à SS. Sacr in suis relat.*) Effectus quos causant hæ visiones, aut sensificationes, pariles sunt antecedentibus, de quibus eadem ratio habenda est. Hi sunt modi frequentiores apparitionum animarum Purgatorii, quæ regularirer sunt vitiis spiritualibus, & non spiritualibus, & quæ communiter in libris habentur. (*Palafox. ubi supra relat.* 200.)

98 Sed alii etiam sunt modi longe spirituales apparendi, quos non penitus ex libris accepimus, in quibus regulariter visiones referuntur, & modi quibus fiunt reticentur. Nos verò, quia per aliorum valde spiritualium experientiam didicimus, eos necessarium duximus referre, ne spirituales Magistri (si fortasse illis occurrant) in confusionem, & dubietatem incidant. Solet igitur Deus infundere in anima pia efficacem, & intimam memoriam alicujus defuncti, ita ut nullo studio, aut solicitudine possit eam à se propulsare, tumque anima illa turbari incipit, cordisque palpitatione concuti, atque animo languere, & debilitari; sensim tamen incipit calefieri, & conquiescere, & nihil videns, neque audiens, sentit aliquem secum habere comitem, à quo jam calorem, jam ardorem recipit, ut confirmat D. Joannes de Palafox *ubi sup fol.* 10. & *seqq.* & tunc memoria illius defuncti augetur; ex cujus pavore, jam frigescit, jam calescit, atque inter ejus carnem, & cutim, quasi frigidus aer cursitat; & discurrit; animus tamen paulatim erigitur; qui dum ad plenam tranquillitatem pervenit, tunc persona defuncta ei apparet, vel oculis corporalibus, vel imaginationi, vel per solam locutionem externam, aut imaginariam; ex qua similiter supradicti effectus oriuntur.

99 Interdum etiam anima, licèt nihil oculis intueatur, ita cognoscit se ab aliquo comitari, quòd sive ambulet, sive sistat, semper illam societatem percipit, tametsi quis ille socius sit penitus ignoret; quodsi oculos undique convertat, aut manus injiciat, neminem tamen videt, aut tangit, nec particularis defuncti reminiscitur, quamobrem paululum timet, quousque clare manifestatur defunctus, vel per visionem externam, aut imaginariam, vel per locutionem similiter imaginariam, aut externam, & tunc sequitur plena turbatio, ut supra diximus. (*Dionys. Cartus. de* 4 *novis. c.* 65.)

100 Aliquando ex prædicta societate aliquam capit notitiam, & intelligentiam, quòd ille sit spiritus pœnis affectus, atque indigens orationibus, & suffragiis, quia

N 2 nimi-

nimirum ex hujusmodi consortio, tristitiam, & angorem participat, & eo magis minuitur, quo suffragiis opitulatur, ut bene notat Blosius *In concla. anim spirit. c.* 3. & confirmat Palafox *ubi sup. fol.* 135. Unde si casu per suas, aut aliorum preces, omnes ejus pœnas luere contigerit, tunc jam diverso modo societatem percipit, siquidem nullam animi tristitiam affert, sed ingens gaudium; nullam parit mœstitiam, sed lætitiam, & deinceps nullius jam percipit societatem; plerumque accidit absque individuali notitia personæ defunctæ, & interdum tempore suæ liberationis ei conceditur.

101 Sæpissime manifestatur status defunctorum spiritualibus viris per puram tantum intelligentiam, ad modum quo dicebamus *Sup. cap.* 10. *num.* 81. interiora videri, & confirmat, variisque probat exemplis Ludovicus Blosius *In instit. spirit. cap.* 8. *§.* 5. *num.* 4. *& in concla. anim. fidel. cap.* 11 *§* 3. *nu* 3 & hæc manifestatio fere nullum animæ terrorem incutit, & regulariter ab omni Dæmonis fallacia liberatur; quandoquidem ille in potentiis spiritualibus nihil immediate potest operari, maxime per spirituales species infusas: Potest tamen esse vehemens animæ apprehensio, potius quam vera, & spiritualis visio; veruntamen cum per hujusmodi spiritualissimam intelligentiam efficitur, jam anima ita experta est, quòd facillime dignoscat, non à proprio captu, sed à bono spiritu illapsam fuisse.

102 In omnibus modis prælibatis attendere debet Director ad modum, quo pavor, & turbatio evenit, & recessit; in eis namque apparitionibus quæ à bono spiritu procedunt, semper incipit timor, & tremor; sensim tamen In fortitudinem, & tranquillitatem convertitur, & licèt interdum non illico abscedat timor, anima verò clare percipit Interius roborari. E converso, in his quæ à malo spiritu oriuntur communiter incipit aliqua delectatio, vel præsumptio, quæ sensim in pavorem, insaporem, & inquietudinem vertitur (*M. Francisca à SS. Sacr. in relat. nu.* 2. *nu.* 58. *&* 76. *& ibi Palafox*) & licèt interdum incipiant per timorem, numquam tamen timor ille evanescit, quinimo & interius obfirmatur, cui maxima inquietudo, & insipida perturbatio succedunt; & hæc sunt signa veræ, & falsæ apparitionis, ut expresse tenet Ludovicus Blosius *In concla. animæ fidel. capit.* 11. *§.* 3. *numer.* 2.

103 Debet etiam Magister multum attendere, ad petitiones, suasiones, & doctrinas animarum apparentium: quia si postulent impossibilia, aut multum difficilia, vel adversus decentiam status eorum, quibus apparent, vel si loquantur blasphemias, execrationes, impatientias, juramenta, vel detractiones, aut delictorum proximi propalationes absque urgenti necessitate; vel si suadeant malas, aut periculosas doctrinas adversus Sacram Scripturam, communem Sanctæ Ecclesiæ credulitatem, Sanctos Patres, & bonos mores, vel si postulent ad loquendum, quòd personæ quibus apparent à se explodant Cruces, Reliquias, Imagines, vel Scapularia, aut Sacrorum Ordinum Cinctoria, manifeste sunt apparitiones diabolicæ, ut docent Blosius *Ubi supra & in instit spirit. cap.* 8. *§.* 5. *nu.* 4. Petrus Thyræus *De appa. spir. lib.* 1. *cap.* 17. & Martinus del Rio *Disquir Mag. lib.* 4. *cap.* 1. *q.* 3. *per* 6. *sect. seqq.* Si autem his contraria flagitent, suadeant, aut loquantur, poterunt esse veræ visiones, & à bono spiritu, dummodo cætera in eis adsint adminicula.

104 Demum animadvertendum est, (quod à Magistris auctoritate, & experientia præditis accepimus, & passim videmus) divinam clementiam aliquos viros spirituales specialiter eligere, quibus frequentissime accedant defuncti, eisque appareant, & non aliis communiter; ut nimirum eorum ope, & manibus orationes, & satisfactiones, quibus defuncti indigent, operentur; quia fortasse non oportet quòd aliis passim appareant, quasi ad hæc sustinenda animo, & spiritu carentibus: præterquamquod ex tali apparitionum frequentia (si aliis fierent) poterant aliqua damna suboriri; propterea Dominus per speciales personas de Sanctarum animarum Purgatorii solamine, & suffragio providit, ut probat D. Joannes de Palafox (*M. Francisca à SS. Sacr. relat. nu.* 28 *& ibi Palaf. fol.* 147 *col* 1.) & patescit in Vitis S. Nicolai de Tolentino,

tino, S. Didaci Complutensis, S. Christinæ, S. Mariæ de Ognies, & Dionysii Rikel Ut apud Cantimpraten. *in vitis Sanctor.* & apud Surium. Prædictæ igitur personæ, quasi hisce tristibus spectris, & visionibus assuefactæ, parum, aut nihil turbantur; quamobrem videtur, quòd in eis signum timoris, & turbationis (sicut in cæteris) verificari non possit; sed nihilominus tamen (ut bene notat Palafox *ubi supra fol* 147. *& seqq*) hoc signo penitus non carent, præsertim in eis quæ à malo spiritu procedunt, in quibus omnes percipiunt insipidam tristitiam, ponderosam ariditatem, & inquietam perturbationem; in eis verò quæ à bono oriuntur spiritu, paululum cor palpitat, & pavet, quamvis illico pacificum reddatur.

C A P U T XII.

De Modo quo in hisce apparitionibus se gerere debeat Magister spiritualis.

105 MAture perpensis, & discussis apparitionum circunstantiis juxta prænotata capite antecedenti, si Magister sibi persuadeat apparitionem defuncti esse veram, nihilominus quærat primo diligenter qualitatem personæ apparentis; an scilicet si dum vixit fuit timoratæ conscientiæ, vel laxæ, & impuræ, & hoc non per id quod in ea intrinsecus latuit, sed per id quod exterius visum est in ea; nam si de hominibus perversæ vitæ, morumque depravatorum, qui aut violenter occisi sunt, vel in mortis articulo exigua, aut nulla contritionis signa dederunt; vel adeo festinanter decesserunt, quòd vix potuerunt recipere Sacramenta, revelatum sit, quòd vel salvati sunt, vel in via salutis constituti; fere semper à Dæmone factum est istud, sicut bene notat doctus Pater Martinus de Roa Societatis Jesu *De stat. defunt Burga. cap.* 42. *fol.* 216. *b.* ut spe veniæ nimis concepta, usque ad extremum vitæ pœnitentia procrastinetur, atque pravi homines parum curent de animæ salute, falso putantes, quòd sicut ille qui totum vitæ suæ cursum in peccatis consumpsit, & in hora mortis auxilium efficax assequutus est; ita pariter illi in extremo vitæ veram contritionem assequi poterunt; quod quidem summe scandalosum est.

106 Nec suffragari poterit piis, & credulis divinæ misericordiæ commendatio, cum ad ejus magnitudinem dignoscendam multa Sacræ Scripturæ suppetant testimonia, eamque quotidie in nobismetipsis satis abunde experiamur: Bonum igitur est misericordiam commendare in obitibus verè pœnitentium, in quorum vitæ emendatione mirabiliter collucet; non autem in interitu, & pessima morte peccatorum, qui nunquam per correctionem vitæ misericordiam meruerunt; quamobrem ait Spiritus Sanctus per Ecclesiasticum: *Ne dicas, miseratio Domini magna est; multitudinis peccatorum meorum miserebitur: misericordiam enim, & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius.* (*Eccli.* 5. 6.) Igitur hæc nimia credulitas, & facilis commiseratio, potius est offendere misericordiam, quàm commendare, ut insinuat Bernardus *Ser. de S. Magdal.* & tenet Clemens Alexandrinus *Lib.* 1 *Pædag. cap.* 7. nam licèt aliquis per tales notitias possit ad pœnitentiam moveri, plures erunt, qui nimium in misericordia confidendo, in sua prava vita indurentur.

107 Propterea Magister nullo modo permittat, quòd talis revelatio evulgetur, quinimo & illum qui eam habuit, arguat, & esse imaginationem, vel illusionem credat: Sed nihilominus preces pro anima illa non impediat, licèt omnino strictum silentium imponat, & idem facere debet cum revelatio facta est circa salvationem eorum qui sanctè, & pie vixerunt, & nisi urgente necessitate, vel evidenti utilitate eam evulgare non permittat, sufficit enim fides, & Scriptura Sacra, ex quibus firmissime omnibus innotescit, quòd *qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala, in ignem æternum.* (*Ex Symbolo S. Athan.*)

108 Si defuncti qui apparent, suffragia, satisfactiones, ut alia similia postulaverint, quæ eorum hæredibus, aut propinquis indicanda sunt; tunc Magister licèt apparitionem veram esse judicaverit, ostendat se nihil eam æstimare, & caute-

mo-

modum visionis, & effectus examinet, & si forte id oportere cognoverit, poterit per se ipsum, vel per interpositam personam commonere eos, quos defunctus esse monendos significavit; tacendo tamen quod ille apparuerit.

109 Insuper debet à parentibus, vel propinquis defuncti dissimulanter investigare modum, quo fecit testamentum, & an debita ejus, & legata soluta sint, aut aliquid solvendum restet, vel si talibus negotiis (juxta verba defuncti) fuit implicatus: Et si forte ejus statui, occupationi, vel muneri conveniant; tunc eos quibus incumbit monere; faciat quod ejusmodi obligationibus satisfaciant, aut Missas celebrent, quia ei constat defunctum eas obligationes habuisse, quibus nondum satisfactum est; quamobrem animam defuncti fortasse torquendam esse, juxta sententiam Augustini, quæ habetur in *cap. si res aliena* 14. *quæst.* 6. donec reddat universum debitum, tametsi non dicamus, animas in Purgatorio luere moram suorum hæredum, quam habent in solvendis eorum debitis, ut tenet D. Thomas *In* 4. *distint.* 45 *art.* 3. sed ipsarum negligentiam quam in vita habuerunt solvendi creditoribus, quæ adeo peccaminosa esse potuit, ut justo Dei judicio, usque ad integram æris alieni satisfactionem in pœnis Purgatorii detineantur, ut innumeris exemplis comprobari poterit. (*Thom. Cantimprat. de Apib. lib.* 2. *de exempl.* 27 *Palafox ubi supra fol.* 17. *& seqq. & fol.* 66. *&* 133. *num.* 17. *& seqq.*) Insuper addendo, quod credant hoc plusquam dici potest, oportere (& raro apparitionem defuncti manifestet) & attendat si obligationibus non satisfaciunt, vel notitiam despiciunt; quia tunc addere potest, quòd cuidam personæ apparuit defunctus, postulans, quòd illos admoneret de prædictis operibus non solutis, & quanto citius eas adimplere curent, ut ipse ab acerbissimis quas patiebatur pœnis, breviter liberari posset, tacendo tamen nomen personæ cui facta fuit apparitio; hoc enim raro aut nunquam erit necessarium. Hac nimirum cautela, & sagacitate in hujusmodi rebus procedere debet, quia plerumque sunt imaginationes, & capitis debilitates, quibus interdum bonæ famæ hominibus dedecus infertur, & fere semper inquietudines, & alia incommoda ex facili evulgatione oriuntur.

110 Si autem facta prædicta indagatione invenerit Magister eam non convenire verbis defuncti, credat fuisse imaginationem, aut illusionem, quia nihil debet satisfacere, qui debitum non habuit; neque verosimile esse post obitum habuisse onera exolvenda, qui dum vixit solicitus fuit suæ æternæ salutis, & cum decessit de talibus debitis nullam in ultima voluntate fecit mentionem: Secus autem si hujusmodi debita manifestavit, quibus postea satisfacere neglexerint hæredes, quia tunc vera erunt verba defuncti.

111 Quòd si defunctus tantummodo Missas, & suffragia postulet, de quarum necessitate nullam haberi posse conjecturam videtur; quia cum Missæ, & preces satisfaciant pœnæ pro culpis debitæ, quæ soli Deo patent, nullo modo poterit Magister conjicere per earum necessitatem, si vera, vel falsa fuerit apparitio, cum nulla diligentia sufficiat, ut de occulto defuncti delicto valeat certior fieri. Nihilominus tamen dicimus, quòd aliquo saltem modo potest cognosci; scilicet, juxta conversationem vitæ à defuncto habitam, & suffragia, aut opera pia, quæ in suo testamento reliquit. Nam si fuit homo virtuosus, & pius, & suffragia, aliaque satisfactoria opera relicta, non solum sufficientia respective, sed etiam moraliter superexcedentia fuerunt, timeri poterit, quòd ejusmodi apparitio fuit mera imaginatio.

112 Sed quia Missæ, & preces, non solum defuncto (si verum sit illis indigere) sed etiam cæteris animabus purgatorii prodesse possunt, neque in earum solutione sit aliquod inconveniens, quinimo & augeatur divinus cultus; consuademus, quòd in hoc casu Magister per se, vel per alios Sacerdotes Sæculares, vel Regulares, qui ad hujusmodi opera charitatis proclives sunt, Missas celebret cum silentio, & absque manifestatione talis apparitionis. Si autem defunctus apparens tantum postulet preces, & orationes; nulla manifestatione opus est, sed Magister eas devote fundat, una cum illo, cui facta fuit apparitio, atque à Religiosis

Com-

Communitatibus aliàs requirat, & omnes quas possint Indulgentias applicent; regulariter quidem cum defunctus orationes tantum exposcit, quærit proprias animæ illius cui apparet, & non alienas.

113 Denique aliquis objicere potest, quòd nulla ex prædictis apparitionibus videtur à Dœmone effingi posse, cum ipse semper suis fallaciis intendat aliquod damnum inferre; cum verò ex Missis, suffragiis, & restitutionibus nullum damnum sequi possit, videtur, quòd nunquam per eum talis apparitio fiat; quamobrem omnes regulæ, & cautelæ adductæ superfluæ sunt. Respondemus primo, quòd dato, & non concesso, quòd Dœmon ejusmodi apparitiones non causaret, possunt tamen esse effectus vehementis imaginationis, quia sunt nonnulli ita melancholici, & imaginativi, qui omnia quæ imaginentur, videre putant, & provenit ex abundantia humorum ascendentium ad principium sensitivum, quorum complicatione cerebrum debilitatur, & confunditur, & qui abundant humore melancholico, & atrabiliario, se umbras, & tenebras videre credunt, & sua imaginatione se ipsos interrogant, & respondent, putantes ab illis conceptis umbris, vel spectris responderi, & interrogari.

114 Alii ita habent cerebrum humoribus biliosis, & ignitis confitum, quòd omnia quasi involuta flammis conspiciant, & si fortasse tunc de aliquo speciali defuncto recordentur; proculdubio putant illum inter flammarum incendia videre, cum quo imaginarie colloquuntur, ut nobis experientia docuit; quod quidem frequentius provenit ab imaginatione, aut cerebri læsione; quod vitium passim incurrunt fœminæ, cum quibus in his, & omnibus supernaturalibus magna cautio adhibenda est.

115 Secundo respondemus, non esse verum quòd ex omnibus suis fabulationibus, & operibus Dœmon non conferat damnum creaturis; semper enim nocere intendit, & actu aliquod malum infert, & inquietudines externas, & internas causat, & in timoratæ conscientiæ viris incutit pavorem, & timorem, qui sensim in desperationem vertit. In laxæ vitæ hominibus, nimiam salutis æternæ confidentiam, quæ in effrænem vitæ conversationem vergit, & si defunctus fuit bonus, & pius, ei dedecus, & infamiam causat, atque tanquam injustum æris alieni possessorem infamat, & mille alia incommoda, & damna, quæ Dœmonis fallacias assidue comitantur: è converso verò, si apparitio sit vera, & à bono spiritu, licèt aliqua inquietudo obsequatur, tandem in multorum profectum, & animæ suffragium convertitur.

CAPUT XIII.

De Apparitionibus damnatorum, & de modo quo in eis se gerere debeat Magister.

116 Quidam æstimarunt, animas damnatorum quasi æterno carcere reclusas, nullo unquam modo posse ab illa horribili reclusione ad hunc mundum regredi, propterea omnes earum apparitiones judicant esse à Dœmonibus factas, qui fingunt esse animas eorum, qui vel vere in illo profundo lacu commorantur, vel ipsi intendunt quòd credatur esse damnatos. Hanc sententiam tenent Tertullianus *Lib. de anim circa finem* & Auctor quæstionum ad Antiochum *q. 11. & 13.* cui adstipulari videntur Chrysostomus *Homil. 29. in Matth & homil. 2. & 4. de Lazaro* & Theophilactus *in cap 8 Matth.* Veruntamen, ut bene notat Bellarminus (*Controvers 6. de Purgat. lib 2 c. 8. to. 1.*) *Si attente legantur, non dicunt nullo modo posse animas egredi ad nos, sed non posse egredi pro arbitrio suo, nec verti in Dœmones, nec vagari inter nos more Dœmonum.* Nos verò non solum fatemur, posse animas damnatorum (Deo permittente, & disponente) è fœtidissimo illo carcere ad nos egredi (ut variis exemplis comprobabimus) verumetiam (Domino volente) posse iterum ad sua corpora revocari, dummodo earum sententia damnationis non fuerit definitiva, ut expresse docet D. Thomas *In 1. dist. 43. q. 2. art 2 ad 3. & in 4 dist. 45. art. 1. ad 3.* citans Hieronymum, & tenent Augustinus *De cur. pro mort. cap. 15. & 16* Gregorius *Lib. 1. dialogor. cap 9. & 12.* Maximus *serm. de S. Agne-*

S. Agnete Damascenus *De Sanct.* Joannes Diaconus *In Vita S. Greg.* Altisiodorensis *Cap. de damnat lib.* 4 Egesippus *Lib.* 3. *c.* 3. Evodius *Lib* 1. *de miracul. S. Stephani* & alii: Unde forsan evenire poterit Directori, quòd aliqui ad eum accedant affirmantes, se alicujus animæ damnatæ visionem vidisse; quo in casu longe major, quàm in prædictis habenda est cautela; quia ut plurimum, non erit vera visio, sed imaginatio; raro quippe à Deo permittitur, propter horribiles, & violentos effectus quos parit in vidente, & regulariter contingere poterit in casibus sequentibus.

117 Primò: in conversione alicujus maximi peccatoris, vel fœminæ scandalosæ vitæ, quia ad tam extremos morbos medendos, extrema etiam sunt adhibenda remedia, & similes personæ, magis per terrorem, quàm per amorem moventur: Ita conversus fuit quidam Clericus desperatæ vitæ, temporibus Henrici IV. teste Vincentio Valvacense *In specul. histor. libr.* 18. *cap* 89. & Evervvach servus Theodorici Episcopi Trajecensis, dicente Cæsario *Lib.* 12. *cap* 23. & quædam famosæ meretrices, ut habetur in Collectore Speculi Exemplorum, *ex.* 12. 13. *v. Infernus*.

118 Secundò: quando hi qui apparent damnati, fuerunt Prælati simoniaci, & vitiosi, qui aliqua flagitia publica perpetrarunt adversus Ecclesias, vel personas Sacras, aut Ecclesiæ pacem obturbarunt; per illorum quippe supplicium præbet Deus justitiæ suæ satisfactionem, & cæteris Ecclesiasticis, & Prælatis præstat experimentum. Ob hujusmodi causas visa fuit damnata anima Benedicti IX ignivomo insidens equo, & in specie animalis monstruosi, cujus aures, & cauda asini erant, & cætera, versi, ut testantur Cardinalis Petrus Damianus *Libr.* 1. *epist* 9. Vincentius Valvacensis *In specul. histor. lib.* 26. *cap.* 21. Platina *in Vita Benedicti IX.* & alii. Et similiter anima Udonis Episcopi Magdeburgensis, qui propter similia scelera, luxuriasque turpissimas, quadam nocte in sua Cathedrali Ecclesia, adstantibus Sanctis omnibus, quorum reliquiæ illic quiescebant, sedenteque pro Tribunali Christo, & accusante Divo Mauricio, Titulari ejusdem Ecclesiæ, per justissimam sententiam damnatus, & ibi realiter capite truncatus est, cujus effusus cruor super pavimentum marmoreum adhuc quasi ebulliens conspicitur. Et anima ejus apparuit damnata cuidam suo familiari domestico, ut testatur Trithemius *In Chron. Hirsugien. Monaster.* Nauclerus *Gener.* 33. *fol.* 111. Baptista Fulgosus *Libr.* 9. *cap.* 12. Gotscalhus Holen. *In Præcept. decal* 6. & Hartmanus Scedel *In suo Chron. temporum*.

119 Tertiò: cum damnati, olim fuerunt Reges, vel Tyranni Principes, vel Magistratus injusti, qui bella, scandala, aut injustitias publice perpetrarunt, quia tunc per manifestam suppliciorum notitiam, tribuit Deus mundo satisfactionem. Sic visa fuit à quodam Eremita anima Theodorici Regis Italiæ jactari à Joanne Papa, & à Symmacho Patricio in Ollam Vulcani, quæ est in Insula Lipari, referente Gregorio *Dialogor. lib* 4 *cap.* 30. & anima Ludovici Lanigravii Thuringiæ, ut tenet Cantimpratus *De apib lib.* 3. *exempl.* 5. & similiter anima Vvilhelmi Comitis Juliacensis, qui tempore schismatis Innocentii Papæ, persequutus fuit obedientes Sedi Apostolicæ, & bona Ecclesiarum diripuit; hæc apparuit damnata, una cum anima Magentii Imperatoris cuidam Moniali Cœnobii Sancti Mauritii in Colonia, ut refert Cæsarius *Libr.* 12. *cap.* 23.

120 Quartò: quando aliquis Dei amicus largas, & assiduas pro defuncto damnato preces fundit, putans, illum esse in Purgatorio detentum; quia sæpe divina misericordia, quæ (teste Antonino 4 *part. tit.* 5. *cap.* 18. §. 9.) etiam inferos penetrat, ne misera illa anima efficacibus illis precibus plus torqueatur, manifestat justo infœlicem illius defuncti statum. Sic visæ fuerunt damnatæ animæ cujusdam Militis Philippi Cancellarii Parisiensis, & unius Monialis, pro quibus servi Dei assiduas fundebant preces, putantes, eos esse in Purgatorio; ut tenent Cantimpratus, *De apib. lib.* 1. *cap.* 19. *exempl.* 6. Speculum Exemplorum *verbo Infernus*, *exempl* 12. & 13. & habetur in vita Francisci de Yepes. *Lib.* 2. *cap.* 12.

121 Quintò: solent hujusmodi apparitiones fieri Operariis Evangelicis, Concionatoribus, & Catholicæ doctrinæ instru-

structoribus, ut in concionibus, & doctrinis, horrorem Judicii, acerbitatem supplicii, peccati pœnam, damnatorumque tormenta, possint efficacius, fervidiusque commendare, ut contigit Drithelmo Monacho, apud Bedam *Lib. 5. histor. Anglican. c. 3.* & quibusdam Operariis in Geldria, quos refert Joannes Junior *Verb. confessio, exemp. 22.*

122 Sextò: fiunt sæpissime hæ apparitiones Christianis Neophitis, seu nuper ad fidem conversis, maxime si omnino Barbari sint, & indomiti ut plerumque contigit in partibus Indiarum, ad eorum credulitatem stabiliendam circa immortalitatem animæ, quam multi eorum negant, subindeque moribus barbaris, & nefariis suis peccatis valedicant, ut per plures apparitiones testatur Pater Antonius Ruiz de Montoya Societatis Jesu. *In sua spirital. assecut. Provin. Paraguajen.* §. 40. 41. & 42.

123 Septimò, & ultimo aliquibus magnis Dei servis, ut moneant Prædicatores, Confessarios, & spirituales Magistros, de peccatis quæ frequentius homines in gehennam adducunt, & de modo arguendi, & corrigendi populum, non dissimulando occasiones proximas peccati, usuras, & alia hujuscemodi, qua de causa innumeri ex fidelibus propter eorum culpam damnantur. Hoc testificatus est verbo, & scripto quidam damnatus, quem refert Vincentius Velvacensis *In specul. histor. lib. 12. c. 89.* qui ex parte Principum tenebrarum portavit literas ad omnem Ecclesiasticum Cœtum, plurimas agendo gratias Prælatis, Parochis, Prædicatoribus, & Confessoribus, qui propter eorum pessimam administrationem verbi Dei & Sanguinis Jesu Christi, tantum numerum animarum permitterent, facerentque ad Infernum descendere, quantum nunquam viderant retroacta sæcula. Et similiter ille alius damnatus, quem narrat Razius in suo Hortulo Exemplorum *Tit. de Confess. cap. 3.* quamobrem interdum aliquorum Prædicatorum, & Confessorum animas ostendit Deus misere damnatas (ut pluribus exemplis nostri temporis ostendit P. Alphonsus de Andrade Societatis Jesu *In sua manuduct vi[?] sive Vita B Mariæ, tom. 2. per tot.*) ut sic cæteri Confessarii, & Prædicatores in aliorum capite sibi periculum faciant. Extra prædictos casus raro, aut nunquam veræ sunt apparitiones damnatorum, sed valde suspectæ.

124 Modus apparendi eorum fere semper fit per visionem externam, vel imaginariam, quam plerumque comitantur horrisoni strepitus, & dirissima lamenta, & interdum intolerabilis fœtor, & pungens, atque affligens calor, Dœmonumque teterrima visio; licèt aliquando fiat per verba externa, vel interna, vel per puram intelligentiam, & tunc nihil oculis, nec imaginatione percipitur, sed experimentaliter cognoscitur, non solum animam esse damnatam, sed etiam locus infernalis, Dœmones, & tormenta quibus torquetur, & regulariter ejus damnationis causa; communiter enim modus visionis aptatur statui videntis.

125 Si igitur aliquis ad Magistrum accedat dicens talem vidisse visionem, bene perpensis omnibus circunstantiis, primo injugat animæ strictissimum silentium; deinde consideret an ille defunctus dum vixit, fuerit homo scandalosus, & pravæ vitæ, cui mors ejus penitus respondit, & si ita sit, poterit permittere animæ, ne pro illo preces fundat. Si autem quamvis defunctus fuisset malus, cum omnibus tamen Sacramentis Ecclesiæ obiit, nullatenus permittat quòd orationes, & preces suspendat; imo quòd eas efficacius multiplicet; quia si fuerit vera visio, & defunctus vere damnatus, licèt anima velit pro illo preces fundere, nullo modo poterit pro illo orare, vel saltem cum maxima interna repugnantia: Si verò damnatus non sit, licèt Magister injungat preces suas suspendere, efficaciter tamen à Deo ad orandum interius movebitur; in quo casu despecta visione, debet anima preces continuare, sicut in primo potest omnino suspendere (*Vita Francisci de Tepes lib. 2. cap. 22. num 4*)

126 Hæ damnatorum apparitiones secundum earum fines, & videntium status, magis, vel minus terribiles pariunt effectus; nullus enim nisi virtute supernaturali fultus, & roboratus poterit eas absque capitali periculo sustinere, & nihilominus frequenter causant horribiles

pavores, virium deliquia, nervorum contractiones, dolores acutissimos, teterrimas obscuritates, & violentam aliquando per os, nares, vel aures sanguinis effusionem, & his similia; quarum effectus nequeunt impediri per ullam diligentiam, aut industriam.

127 Potest tamen, & debet Magister incipientes, & proficientes in via spirituali (si visio illis facta sit) consolari, & roborare per considerationes divinæ bonitatis, & misericordiæ, & apparitionis memoriam juxta ejus effectus, plus vel minus in eis conservare. Si fuerit facta perfectis, tunc effectus erunt diversi; nam licet anima confortetur à Deo, ne dolore perculsa moriatur, & etiam quoad sensum confortari debeat à Directore, nihilominus quia est à sensibus solutior cæteris, non illico cæterarum horrore, & deliquiis, sanguinisque effusione tangitur; sed intimo dolore perditionis animarum, & propter veram Dei, & proximi charitatem torquetur: Hæc nullatenus debet apparitionem conservare, sed omnino rejicere, & ad divinam essentiam confugere; maxime si visionis memoria aliquem ei angorem sensibilem infert.

CAPUT XIV.

De Practica instructione eorum qui per visionem Gehennæ, vel apparitionem damnatorum convertuntur.

128 Aliquando accedet ad Directorem aliquis per visionem Inferni, vel damnatorum conversus, & ad meliorem vitæ conversationem vocatus; & quia multa in eo difficilia videntur, & observantur, necessarium duximus Magistrum instruere, ne obstaculum fiat vocationi, sed potius adminiculum. Si igitur statim post visionem accesserit optans novam vitam inchoare, curet Magister quòd debito examine conscientiæ præmisso, Confessionem generalem faciat, in qua illi pœnas Inferni ponderando, movere debet ad maximum transactæ ejus vitæ dolorem, & ad ulterius perseverandum in gratia, & sanctitate; illi injungendo, quòd in viam orationis, & recollectionis ingrediatur, & juxta ejus indolem, genium, & conversationem, pœnitentias, & exercitia præscribat; visionis verò qua conversus fuit, nunquam obliviscatur, quousque adeo timor sanctus in eo consistat; quòd primum vitam perdere, quàm gratiam amittere paratus sit. Quodsi jam à principio hanc voluntatem firmam habeat, nihilominus per aliquot menses visionem illam conservet, in qua poterit assidue meditari, & secundum ejus profectum, & affectum poterit eam plus, minusve conservare, vel rejicere.

129 Quodsi ex tali memoria spiritus nimis angatur, atque de divina misericordia (suorum causa peccatorum) desperare incipiat; tunc visionis memoriam relinquere debet (quamvis omnino ejus oblivisci non poterit) & misericordiæ divinæ pelagum consideret, pro certo habens, quòd tam rarum, & efficax auxilium, non ei datum est à Deo ad suam damnationem, sed ad æternam salutem; quod quidem non omnibus, sed electis tantum communiter concedit. Hæc, & alia hujusmodi revolvere, & mente recogitare debet, ne horrore pœnarum, & delicato divinæ justitiæ judicio, animus languescat, & in desperationem incurrat.

130 Advertat Magister, quòd animæ quas Deus per hanc horribilem visionem ad se trahit, & convertit, regulariter sunt, vel nimis rebelles, & tenaces, vel nimis frigidæ, & deperditæ, quamobrem absque tam dirissimo correctivo antiqua eorum vulnera non sanarentur, quia nullo amore, nullo sanctitatis desiderio in suis operibus ducuntur. (*Vicent Valvacens. l.18. cap.89. Cæs. l 12. cap.23. Collect. Specul. exempl* 12 & 13.) Unde illis necessarium est meditationes, & exercitia quæ terrorem, & formidinem incutiant exercere, & maxime visionem illam recolere; quia dum ad earum vitæ mutationem sufficiens fuit, multo magis ad virtutum incrementa sufficiet: Decurso tamen aliquo tempore, poterit exercitia, & meditationes mutare, & per vias illuminativam, & unitivam (secundum adeptam perfectionem) transmeare; multi enim ex his conversi ad altissi-

tissimum unionis gradum pervenerunt.

131 Nonnulli eorum, & etiam aliorum qui hominum judicio visi sunt è vivis decessisse, iterumque ad hanc vitam remeasse, affirmantes, in Infernum esse asportatos, ibique horribiles damnatorum pœnas conspectas fuisse (quod regulariter absque vero eorum interitu, sed per raptum, vel imaginariam visionem contingit) adeo austerissimam deinceps vitam arripiunt, quòd omnibus sunt in horrorem, & stuporem; nam operiuntur sacco, sedent in cinere, ferreis cathenis cinguntur, domicilio carent, & projecta cibi fragmenta colligunt, quibus vescuntur; ac tandem tot, & tam exquisitis rigoribus se macerant, quòd potius ex ære durissimo factos, quàm ex tenera carne confectos esse, videantur: Ita visum fuit in illo Patrefamilias Regionis Northambriorum, quem refert V. Beda *Lib.* 13. *de gest. Anglor.* & in Abbate Rorimundo, de quo Cæsarius *Libr.* 1. *cap.* 32. ac demum in illis tribus defunctis, per merita S. Hieronymi in Bethleem, à faucibus Inferi, ad vitam restitutis, ut narrat Cyrillus *In ep. ad August. de morte S. Hieron.*

132 Si ergo istorum aliquis ad Magistrum accedat, debet primo visionem, modum, & eventum funditus examinare, sciscitans ab eo, si in prædicta visione, modus ille rarus vivendi quem tenet, inspiratus, aut revelatus sit (quia communiter non proprio Marte, sed ex revelatione processit, ut confirmat Collector Speculi *ver. Infernus*, *exempl.* 2.) & diligenter inquirat genium, naturam, & statum subjecti; utpote quia si modus ille vivendi statui illius adversatur, non erit à Deo, sed à proprio captu, & propterea diu in eo perdurare non poterit, ut aliquando visum est (*Collect. ubi sup. exempl.* 2.) nam si legibus matrimonii est adstrictus, & ille sua reluctante consorte, vel ejus evitaret consortium, vel voverit castitatem, aut alia hujusmodi egisset; hoc proculdubio à Deo esse non posset, qui non venit solvere legem, sed adimplere. Et idem respective philosophandum est de cæteris statibus, & professionibus.

133 Si autem sui juris sit, & omnibus obligationibus solutus, tunc diligenter examinet Director, si ille cum omni humilitate, & subjectione paratus sit vitam illam extraordinariam in voluntate Magistri resignare; ita ut si illam relinquere præcipiat, omni promptitudine, & hilaritate abdicare non dubitet; nam si hac resignatione caruerit, à se, vel à malo spiritu processit, & tunc debet eum ad communiorem vitam (licèt paulo austeriorem cæteris) revocare. Quodsi omnino sit humilis, & voluntati superioris subjectus, à bono spiritu ducitur, & tunc inceptam illi vitam continuare jubeat. Debet tamen diligenter ab eo suæ conversationis rationem quærere, eumque roborare, & fulcire, atque in singulis ejus rigoribus indifferentiam, & resignationem funditur probare, & eos à quibus absit resignatio, omnino resecare; si verò illos resignate exerceat, in illis debet conservare, & licèt Magister conspiciat, quòd arrepta vita, & pœnitentia vires subjecti multum superant, nihil earum minuat quia homo ille in vita, & pœnitentiis ducitur, & gubernatur à Deo, qui melius omnibus scit vires, & naturam subjecti, quidque valeant humeri ejus portare; præsertim cum ipse potens sit ad staturam virium ejus adjicere cubitum unum (*Matth.* 6. 27.) quamobrem nec aliquid addat, nec minuat Director, quia poterit multum errare.

134 Nec cum prædictis debet singularitatem vitæ præcavere, quia ad omnia hæc quæ operantur proculdubio à Deo moventur, & licèt aliqua singularia, & austerissima in oculis hominum faciant, omnia illa cooperantur in bonum, & hominibus exemplum, timorem, & peccatorum formidinem, & horrorem afferunt, & pro certo habemus, prædictos homines in totius Populi exemplum, & profectum à Deo constitutos esse: Nec cum illis aliquid restat agendum, nisi in obedientia, resignatione, & paupertate spiritus conservare, & juxta gradus perfectionis eorum, ad mysticam, & supernaturalem Dei unionem adducere.

135 Denique ut finem apparitionibus imponamus, scire oportet, quòd prædictæ apparitiones si fiant immediate sensibus, vel imaginationi, vel mediate per eos intellectui, valde expositæ sunt illusioni-

bus; quapropter cautissime in eis procedendum est, & nunquam juxta eas, sed juxta dictamen rationis operetur, quia Deus assidue judicio Directoris omnia committit: Quodsi aliud intendit, solet inspirare Directorem, cujus judicio standum est. Visiones autem quæ immediate fiunt intellectui per puram, & simplicem notitiam, omni illusione carent; solicite tamen procedendum est, si aliquo sensu, vel Imaginatione mediante, in quibus Dœmon ingredi potest, actæ sunt: & generaliter attendere debet Magister doctrinæ, quam damnati apparentes proferunt; an scilicet aliquid erroris, vel eversionis, vel inverisimilitudinis contineat, quia tunc manifeste erit Dœmonis illusio.

CAPUT XV.

De Modo discernendi spiritus, & quid, & quotuplex sit spiritus.

136 QUamvis in omnibus favoribus supernaturalibus (annuente Domino) bonum, vel malum spiritum manifestare conabimur; scire tamen, quæ anima bona sit, & à quo spiritu ducatur, hujus loci propriissimum est; pertinet namque ad gratiam discretionis, de qua agimus: & cum verum sit quòd hujusmodi gratiam habentes, nulla ad discernendos spiritus instructione indigeant; pro his verò qui prædicta gratia carent, instructionem, & signa ad eos discernendos adducere necessarium est.

137 SPIRITUS igitur (ut docet Alvarez de Paz *De vita spirit. tom. 3. libr. 5. part 4 cap. 1. indust. 2.*) est ILLUD INVISIBILE, QUO HOMO INTERIUS AD ALIQUEM ACTUM HUMANUM INCITATUR, ut ad recte vivendum, ad agendam pœnitentiam, vel hoc, aut illud genus vitæ arripiendum; vel è converso ad aliquod flagitium perpetrandum, vel morum sinceritatem corripiendam. Dicitur etiam spiritus ipsemet impulsus interior, quo homo sentit se ad aliquid agendum, vel omittendum incitari; qui quidem non est aliud quàm apprehensio, vel judicium intellectus, & inclinatio voluntatis ad opus, vel missionem operis; atque vel à principio extrinseco; vel ab intrinseco moveatur; utroque modo hoc loco agendum est de spiritu.

138 Triplex est in meliori sensu spiritus; scilicet, *divinus*, *diabolicus*, & *humanus*; nam licèt Bernardus sex esse genera spirituum affirmet; scilicet, divinum, angelicum, mundanum, carnalem, diabolicum, & humanum, quos variis Scripturæ testimoniis comprobat; possunt omnes sub triplici nostra divisione comprehendi, ut bene notat P. Jacobus Alvarez *Ubi supra, indust 3* quia spiritus angelicus est ex parte Dei, & ad nihil aliud excitat, quàm ad id quod Deus vult: Spiritus autem mundi, & carnis sunt ex parte Diaboli: Spiritus autem humanus quasi in medio positus est; & interdum à Deo, vel immediate, vel mediis Angelis suadentibus, ad bonum movetur: vel interdum à Diabolo immediate, vel mediis spiritibus; idest dictantibus mundo, & carne ad malum incitatur, & hac ratione nihil speciale de illo esset dicendum; sed quia plerumque ille movet se ipsum, & hominem ad agendum inclinat, ideo de illo seorsim agendum est.

139 Hujus triplicis spiritus discretio interdum facilis est, & interdum difficilis: Facilis, si ad manifeste mala, vel ad manifeste bona nos vocent; nam si ad custodiam divinæ legis; ad obedientiam exhibendam Prælatis, ad contemnendum sæculum, aut alia similia excitemur; quis dubitet nos duci spiritu bono? Si vero ad transgressionem legis, ad pervicaciam, & duritiem judicii, ad consectandam propriam voluntatem, vel ad ambitionem sæculi moveamur; quis ambigat nos duci spiritu malo? Unde dum quælibet istorum manifeste in anima videntur, nihil potest de ejus spiritu Magister dubitare; juxta tamen regulas, & limitationes infra dicendas.

140 Difficilis est spiritus discretio, si ea ingerantur quæ nobis plane incomperta sunt, & incognita, an bona, an verò mala sint; vel licèt bona appareant, mala tamen sunt, sed boni specie contexta: Propterea ajebat Anselmus: „ Discretio „ enim difficillima est, & cum spiritus „ malignus quasi tranquillus agit, ac si- „ ne vexatione aliqua corporis assumpto huma-

„ humano spiritu, dicit quod potest; „ quando etiam vera dicit, & utilia „ prædicat ad hoc ut cùm illi in manifestis bonis creditum fuerit, seducat ad sua; iste quippe discerni non „ potest nisi Dono spiritus Sancti non „ enim magnum est tunc eum dignoscere, cum ad alia devenerit, vel perduxerit, quæ sunt contra bonos mores, vel regulam fidei; tunc enim à „ multis discernitur: Dono autem Spiritus Sancti in ipso primordio quo „ multis adhuc bonus apparet, conti„ nuo dijudicatur an malus sit. Hæc Anselmus (*In* 1. *ad Corint* 12.)

141 Ad hujusmodi ergo difficillimam spiritus discretionem, providit Deus Ecclesiæ de gratia discretionis spirituum, quam omnino habentes non indigent instructione; lumen quippe quod per eam infunditur, clare in ipso exordio veritatem spiritus offert dignoscendam; unde nec aliquid speciale nobis dicendum restaret, si omnibus hæc gratia concessa fuisset. Cum autem certum sit, non omnes (quinimo & raros) gratiam discretionis habere, ut in tam difficili materia possint procedere, dicendum est primo; quòd, si quem virum spiritualem, & Dono discretionis ornatum invenire possint, cum eo humiliter dubia animarum (quas gubernant) consulant, aperiendo illi rem vel in communi, vel in particulari, ut illius gratia possit illis esse in auxilium. Secundò, enixe orent Deum, quem Sapiens vocat *Spiritus ponderatorem (Proverb.* 16. 2.) ut illos ad gubernandas animas sibi commissas illuminare dignetur: Tertio, recurrat ad regulas Sanctæ Scipturæ, & Sanctorum Patrum, in quibus sufficiens est apparatus ad dignoscendos spiritus: Quarto, consideret effectus, & fines impulsuum, & alias circunstantias, ut ex eis possit veritatem, aut falsitatem spiritus deducere; quamob rem de his aliquid in particulari dicere oportet.

CAPUT XVI.

De Spiritu Divino, & de ejus cognitione practica.

142 SPiritus DIVINUS est: MOTIO INTERIOR QUÆ A DEO PROCEDIT, INSPIRANDO SCILICET NOBIS, BONUM ALIQUOD COMPLECTI, VEL MALUM FUGERE. Hæc motio (ut bene notat Alvarez *ubi sup. induſt.* 7) est à Deo, vel proxime, & immediate per tactum spiritualem suum, quo nos movet, & tangit vel mediate per Angelum, vel per conscientiam nostram, vel per propensionem virtutum, quas in potentiis nostris infundit & est quidem à Deo, quando ipse absque alicujus ministerio injicit nobis cognitionem, & desiderium boni Hæc namque cognitio, & hoc desiderium, licèt sint actus intellectus & voluntatis nostræ, tamen prout etiam sunt à Deo illas infundente, sunt ejus impulsus, quibus nos ad bonum impellit.

143 Est etiam hic impulsus à Deo per Angelum suum, quando scilicet Angelus ex jussu Dei bona suggerit, & mala fugienda proponit Et denique hic impulsus est à Deo per conscientiam nostram, quæ excitat nos, ut secundum rationem, & virtutem vivamus, atque ab omni malo declinemus

144 Aliter etiam est à Deo impulsus per fidem scilicet, & charitatem; per jussiones Prælatorum, exhortationes Seniorum, directionem Magistrorum, exempla Piorum; per prospera, & adversa quæ nobis sanam mentem ingerunt, quia his omnibus Deus tanquam administris utitur, ut nos ad bonum suadeat, & à malo avertat; quæ omnia merito impulsus Dei dicuntur.

145 Hic plane divinus impulsus, sive spiritus, si manifestus sit, facillime à multis discerni potest; in manifestis enim, & certis nulla adest difficultas; in dubiis vero, & in his quæ bona apparent cum mala sint, aut è converso, solum ab his gratiam discretionis habentibus potest in sua causa cognosci, qua vident eum; aut per revelationem concipiunt; à cæteris autem prædicta gratia carentibus, per effectus,

ctus, & circunstantias in cognitionem causæ deveniendum est; cujus regulam quasi omnibus communem tribuit nobis Christus Dominus de Scribis, & Pharisæis loquens, & dicens: *A fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matt.* 7. 20.)

146 Qui ergo sint *fructus boni Spiritus*, constat per Paulum dicentem: *Fructus autem Spiritus est Charitas*, *Gaudium*, *Pax*, *Patientia*, *Benignitas*, *Bonitas*, *Longanimitas*, *Mansuetudo*, *Fides*, *Modestia*, *Continentia*, *Castitas*. (*Ad Gal* 5. 22) Quos vulgo *Fructus Spiritus Sancti* vocamus, & qui inseparabiles comites sunt Divini Spiritus; scilicet CHARITAS erga Deum ardens, & erga proximos officiosa GAUDIUM internum; hoc est quod licèt facies, vel naturalis genius melancholicus, & tristis videatur, in conversatione tamen se homo exhibeat modeste hilarem, & intime in spiritu gaudentem.

147 PAX, non tantum cum omnibus hominibus, verum etiam cum se ipso, scilicet in corde tranquillo locum Deo præparando, cujus factus est in pace locus ejus. PATIENTIA, in tollerandis propriis, & alienis defectibus, & in sustinendis laboribus, infirmitatibus, & persecutionibus. BENIGNITAS, seu affabilitas in commercio, & conversatione hominum absque simulatione, aut hypocrisi. BONITAS simplex, & columbina sine cavillositate, vel secunda intentione. LONGANIMITAS omnis affectionis absque ulla adhæsione; omnia relinquens sine avaritia, aut repugnantia, & si opus fuerit, donans sine pænitentia, & tristitia. MANSUETUDO absque præcipitatione, aut furore, sed tranquilla, quieta, & pacifica. FIDES viva, & simplex in Deo, ejusque altissima providentia. MODESTIA humilis, non affectata, aut gesticulosa. CONTINENTIA in omnibus superfluis & nocivis quæ idem est quàm omnimoda mortificatio. Denique CASTITAS in omni genere luxuriarum, & delectationum, tam carnalium, quàm spiritualium.

148 Hi sunt fructus Divini Spiritus, per quos metiri debet Director spiritum discipuli. Et quia non omnes spiritus prędictos fructus habent manifestos, nec perfectos (pertinent quippe ad consummatam sanctitatem) quamobrem posset Director de malo spiritu fere omnes damnare, infra explicabimus modum, quo dignoscendi sint.

149 Denique expertissimus, & valde pius Cancellarius Parisiensis (*Gerson. tract. de distinct. ver. Visio à fals.*) Monetam veri spiritus in quinque ponderibus docet examinandam: „ Est autem (inquit) moneta ista spiritualis tanquam „ aurea in quinque principaliter examinanda; scilicet in pondere, in flexibilitate, in durabilitate, in configuratione, & colore, & hoc secundum quinque virtutes, ex quibus sumitur argumentum monetæ spiritualis legitimæ: Humilitas dat pondus, Discretio flexibilitatem, Patientia durabilitatem, Veritas configurationem, Charitas dat colorem. Hæc Joannes Gerson, qui latissime harum virtutum effectus quasi signa Divini Spiritus comprobat; & omnino videndus hic, & tractatu de discretione spirituum: Ita etiam Cardinalis Turrecremata *In prol. Revelat. S Birgit.* & luculenter P. Alvarez de Paz *Ubi supra*.

CAPUT XVII.

De Spiritu diabolico, & de ejus cognitione practica.

150 SPiritus DIABOLICUS est: IMPULSUS, SIVE INSTINCTUS QUO NOBIS MALUM SUGGERITUR, UT CUM MENS NOSTRA A CONCUPISCENTIA ABSTRACTA, ET ILLECTA, AD ALIQUOD MALUM, ET LEGI DEI CONTRARIUM APPETENDUM INFLAMMATUR. Hic impulsus, sive spiritus (ut ait Jacobus Alvarez *Ubi supra*, *indust.* 8.) non semper est à diabolo; sed aliquando à Mundo, vel à Carne: Quia tamen hæc sunt ex factione Diaboli, & cum ipso in perniciem nostram conspirant, propterea sub impulsu diabolico comprehenduntur.

151 Interdum igitur nobis suggerit Diabolus per se ipsum, quòd à Deo recedamus; interdum nos Mundus impellit, ut ejus vanitates, & deliria sequamur; interdum Caro pellicit, ut mollia, & sibi amica (licèt Deo contraria) desideremus:

In

In his omnibus Diabolus per satelites suos pugnat, ut animam nostram subvertat; in quibus similiter impulsibus carens gratia discretionis in rebus dubiis deliberare non potest; quapropter necessarium est, aliquam ad hujusmodi spiritum discernendum regulam constituere.

152 Et quemadmodum per fructus boni spiritus conferendus est spiritus divinus, ita etiam per fructus mali spiritus cognoscendus est spiritus Diabolicus: Quos quidem fructus sub nomine operum carnis explicat Paulus dicens: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia* (*Ad Galat. 5. 19.*)

153 Hæc opera carnis, sive fructus mali spiritus, si in eorum rigoroso, & stricto significatu, & gravitate accipiantur, & in aliquo patescant, nullam in dignoscendo ejus spiritu difficultatem habere poterit Director; pertinent quippe ad ea quæ superius *Cap. 15. nu.* 138. diximus de facillima discretione; quia de manifeste malis, nulla est quæstio, quòd à malo spiritu procedant: Si verò in sensu spirituali, & pallio bono spiritus cooperti ejusmodi fructus accipiantur, valde difficilis cognitionis sunt, & subtilius sunt exponendi.

154 Igitur per FORNICATIONEM, IMMUNDITIAM, IMPUDICITIAM, & LUXURIAM, quę juxta Angelicum Præceptorem (*D Thom in epist. ad Galat. 5.*) vitia sunt, quæ adversus se ipsum homo operatur; in spirituali sensu accepta, observandum est, an sit spiritus qui sub aliquo prætextu affectus est consortio, & conversationi fœminarum, vel proclivis ad eas visitandas sine urgentissima causa, vel ad nimis demorandum in suis domibus vel aulis Nobilium, vel ad loquendum verba scurrilia, nugatoria, & affectuosa; si deditus sit ad sui ipsius cultum, voluptatem, aut vestium venustatem, & compositionem; & denique ad quærendum in omnibus suam delectationem.

155 Per IDOLORUM SERVITUTEM, & VENEFICIA, si sint spiritus rebus humanis, & vanitatibus valde dediti; aut munusculis, donis, & cupiditati traditi; cui accedit, si inutilibus peregrinationibus, curiosis, & pretiosis imaginibus immoderate affecti (utiles enim, & moderatæ multum excitant devotionem) vel si cupiunt habere Revelationes, vel ab habentibus assidue procurant quærere, atque interrogare de statu animarum; de rebus futuris; & contingentibus, vel his similibus.

156 Per INIMICITIAS, CONTENTIONES, ÆMULATIONES, IRAS, RIXAS, & DISSENSIONES, debet intelligi, si sint spiritus murmurantes, querulosi, qui de nulla proximi operatione sunt contenti, sed omnia mordent, & verba parum charitativa jactant; si sint arrogantes, vel ament altercationes; si clamoribus, & contentionibus sua defendant; si alios male æmulentur, & de illorum æstimatione tristentur; aut circa illos verba contemptibilia eructent; si cum aliis rixantur, & rumusculis discordiam seminent: si sint novitatum, & fabulationum amici, & denique si alios despiciant, & se ipsos commendent.

157 Per SECTAM, & INVIDIAM, si sint spiritus singularitatis amatores, qui vias spiritus tritas, & à Sanctis Patribus practicatas, & edoctas despiciunt, sibique novas vias, & regulas perfectionis constituant, quas frequenter commendant & communes, planas, securas, & usitatas, quasi vulgares condemnant: Magistros, & eorum monita irreverenter tractant, & alios quos vident fervidos, devotos, abstractos, interiores, & pœnitentes invident; quia ipsi omnibus his carere se conspiciunt, atque invidia tacti, optant quòd ab aliis contemnantur, & nihili æstimentur.

158 Denique, per HOMICIDIA, EBRIETATES, & COMMESSATIONES notandum est, si sint spiritus qui correcti, moniti vel mortificati, illos qui sic eos monent, corrigunt, & mortificant, odio, vel aversione prosequantur; vel si nimis dediti sint esculentis, & poculentis; si sint inimici Crucis Christi, mortificationis, & pœnitentiæ; si de corporali salute sint valde soliciti, vel de spirituali negligentes; si sint exteriores, immodesti & de capiendo Sacramentorum fructu parum, aut nihil curantes. Denique si sint laxitatis

tatis

tatis amici, inconstantes, dissoluti, vel incompositi.

159 Hi sunt fructus mali, & Diaboli spiritus: sed quia multi ex prædictis vitiis saltem quoad suggestionem, aut negligentiam in multis spiritualibus reperiuntur; ita ut fere nullus esset spiritus qui ut bonus posset approbari, dicere oportet quomodo practice valeat ea Magister cognoscere, & quando de malo spiritu erunt damnandi qui eis sunt infecti.

CAPUT XVIII.

De his quæ observare debet Magister, ut practice cognoscat fructus boni aut mali spiritus.

160 SI omnes à bono spiritu ducti necessario habere debuissent omnes fructus boni spiritus, & è converso: Si omnes malo spiritu infecti habere deberent omnes fructus mali spiritus, fere nullum approbare, nec reprobare possent Directores, cum rarus inveniatur qui adeo perfectus sit, quòd mille imperfectionibus, defectibus, & venialibus peccatis, saltem surreptionis, & omissionis, non sit subjectus, dicente Joanne, non esse hominem qui non peccet: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* (*1 Joan.* 1. 8.) Affirmat enim Spiritus Sanctus, quod *septies cadet Justus.* (*Proverb.* 24. 16.) Et similiter nullus adeo malus est, & pravus, qui aliquod bonum non habeat, ut probant Chrysostomus *Hom. in Matth.* 7. & D. Thomas 2. 2. *qu.* 172. *art.* 6.

161 Quamobrem non ideo quia Magister conspiciat aliqua ex prædictis vitiis in anima, illico eam de malo spiritu damnet: Hæc enim vitia (ut ait Apostolus) semper in concupiscentiæ fomite conservantur, & cum virtutibus concertare non cessant, quia *hæc omnia sibi invicem adversantur.* (*Ad Galat.* 1. 19.) Igitur attendat diligenter si prædicta vitia, ut unum tantum voluntarie, & deliberate in anima persistant, cum quibus illa velit spiritualia exercitia unire, & si dum vitio utitur, apparere vult spiritualis, & sancta: in quo casu malum habere spiritum dubitari non potest.

162 Si autem quamvis plura habeat vitia, licèt voluntaria, vel unum tantum, ea tamen vincere, & superare procurat, & oratione, mortificatione se adjuvet, licèt interdum ob suam fragilitatem prolabatur, non venit de malo spiritu damnanda; quia malus spiritus non impellit ad superanda vitia, & ad acquirendas virtutes; sed ad destruenda sancta opera, & vitia occultanda. Si verò anima nihil curet de extirpatione vitiorum, quinimo & pabulum semper eis ministret, vel vitia occultet, & dissimulet, proculdubio à malo spiritu ducitur, & gubernatur.

163 Sed objicere poterit Magister, quòd fere impossibile est vitia cognoscere, si anima ea abscondit, & occultat; quamobrem regula prædicta nequit ad praxim reduci. Huic objectioni alibi aliquantulum satisfecimus; nunc verò latius ad satisfactionem objectionis sermonem protrahamus. Non est omnino impossibile simulationem animæ cognoscere; ad quod D. Thomas *Supra c.* 5 *nu* 32. triplicem affert industriam, quibus simulatio manifestari possit, difficillimum quippe est, quòd fictio, & fallacia diu possit latere, quin verbis, & factis aliqualiter non patescat, quia causa nequit non parere effectus sibi consimiles (*D. Thom. in Matth.* 7. *lect.* 1.)

164 Prima ergo industria est, quòd eos Magister subito reprehendat, humiliet, & aliqua verba paululum contumeliosa, vel despecta misceat, quin det illis tempus ad deliberandum, & caute attendat ad eorum vultus, & ad primos animæ motus, quia quod intrinsecus latet, manifestabunt exterius; ad quod alludere potest illud Proverbiorum. *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus* (*Prov* 27. 19.)

165 Hæc industria absolute sumenda non est, quia etiam boni spiritus repentina reprehensione contracti possunt etiam exterius inquietari; sed inter bonos, & malos erit discrimen, quòd boni reprehensi, statim humiliantur; mali autem in iram, & superbiam eriguntur: Sed si adhuc mali fingere sciant, & dissimulare; attente observare, si postquam humiliter defectus suos recognoscunt, hilares vultu remaneant: Boni namque licèt aliquantulum

lum erubescunt, manent tamen sereni, & hilares: Mali verò è converso, licèt se humiliari dissimulent, postea manent tristes, melancholici, & confusi, atque in eorum oculis, iracundia, & amaritudo detectæ falsitatis, manifeste percipitur.

166 Secunda industria est, attente eos considerare in tribulationibus, & malis quæ inveniant eos nimis; hæc enim sunt coticulæ, seu Lydii lapides, quibus aurum virtutis ab ære falsitatis segregatur; unde ait Ecclesiasticus: *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* 27 6) Et infra: *Est amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis* (*Eccli.* 6. 8.) Malus in tribulationibus deficit, irascitur, superbit, conqueritur, & maledicit, attribuendo secundis causis laborem quem perpetit: Bonus verò humiliatur, fulcitur, roboratur, sustinet, & annihilatur, Deo tanquam suorum vindici peccatorum ærumnas, quas patitur tribuendo; quamobrem gratias agit, quòd tam suaviter, tamque paterne eum corrigat, & si non hilaris, conformis tamen divinæ voluntati se exhibet.

167 Tertia industria est, eos observare, dum ea quæ ardenter cupiunt, assequi non valent; imo adversus eorum captum, & voluptatem res eveniunt, quia mali contristantur nimis, & iracundia, & dolore tabescunt, & è converso, si prospere, & secundum eorum desiderium res contingat, per immoderatam lætitiam foras effunduntur, quin ad interiora converti grates Deo referre studeant; sed quasi arundines vento agitatæ ad quemlibet ventum deflectuntur. Justi autem quæcumque illis eveniant, æquali animo accipiunt; nec lætis extolluntur, nec tristibus concidunt, sed in omnibus Deo gratias agentes cum patientissimo viro exclamant. *Si bona suscepimus à Deo, quare & mala non suscipiamus? Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum* (*Job.* 1. 21. & c. 2. 12.)

168 In his igitur primis motibus, ac mutationibus vultuum, quibus repente tanguntur homines manifestus proculdubio fiet latens eorum animus, & plane nullus fere erit qui se ita possit prævenire, quòd per repentinam probationem non capiatur: Æqualitas quippe, & in omnibus stabilitas, non stultis sive hominibus mali, aut ficti spiritus; sed justis tantum, & bono spiritu præditis concessa est; scriptum est enim. *Homo Sanctus in Sapientia manet sicut Sol, nam stultus sicut Luna mutatur* *Eccli.* 27. 12.

169 Si ergo clare, vel per has conjecturas cognoverit Director, quòd fructus mali spiritus, vel eorum quemlibet aliquis habitualiter habeat, & vel tenaciter defendat, vel victoriam ab eis reportare nolit, de malo spiritu eum poterit condemnare: Debet tamen prius, statum illius observare; nam si est anima adhuc in tyrocinio perfectionis constituta, aut parum profecta, nequit omnes fructus boni spiritus habere, neque omnes mali spiritus eradicare; sufficit enim quòd respective debellare vitia, & acquirere virtutes satagat, licèt nondum adeptas (quinimo & rebelles passiones) habeat.

170 Si autem anima in alto perfectionis gradu constituta sit, vel se constitutam esse putet, & aliqui ex prædictis fructibus mali spiritus habitualiter habeat, & voluntarie admittat; absque dubio illusa, & à malo spiritu ducta est; arbor quippe illa jam est in statu bono, & perfecto, & arbor bona (divina attestante veritate) non potest fructus malos facere. Ex hinc debet philosophari in cæteris statibus, & eventibus nolens in omnibus statibus quòd animæ vitiis careant, dummodo ea corrigant, & superare procurent; sola enim contumacia, & magna negligentia, aut tenacitas in illis defendendis, vel simulatio in eis conservandis, à malo spiritu procedunt: In perfectis verò nullus malus fructus habitualiter, & voluntarie admissus debet conservari; contrarium enim est evidens mali spiritus signum.

171 Denique aliud est signum imperfecti, & mali spiritus, nempe quòd anima sit gesticulosa, vel demisso capite, & detorto collo incedat, frequenter suspiret, supercilia contrahat, verba affectata devote ejaculetur, de Deo, & rebus supernaturalibus incongrue, & quasi ex prurigine loquatur, aut se ad loquendum offerat, instrumenta pœnitentiæ publice deferat;

P de

de mortificatione, & vitæ austeritate se jactet, publice in angulis platearum extra oratoria, & Ecclesias oret, & his similia, quæ sunt evidentissima signa hypocrisis, & falsi spiritus; quia bonus spiritus amat nesciri, & pro nihilo reputari; caput erigit, & oleo lætitiæ ungit; faciem suam lavat, ne videatur hominibus jejunans; orat Patrem in abscondito, & denique soli Deo patere, & hominibus latere procurat.

CAPUT XIX.

De spiritu humano, & de ejus cognitione practica.

172 DUplex est sententia Mysticorum circa humani spiritus quidditatem: Aliqui volunt quòd sit IMPULSUS, SEU INSTINCTUS QUI A NATURA JAM ORIGINALI PECCATO INFECTA EMANAT. Qui tametsi à gratia non excitetur, neque ab adversario moveatur, de se quasdam cogitationes, & quædam desideria parturit, quibus homo ad corpori amica, & congrua movetur; otium amat, & quietem corporalem; quærit curiosa habere, & pulcra, & exorret vilia, & aspera; respicit temporalia, gaudet ad lucra terrena, tristatur de damno, irritatur levis injuriæ verbo, cupida est, & libentius accipit quam donat, amat propria, & privata, inclinat ad creaturas, ad carnem propriam, & ad vanitates, & discursus; libenter aliquod solatium habet externum, in quo delectetur ad sensum: totum agit propter lucrum, & commoditatem propriam; nihil gratis agere potest, sed aut æquale, aut melius, aut laudem, aut favorem pro benefactis consequi sperat, & multum ponderari sua gesta, & dona concupiscit; gaudet de amicis multis, & propinquis; gloriatur de nobili loco, & ortu generis: arridet parentibus, blanditur divitiis, applaudit similibus, de defectu, & modestia cito conqueritur, omnia ad se reflectit, pro se certat, & arguit; appetit scire, & nova, & secreta audire; vult exterius apparere, & multa per sensus experiri; desiderat agnosci, & sapere; unde laus, & admiratio procedit.

173 Dicunt etiam, quòd spiritus humanus quatenus à Deo, & ab Angelis, & à lege naturæ, & charitatis allicitur, suscipiendus est: quatenus à spiritu Diaboli, & Mundi, & Carnis impellitur; respuendus, & quando à se ipso loquitur, circunspecte examinandus; nam quærit interdum quæ legi Dei contraria sunt, ut cum in die jejunii ante horam assuetam cibos petit. Interdum poscit ea quæ divinæ legi non adversantur, scilicet recreationes, & commoditates: Interdum denique necessaria postulat, & ea sine quibus (supposita humana necessitate) corpus suas functiones exercere non potest, suo jure utens concupiscit.

174 Hic humanus spiritus (ut ait S. Ignatius de Loyola *De regul. ad plen spirit. regul.* 8.) difficillime cognoscitur, quatenus ab instinctu Dei, & adversarii nostri secernitur; nam cum veluti medius sit inter duos prædictos instinctus, si in bonum inclinat, bonus, & divinus creditur: Si verò in aliquid minus licitum, ab spiritu maligno profectus reputatur. Non tamen semper ita est, sed ipse interdum ex his bonis quæ audivit, ut consona rationi amplectitur; interdum verò juxta instantem corporis necessitatem in congrua naturæ declinat.

175 Hic spiritus in his quæ sunt virtutis, & perfectionis, comes est individuus prudentiæ carnis; omnia cum se ipso, & non cum divinæ gratiæ efficacitate metitur; inde sequitur, esse mediocritatis amicum, nec ad sublimen, & heroicas virtutes aspirat sed in quadam via communi se continet: In operibus exterioribus, non Dei gloriam, & beneplacitum, sed se ipsum quærit: In oratione petit temporalia magis quàm spiritualia; vel spiritualia propter proprium commodum: & denique spiritus humani est proprium, in omnibus se ipsum quærere; & omnia quæ sibi opportuna videntur, specialiter postulare.

176 Hæc sunt quæ de humano spiritu profert hæc sententia; quæ licèt ad spiritum imperfectum pertinere videantur; quis ambigat quòd sint propria, & peculiaria spiritus Mundi, & Carnis, quos pertinere diximus ad diabolicum spiritum (*Supr. cap.* 15. *num.* 137) Hæc quippe, & alia ab Apostolo inter opera carnis annumerantur;

tur; nam quid aliud producit caro nostra per peccati contagionem corrupta, nisi ordinem justitiæ, & rationis pervertere, sibi tribuendo iniquo jure, quod æquo jure Deo debetur? Nonne melius amor proprius, quàm spiritus humanus vocari debet? Ipse est tinea, & ærugo bonorum operum, noverca virtutum, & nequissimi ignea sagitta: Ipse furtim introducitur, sensim crescit, & tarde expellitur: Ipse in nobismetipsis occulte latet, difficile cognoscitur, & difficilius à Directore discernitur: Propterea nimis vigilare debet, ne discipulus à prædicto spiritu ducatur.

177 Sed licèt in prædicto sensu acceptus spiritus humanus difficilis admodum sit discretionis, longe difficilioris est in vero, & propriori sensu acceptus; quem exponit sententia Gersonis *De discret. spirit.* & aliorum, qui per spiritum humanum intelligunt IMPULSUM ILLUM, SIVE MOTUM, QUO CIRCA RES SUPERNATURALES HOMO A SE IPSO MOVETUR, FALSO PUTANS, SE A DIVINO SPIRITU MOVERI. Multi quippe putant, se à Deo moveri, inspirari, aut præcipi ad aliquid agendum, cum revera à se ipsis, & à suo proprio amore, aut à propria inclinatione moventur, & sæpe putant Revelationes, Visiones, Locutiones, & alia supernaturalia à bono spiritu recipere, cum vere, & realiter sint suasiones propriæ imaginationis, & motiones sui humani spiritus, quæ longe difficilius cognosci possunt, quàm motiones, & effectus quos producit amor proprius, & spiritus humanus, juxta priorem sententiam acceptus. Propterea ad hujusmodi cognitionem alta observatione, & vigilantia opus est; sicut & nobis necessarium aliquam regulam pro ejus discretione constituere.

178 Igitur sciendum est, quòd omnes passivæ, & extraordinariæ communicationes, quæ à bono spiritu procedunt, quasi à supernaturali agente productæ, efficacissime imprimuntur in animæ potentiis, quæ ex vi superexcedentis impulsus manent quasi oppressæ, & vulneratæ, & non solum manent efficaciter excitatæ ad opus, sed quasi sitibundæ, & irritatæ; ex qua validissima infusione, mirabiles gignuntur effectus, quibus anima absque hæsitatione, vel timore clarissime percipit, non sua facultate, sed divina virtute fuisse motam, & licèt interdum ejusmodi intelligentiæ reflexione careat, percipit tamen in suis potentiis quasi plenitudinem exuberantem, quam ad aversionem creaturarum, & conversionem in Deum, & ad egregia opera impellit. Hæc motio, excitatio, aut impulsus, qui à Mysticis solet vocari donum excitationis, omnes favores supernaturales, & omnes motus infusos magis, minusve comitatur, quin unquam sit hujus regulæ generalis exceptio; sicut nulla etiam datur visio infusa, & illusio Dæmonis, in quibus non adsit etiam vehemens incitatio ad malum; quæ licèt interdum clam lateat, breviter tamen manifestatur, & suos malos producit effectus.

179 Hæc regula nunquam fallere potest Magistrum, tam in impulsibus boni, & mali spiritus, quàm in impulsibus ab humano spiritu productis: Quamobrem observare debet diligenter, si Visiones, Revelationes, &c. hos effectus bonos habuerint, vel malos producant, & cum prædicta efficacia, & novitate, atque immutatione spiritus; vel si nullos pariat, sed eos tantum qui communi cursu, & per ordinariam, & fervidam meditationem oriri solent; quia si primi generis sint, erunt à bono spiritu; si secundi generis, à malo, & diabolico, & si tertii generis, ab spiritu humano, & propria imaginatione, & passione.

180 Hac generali regula quę nullam habet exceptionem, omnes spiritus circa res infusas, & extraordinarias, quæ frequenter torquent animos Directorum, poterit Magister facillime distinguere, & cognoscere, & hæc quidem practice, nonnullas fallacias, & imaginationes quotidie forsan deteget, & manifestabit; nam adhuc in delirantibus, imaginativis, vel à Dæmone possessis, pusillanimis, & scrupulosis, semper ex modo motionis, & ab ejus effectibus indicatio sumenda est; in nulloquippe illorum, si motio sit supernaturalis, & penitus infusa, absunt prædicti efficacissimi effectus.

CAPUT XX.

De Gratia linguarum, octava ex gratis datis.

181 OCtava gratia vocatur à Paulo GENERA LINGUARUM, Circa cujus quidditatem invenio duplicem sententiam: Prima est, quod hæc Linguarum gratia sit QUIDAM HABITUS INFUSUS QUO FACILITER HOMO OMNIUM GENTIUM LINGUIS, ET IDIOMATE LOQUITUR Hæc gratia Linguarum prænuntiata fuit per Isaiam Prophetam, juxta sensum Nazianzeni *Orat* 44 Chrysostomi *In Isaia* Cyrilli *Ibi.* Tertulliani *5. cont. Mar. c.* 8. Epiphanii *De hæres. Marcion confut.* 14. 18. & Haymonis *In 1. ad Corint.* 14 18 sic dicentem: *Quoniam in aliis linguis, & in labiis aliis loquar Populo* (1. *ad Corint.* 14 21.) Et Psalmista de Apostolis loquens cecinit: *Non sunt loquelæ, neque sermones quorum non audiantur voces eorum* (*Psalm* 18 4.) Et Apostoli omnes simul, & Discipuli, hujusmodi facilitatem loquendi variis Linguis per Donum Sancti Spiritus in die Pentecostes acceperunt, quando illis apparuerunt dispertitæ Linguæ tanquam ignis; seditque supra singulos eorum, & ex ipso loco Actuum Apostolorum c 2. 4 constat, quòd *cœperant loqui variis Linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis* Et ipse Dominus de his qui crediderint, tanquam signa dedit, quod *Linguis loquentur novis* (*Marc.* 16. 17) Quem Linguarum diversarum usum etiam de se fatetur Paulus scribens Corinthiis: *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum Lingua loquor* (1. *ad Corint.* 14 18) Quamobrem hæc sententia verior est; scilicet, gratiam Linguarum consistere in facilitate infusa loquendi Linguis omnium gentium, & hæc sententia est Ambrosii *Serm* 62. & *Epist.* 33. Augustini *Tract.* 33 *in Joan.* Chrysologi *Serm.* 83. Gregorii *Homil.* 30 *in Evang.* Leonis *Serm* 1. *de Pentec.* Cyrilli Hierosolymitani *Catech.* 17 D. Thomæ *In 1. ad Corinth.* 14. *lect.* 1. & aliorum; quos sequuntur, & referunt Suarez *De fide, disp.* 8 *sect.* 2 *num.* 7. Lorinus *In Act. Apost. c.* 2. *vers.* 4 & alii.

182 Secunda sententia est Basilii Seleuciensis *De SS. Innocentib. tom.* 6. *juris* Chrysostomi *Apud Lorin. ubi supra*, Cypriani *Ser. de Spiritu S.* OEcumenii *Apud Lorin. ubi supra* Aratoris *Libr.* 1. *in Act. Apost.* 2. Dionysii Carthusiani *In Act. Apost.* 2. Viguerii *Lib. intit. cap* 9 §. 1 *vers.* 8. & aliorum: asserentium gratiam Linguarum constitutam fuisse in eo quòd loquentes Apostoli, & Discipuli in suo Idiomate Hebræo, ab omnibus diversi Idiomatis gentibus, quasi in eorum singulari Idiomate loquerentur perfecte intelligebantur; quod probant, quia predicante Petro, illico, ac hujusmodi gratiam accepit, pluribus hominibus, qui ex omni regione quæ sub Cœlo est, ibi erant congregati, adeo ab illis omnibus fuit comprehensus, & intellectus, quòd ex eis circiter tria millia conversi sunt. Ex quo infertur, quòd unico tantum Idiomate loquutus fuit Petrus, in quo omnes diversi Idiomatis eum plene intellexerunt, alioquin toties in singulis Idiomatibus repetere debebat sententias, & verba, quoties necessarium fuisset, ut singuli in suo Idiomate loquentem perciperent; quod sane inverisimile, & fere impossibile est, quia neque tempus, neque vires suppetere poterant; quamobrem necessarium erat in uno Idiomate prædicare, quod omnes intelligerent.

183 Adhunc modum visi sunt habuisse hanc gratiam Franciscus Xaverius in Japonia, Ludovicus Betrardus, & Martinus Valentinus in India Occidentali, & superioribus temporibus Vincentinus Ferrerius, ut affert Thomas Bosius *De sign Eccles. lib.* 6. *cap.* 5. quibus addere possumus Bernardum in Concilio Florentino; Antonium Patavinum, Ephrem Syrum, & Pastorem Liburnum Romæ suscitatum, ut refert Lorinus *In acta Apost. cap.* 2. *ver.* 4.

184 Dionysius Carthusianus hanc gratiam comparat exemplo Mannæ, cujus in se ipso non erat varius sapor, sed in gustantium gutture varie sapiebat; sic gratia Linguarum, licèt unico Idiomate, & non vario contenta esset, in audientibus tamen diversos habebat sonos, & cuilibet suæ propriæ Linguæ, & Idiomati concordabat. Quod difficillimum valde est

de est intellectu; nam vel in distantia intermedia linguæ loquentis, & aurium audientium diversis accidentibus verba induebantur, quod non est verosimile; vel licet idiomati Hebræo verba responderent, omnes illud, quamvis extraneum, intelligebant: Sicut evenit multis, tam fæminis, quàm idiotis, qui linguam latinam intelligunt, licet eam penitus loqui nesciant, & hoc verosimilius videretur, nisi Sacer textus expresse contradiceret dicens: *Nonne omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt? Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus. Persæ, & Medi, Elamitæ; &c.* Ex quibus verbis clare constat (juxta hanc secundam sententiam) quod unica verba variis accidentibus, & sonis induebantur.

185 Sed quidquid sit, hanc sententiam improbant fere omnes Patres, & præcipue Nazianzenus, & merito: „ Nam „ si hunc modum sequamur (verba sunt „ Gregorii *Orat.* 44) eorum potius qui „ audiebant, quàm qui verba faciebant, „ hoc miraculum fuerit, & juxta posteriorem sensum eorum qui loquebantur, „ qui etiam temulentiæ insimulabantur, „ haud dubie quin ipsi spiritus afflatu „ novi miraculi aliqui circa voces designabant. Hæc enim non esset gratia Linguarum, sed potius gratia intelligentiæ in audientibus, & in ipsis, & non in Apostolis proprius miraculum patraretur.

186 Sed hanc duplicem sententiam conciliant Ambrosius, Augustinus, Leo, Chrysologus, Cyrillus Hierosolymitanus (*ubi supra*) D. Thomas 2. 2. *q* 176. *art.* 1. *ad* 2. Cajetanus *ibid.* Lorinus *ubi supra* & multi alii, in hunc modum; videlicet, quòd sæpe Apostolis contingeret, quod dum ad eorum conciones diversarum Linguarum homines simul accurrebant, ne molesta repetitione sermonis sibi, & audientibus essent onerosi, ea quæ ipsi Hebraice, vel uno idiomate proferebant quibuslibet diversi idiomatis hominibus, in proprio uniuscujusque idiomate verba sonabant, & tunc non fiebat per gratiam Linguarum in prædicantibus, sed per gratiam intelligentiæ in audientibus. Quoties autem Apostoli, & Discipuli in Populis labii unius in diversis Regionibus prædicabant, illarum gentium proprium idioma faciliter, & perfecte loquebantur, & hæc erat proprie gratia Linguarum.

187 Hæc Linguarum gratia stricte sumitur pro externis vocibus, & facilitate loquendi diversas Linguas, non verò intelligendi quæ ipse homo loquitur, nec ea interpretandi, quia hoc pertinet ad gratiam sequentem, quæ dicitur interpretatio sermonum; quia ut ait D. Thomas (*In* 1. *ad Corint* 14. *lect.* 2.) *Aliquando aliqui moventur à Spiritu Sancto loqui aliquid Mysticum, quod ipsi non intelligunt; unde isti babent Donum Linguarum.* Unde Donum Linguarum stricte contrahitur tantum ad loquendas diversas Linguas, & hoc modo inferius est Prophetiæ, & interpretationi sermonis: Si verò cum hac conjungatur, inferior illi est Prophetia; omnia hæc exponit Apostolus dicens: *Nam major est qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, nisi forte interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat. Nunc autem fratres si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero nisi loquar vobis, aut in revelatione, aut in scientia, aut in Prophetia, aut in doctrina? Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut citharizatur? Etenim si certam vocem non det tuba, quis præparabit se ad bellum? Ita & vos per linguam, nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes* (1. *ad Cor.* 14 5.)

188 Hæc gratia concessa fuit omnibus Apostolis, & Discipulis in die Pentecostes, & multis aliis in primitiva Ecclesia, ut tenet D. Thomas 1. *ad Corint. c.* 13 *lect.* 3. & non repugnat posse elargiri in quolibet sæculo; præcipue his qui in instructione, & conversione gentium, quæ innumeris Linguis loquuntur, laborant. Quamvis enim Apostolus 1 *ad Corint* 13 8. dicat, quòd *Linguæ cessabunt*; hoc intelligendum est (ait D. Thomas *ubi supra*) in futura gloria: *Quilibet enim ibi quamlibet Linguam intelliget; unde non erit necessarium variis linguis loqui.* Idem tenent Chrysostomus *In* 1. *ad Corinth.* 13. Ambrosius, Ansel-

Anselmus *ibid.* & fere omnes. Sed licèt non repugnet Deum posse hanc gratiam in omni sæculo concedere; sed (ut dicit Lorinus) *jam non est necessarium hoc Donum tanquam ordinarium.* Et infra: *Sed neque Prædicatoribus nostris* (Jesuitis) *nunc in orbe novo concedi id videmus.* Regulariter in eis reducitur hæc gratia ad faciliter discenda tot, & tanta idiomata, quibus in illis novi orbis partibus utuntur.

189 Circa hanc gratiam quasi raram, & hisce temporibus non visam, nihil ad instructionem Directoris fere nobis dicendum venit, quod proprie ad hanc gratiam possit pertinere. Nihilominus illi evenire continget, quòd aliquam videat fœminam, vel hominem rusticum, aut idiotam, loquentes latinam linguam, vel aliam à suo idiomate alienam (ut aliquando visum est) in quibus debet Director cautissime procedere, & possunt reduci ad duo personarum genera; videlicet spiritualium, & non spiritualium. Si igitur sint personæ non spirituales, & videantur interdum loqui latine, vel alia lingua quam nullatenus didicerunt, diligenter attendat si ea quæ loquuntur sunt Prophetiæ, vaticinia, superstitiones, vel doctrinæ in ordine ad mores, sive ad politicam, vel alia hujusce modi; quia timere debet, eos esse à spiritu Pithone possessos, & energumenos, ut Paulo contigit Philippis cum quadam puella, quæ (teste Cajetano) habebat spiritum, loquentem, & prophetantem, cui Apostolus ab ea exire præcepit *Actor.* 16. 17. ad cujus integram instructionem recurrat Magister ad ea quæ infra dicemus de energumenis, & de eorum signis (*Infr. tr. 6. c. 5.*)

190 Si autem sint spirituales personæ, & in se percipiant facilitatem loquendi linguam latinam, vel aliam quam non didicerunt; observet Magister si ad hujusmodi loquelam adsit necessitas, aut evidens utilitas; puta in casu instructionis alicujus cathecumeni nescientis, neque intelligentis aliam linguam, nisi eam quam illa persona extra morem suum tunc loquitur; ut si sit Germanus, & nullus sit qui ad ejus instructionem Germanicam linguam sciat, aut intelligat, quia tunc in hoc strictissimo casu potest gratia esse verà (licèt hoc raro contingat, nisi in partibus remotissimis) etiam observare debet, si frequenter, & passim proferant loca Scripturæ, vel Sanctorum sententias; maxime si sint fœminæ, cujuscumqne status sint, & conditionis, quia in his valde suspecta est gratia, & sæpius observatum est, hujusmodi personas esse energumenas, & à malo spiritu possessas, ut postmodum compertum est; nam licet Deus possit hanc gratiam ad libitum elargiri, raro tamen eam concedit; quod enim frequenter facit cum viris, & fœminis valde spiritualibus, est, eis præbere ad suum profectum, & perfectionem intelligentiam verborum Sacræ Scripturæ, & latinæ linguæ; sed idem spiritus si ex Deo est, illos impellit, ne publice & coram aliis latinè loquantur, & licèt sententias Scripturæ referant, eas propria & materna lingua proferant; alioquin de malo spiritu arguendi sunt, & à Magistro reprehendendi, & prohibendi ne amplius latine loquantur, sed quod humiliter taceant, & ab aliis discant doctrinam veritatis.

CAPUT XXI.

De Gratia interpretationis sermonum, nona, & ultima ex gratis datis.

191 NOna, & ultima gratia vocatur à Paulo INTERPRETATIO SERMONUM. Circa cujus intelligentiam, & quidditatem etiam variant Doctores, Theodoretus *In 1. ad Corint* 14 Baronius *Tom. 1. Annal.* Lorinus *In Acta Apost.* 2. *ver* 4. & multi alii, quos refert, & sequitur Petrus Srebartius *In 1. ad Corinth.* 14 volunt, gratiam interpretationis Sermonum nihil aliud esse, quàm id quod Apostoli, aut Discipuli in uno idiomate prædicabant in aliud vertere, & traducere; sicque Petrus Apostolus usus est Marco Interprete, ut refert Eusebius Cæsariensis *Lib.* 3 *hist. cap. ult.* & Paulus, Tito, ut est apud Hieronymum *Epist.* 150. *quæst.* 11. Quamobrem septuaginta viri illi qui apud Ptolemæum Bibliam in suo idiomate transtulerunt, septuaginta Interpretes vocantur.

192 Sed D. Thomas variis in locis (*In 1 ad Corinth.* 14 *lect.* 2. & 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 4.)

art. 4.) inquit, quòd gratia interpretationis Sermonum, non tantum pertinet ad meram manifestationem, aut versionem Sermonis, quod proprius est gratiæ linguarum; sed principaliter ad manifestandum, & exponendum sensum mysticum verborum, & quod ad interpretandum arduum erat: & ut alibi 2.1.*q.*177.*art.*1.ait, hoc fit tripliciter: „Primò ad instruendum „ intellectum, quod fit, dum aliquis sic „ loquitur, quod doceat: Secundò ad „ movendum affectum, scilicet, ut libenter audiat verbum Dei, quòd fit, dum „ aliquis sic loquitur, quòd auditores delectet: Tertiò ad hoc quòd aliquis amet „ ea quæ verbis significantur, & velit ea „ adimplere; quod fit, dum aliquis sic „ loquitur, quòd auditorem flectat. Hæc D. Thomas.

193 Ex cujus doctrina deduci potest hæc definitio, nempe quòd sit HABITUS INFUSUS, QUO HOMO NON SOLUM PENETRAT MYSTICUM, ET ARCANUM SENSUM VERBORUM SACRORUM, SED ETIAM ALIIS INTERPRETARI, ET EXPLANARE POTEST, SAPIENTER VENUSTE, ET EFFICACITER. Hęc gratia distinguitur à Donis Sapientię, & Scientiæ, quia hæc ordinantur ad propriam habentis dispositionem, ut bene moveatur per instinctum Spiritus Sancti in his quæ credere debet, aut non credere; gratia autem hæc ordinatur ad proximorum eruditionem, & profectum. Distinguitur etiam à Gratiis gratis datis Sapientiæ, & Scientiæ, quia ut ait D. Thomas (1.2 *q* 111 *art.* 4 *ad* 3.) *Gratia Sermonum habet speciales quasdam rationes movendi ad fidem, & ideo ponitur specialis Gratia gratis data.*

194 Hæc gratia regulariter conceditur viris Apostolicis, Doctoribus, & Magistris, & his quibus competit munus docendi, & prędicandi, licèt aliis etiam possit concedi juxta divinum beneplacitum: Propterea hæc gratia interdum fœminis conceditur, vel (ut ait D. Thomas 1 2 *q.*111. *art.*4. *ad* 3.) *potest concedi privative ad unum, vel paucos familiariter colloquendo.* Quod intelligi debet respective ad sexum; idest, ut fœminæ fęminis instruant, & colloquantur: non viros propter pericula superius dicta (*Tract.* 4. *cap.*2. *num.*11. & *c.* 3. *nu.* 21. & 22.)

195 Doctoribus autem, & omnibus quibus competit ministerium prædicandi, & docendi, suadeat, quòd novas doctrinas fugiant, & subtilibus discursibus, & quæstionibus abstineant; Scripturam Sacram juxta usum Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum expositionem interpretentur; quorum sententias recitent, & venerentur; quia non sine ingenti cordis dolore videtur quorumdam animositas, qui Sanctorum Patrum sententias (quasi audientibus prolixas, vel onerosas) referre nolint; & interdum increpare non formident, credentes potius suo præsumptuoso acumini, quam venerabili admodum auctoritati Sanctorum, qui Petro attestante: *Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt* (2.*Petri* 1.21.)

196 Circa res mysticas (si quospiam ex Directoribus ducat) moneat, ne animabus tribuant, scribant, aut evulgent doctrinas novas, vias singulares, vel diversas ab his quæ à temporibus nascentis Ecclesiæ Doctoribus edoctæ, & in praxim deductæ sunt; neque in via spiritus compendia periculosa, aut abbreviaturas, vel potius præcipitia, inveniant, effingant, vel commententur; sed communi, & trito gressu per vias Purgativam, Illuminativam, & Unitivam, & per pias meditationes, & considerationes ipsis accommodatas secundum statum animarum respectivè sibi commissas animas deducant: Poterunt tamen, si aliquid non contrarium doctrinæ Catholicæ, aut Sanctis Patribus, & Doctoribus, illos experientia doceat, & vel validis fundamentis, vel receptis doctrinis comprobaverint, simplici, & non tenaci animo docere; se ipsos melioris intelligentiæ correctioni subjiciendo; quia tunc non per proprium captum, sed per rationem, & auctoritatem ducuntur.

TRA-

TRACTATUS QUINTUS.

De favoribus supernaturalibus, & infusis, eorumque mirabilibus effectibus, & de practica illorum doctrina.

PRorsus trepidare poterat calamus, hanc materiam undequaque difficilem aggrediendo, quandoquidem Deus, cujus natura bonitas, tot, & tantis amicos suos cumulare dignatur favoribus, quòd nullus humanus intellectus eos enumerare sufficiat, neque ab alio quàm ab eorum Auctore comprehendi possunt; quamobrem nobis dicendum restat cum Psalmista Regio: *Veni in altitudinem Maris, & tempestas demersit me* (*Psal* 68. 3) Cum igitur difficillimum sit eorum speculari effectus, longe difficilius erit, eorum perpendere causas: sed cum ab Apostolo scriptum sit, quòd divisinnes gratiarum sunt quæ Deum tanquam nitidissimum fontem agnoscunt, à quo mirabilium effectuum rivuli scaturiunt, inquit: *Hæc omnia operatur unus, atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.* (1 *ad Corint.* 12. 15.) Cujus stillantes lymphæ æqualiter humani cordis tellurem irrigarent si in eo dispositionem invenirent, quoniam non est personarum acceptor Deus: Unde cum prædictorum favorum Auctor, & principalis causa comperta sit, eorum instrumentalem causam, signa, & effectus (Deo ipso annuente) investigare conabimur; doctrinamque securam, atque à Catholicis Patribus, & Doctoribus mysticis exceptam offerentes, favorum quidditates, subjecta, modos, tempora, impulsus, motiva, & cætera quæ ad eorum discretionem, conservationem, aut abdicationem spectant, facili, & aperto stylo explicare curabimus. Faxit Deus suo divino lumine nostrum irradiare intellectum, quo spiritualibus Directoribus aliquid proficuum; & ad eorum munus obeundum perutile, ad majorem Dei gloriam, & animarum salutem proferre valeamus.

CAPUT I.

De favoribus supernaturalibus in communi.

1 DIfficilis prorsus, & impenetrabilis est animæ scopus, ascendendi scilicet ad divinam, & mysticam Dei unionem: Arduus nimis intellectui humano, quia ut ait Dionysius *De divin nominibus c.* 7. aggreditur cognoscere per divinissimam notitiam, quæ non cognoscendo cognoscitur, pro superante naturam, & captum mentis unione; quando mens primum rebus omnibus valedicens, deinde & ipsam deserens supersplendentibus illinc, & illinc radiis, inscrutabili profundo sapientiæ unitur. Quod quidem intellectui nostro valde invium est, & inaccessibile.

2 Nec minus arduum est voluntati, quæ quidem astringitur relinquere, & abdicare, non solum deordinatos affectus, & passiones, sed etiam eorum potentias; id est, non solum actus non agere, sed etiam habitus vellere, & eradicare: „Vacuanda est voluntas (ait quidam expertus Auctor *Spert. Cathus. select. mystic. p* 4 *c.* 5.) inordinatis rerum affectionibus, etiam supernaturalium, & etiam imperfectis habitibus, & ad supernaturalem Dei unionem dirigenda. Quod etiam voluntati nostræ impenetrabile redditur, quia non solum est se se in appetitibus repugnantibus abnegare, sed etiam in modo naturali operandi, & hoc impossibile videtur Angelico per vires naturales: *Quod autem* (inquit) *excedit naturæ facultatem, non potest esse naturale, neque per potentias naturales acquisitum* (*D. Th.* 2. 2 *q.* 24 *art.* 2. & *q.* 23. *ar* 2.)

3 Cum igitur prædicta excedant facultatem naturæ, indiget homo supernaturaliter elevari per aliqua comprincipia habitus,

bitus, sive auxilia, quibus possit negotium illud adipisci: & quandoquidem in quantum ad hoc habeat anima in gratia, & charitate consistens habitus supernaturales virtutum, & donorum supernaturalium; ad assequendam tamen mysticam, & passivam transformationem, atque ad penitus evellendos habitus imperfectos, indiget (si ita dici potest) aliqua superiori superna vi, & divino impulsu validos excitante motus animæ ad necessariam dispositionem divinæ deiformitatis; quæ quidem mediantibus hisce favoribus consequitur.

4 Isti favores supernaturales non sunt habitus permanentes, sed recipiuntur in anima per modum passionis, & impressionis transeuntis, quos gratis, & citra meritum à divina largitate opportuno tempore recipit, licèt regulariter aliqua præcedente ex parte animæ dispositione, & tunc (ut docet D.Thomas 2. 2. *qu.*171. *art.* 2.) potentia non est agens, sed patiens; propterea hoc modo illuminatus vocatur à Dionysio: PATIENS DIVINA (*S. Dionys. de divin. nominib c.* 2.)

5 Sed quamvis anima in hujusmodi favorum receptione patiens sit, & non agens; passio tamen illa quantoque infusa sit, non est parilis ei, quæ fit in aliquo subjecto inanimato, ut bene notat Suarius; sed est passio vitalis; quamobrem fieri nequit absque cooperatione ipsiusmet viventis: „ Elevatur quidem (inquit) homo „ in Deum per actionem Dei in ipsum, „ non tamen sine cooperatione sua, quia „ illa motio Dei non est talis qualis esse „ solet circa rem inanimem, sed quæ ad „ actum vitæ terminari possit; nam illa „ elevatio in Deum vitalis est; actio au„ tem vitalis non fit sine cooperatione „ ipsiusmet viventis (*Suarez de Relig tom.* 2. *lib.* 2. *c.* 12. *nu.* 21.)

6 Prætermissa autem infusione passiva, cujus passioni anima cooperatur ad modum quo intellectus patiens patitur à lumine intellectus agentis, qui licèt in sua passione liber non sit, sed illa prætermissa liber manet, ut ex patienti agens reddatur: Ita similiter se habet intellectus noster in passiva infusione divini luminis: „ Nam sicut „ in cognitione naturali (verba sunt D. „ Thomæ 2. 2. *q.* 171. *art.* 2. *ad.* 1.) intel„ lectus passibilis patitur ex lumine intel„ lectus agentis; ita & in cognitione su„ pernaturali intellectus humanus patitur „ ex illustratione divini luminis. Quamobrem advertat Magister, quòd anima in hisce favorum receptione non est libera, licèt vitaliter passioni cooperetur; prætermissa tamen divinæ infusionis efficacia, libera remanet, ut favorem conservet, vel renunciet.

7 Auctor mirabilium istorum Deus est, tanquam omnium causarum prima causa, à qua omnes procedunt, & præcipue supernaturales, quæ ejus infinitæ potentiæ specialius tribuuntur. Immediatus infusor est Divinus Spiritus, quasi specialis Doctor, & Magister animarum, dicente Christo per Joannem 14. 26. *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Ille utique est qui intellectum nostrum illuminat, & voluntatem sua charitate inflammat; quia ut ait Apostolus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis* (*Ad Rom.* 5. 5) Cum ergo favores hujusmodi ad illuminandum intellectum, voluntatemque inflammandam dirigantur, necessario per Divinum Spiritum infundi debent.

8 Propterea evidenter colligitur, quòd nihil aliud per eos animæ communicatur, nisi lumen, & amor supernaturalis; subindeque admiratione dignum est, quod à Mysticis quasi in proverbium habetur; scilicet, quòd nullus hominum penetrare sufficiat favorum causam, & quidditatem, cum manifeste causa principalis, nempe Deus, omnibus innotescat; quidditas pariter ignorari non potest, maxime dicente Apostolo: *Omne quod manifestatur lumen est* (*Ad Ephes.* 5 13) Nihil enim aliquod potest substantialiter per eos communicari nisi lumen, & amor, & ratio est evidens; quia Deus quasi in suis operibus perfectissimus, adhibet media proportionata ad assequendum finem quem intendit; finis autem suarum operationum in anima est, eam ad sui cognitionem, & amorem adducere; quod quidem anima agere nequit nisi per suum intellectum, & voluntatem Manifestum est autem, quòd intellectui nihil aliud proportionatur nisi lumen ad attingendum ve-

rum, quod eſt ejus objectum; ſicut & voluntati amor, vel excitatio ad proſequendum bonum; ergo nulla alia media in prædictis favoribus adhibet Deus ad aſſequendum ſuum finem, niſi lumen, & amorem ſupernaturalem, quibus anima per cognitionem, & amorem cum eo uniri, & copulari valeat, ut docent Suarius *De Relig. tom.2.lib.2. cap. 9.num.*13. & Spert Carthuſianus *Select. myſt. part. 3.cap. 5. numer.* 3.

9 Hoc lumen, & amor qui in hujuſmodi favoribus communicantur, mirum in modum excitant, movent, & elevant ſpirituales potentias animæ, ad producendos longe perfectiores actus quàm antea poterant; quia nimirum intellectus ad hoc lumen roboratur, extenditur, & elevatur ad altiſſimam objecti repræſentati cognitionem, voluntas per hunc amorem excitatur, dilatatur, impellitur, incaleſcit ad illius proſecutionem; ea quidem efficacia, & intenſione, qua per ſe ipſam nunquam poterat ſe movere, & excitare, & hæc excitatio luminis, & amoris infuſi appellatur à Myſticis ſpiritus, ſive medulla Viſionum, & Revelationum, &c. & nos vocamus donum excitationis, quod infallibiliter comitatur omnes, & ſingulor favores ſupernaturales, qui ad propriam Sanctitatem ordinantur, magis, vel minus ſecundum ſublimiorem, vel inferiorem communicationis ſpeciem; nam quò magis immaterialis eſt, eò fortius, & ſublimius eſt donum excitationis, quia quantò ſimplicius, & ſpiritualius eſt accidens quod involvitur, tanto magis ſpirituales potentiæ afficiuntur, & moventur; formæ autem, & figuræ Viſionum, & Revelationum, quibus hoc donum excitationis, ſive lumen, & amor infuſi conteguntur, vocantur cortices, & materialia, ſive externa Viſionum, quæ omnino repudianda, & relinquenda ſunt, aſſumpto tantummodo dono excitationis, ſive ſpiritu, & medulla Viſionum, & Revelationum, &c. applicando ſcilicet intellectum, & voluntatem, obſequendo nimirum illam infuſam, & ſupernaturalem motionem; quod quidem magnopere oportet ut bene intelligat Magiſter, quia paſſim diximus, & dicemus animas debere ex Viſionibus, & Revelationibus, aliiſque favoribus infuſis aſſumere tantum excitationem, ſive ſpiritum, & medullam; corticem autem materialem, & externum eorum repudiare.

CAPUT II.

Proſequitur præcedentis capitis thema.

10 NEc præteritæ doctrinæ obſtare poterit, quòd ſcilicet multi ex his favoribus (ut videtur) in lumine una cum amore infuſo non conſiſtunt; Viſiones namque, Revelationes, & Prophetiæ, licèt per lumen fiant, peramorem tamen fieri non videntur, maxime cum Prophetia, non ſupponat gratiam ſanctificantem. Deliquia etiam materialia (vulgò ARROBAMIENTOS) neque ſunt lumen, nec amor, niſi quædam virium materialium ſuſpenſio, extinctio, aut enervatio; itaque non bene affirmatur, quòd in prædictis favoribus ſemper communicatur lumen, & amor infuſus.

11 Quia reſpondetur, quòd lumen, & amor ſupernaturalis, ſecundum animarum diſpoſitionem, & capacitatem, diverſis accidentibus circumvelantur, ut eis mediantibus optatus à Deo finis conſequatur; quapropter tria notare oportet cum Beato Joanne à Cruce *Lib.2. aſcen. mont. Carmel. c.* 12. Primum, quòd omnia quæ à Deo fiunt, ſunt ordinata, ut probat Apoſtolus dicens: *Quæ autem ſunt à Deo ordinatæ ſunt* (*Ad Rom* 13. 1.) Secundum, quod licèt Deus attingat à fine uſque ad finem fortiter, diſponit tamen omnia ſuaviter, ut ex libro Sapientiæ 8. 1. conſtat. Tertium, quò Deus omnia movet juxta modum mobilis, ut docet communis Theologia.

12 His poſitis fundamentis, cum Deus vult animam movere ad ſuis cognitionem, & amorem, & ab ejus naturali ſtatu, ad alium extraordinarium, & ſupernaturalem elevare, procedit ordinate, & ſuaviter, movens ſcilicet animam ad modum quo ipſa ordinarie movetur. Cum autem modus ſe movendi naturaliter ſit per ſenſus, formas, & phantaſmata, neceſſario debet eam per hujuſmodi ſpecies movere, licèt ſupernaturales, & infuſas: *Propterea*

ea (ait Joannes à Cruce *ubi supra*) *dat animabus Visiones* , *& formas imaginarias cæterasque notitias sensitivas* , *& intelligibiles.*

13 Et sicut in naturalibus prædictæ species deserviunt cognitioni, & amori voluntatis, transeuntes per naturalia organa, ita similiter in illis speciebus sensitivis, & supernaturalibus, quæ deserviunt cognitioni, & amori supernaturali, occultat Deus lumen, & amorem supernaturalem, ut his materialibus formis circumvestitos possit anima ita eos percipere, sicut consueverat percipere naturales; quod minime posset, si ab his materialibus formis fuissent penitus absoluti.

14 Ecstases, Raptus, Deliquia, &c. non sunt communicationes supernaturales, sed effectus hujus luminis, & amoris supernaturalis, qui secundum diversam subjecti dispositionem diversus etiam pariunt effectus, quia ut docet D. Thomas 1. 2. *q.* 68. *art.* 1. perfectio mobilis inquantum mobile, est esse proportionatum suo motori, & quanto movens perfectior est, tanto perfectius debet disponi mobilis, ut absque violentia, & extraordinario impulsu à suo motore moveatur, & quanto ei perfectius proportionetur, tanto facilius, & suavius ab illo movebitur. Cum autem animæ habeant diversas dispositiones, & quædam sint minus dispositæ quàm aliæ, ut ab amore, & lumine infuso moveantur; ideo juxta majorem, vel minorem earum dispositionem, hos, aut illos effectus causant.

15 In his nanque quæ nondum purgatæ sunt, lumen & amor infusus efficiunt materialia deliquia, nervorum contractiones, & sensuum alienationes, & contusiones: In magis purgatis causant ecstases, impetus, lachrymas, &c In his quæ perfecte purgatæ sunt, pariunt Raptus, Elevationes, & alia, de quibus infra; sed *hæc omnia* (ut ait Apostolus) *operatur unus*, *atque idem spiritus* (1. *ad Corint.* 12. 11.) Qui cum lumen sit, & amor, hæc omnia per suum lumen, & amorem operantur, ad exemplum videlicet lucis Solis, quæ secundum majorem, aut minorem oculorum dispositionem, diversos etiam in eis effectus causat; nam lippos oculos torquet, infirmos offendit, & perfectos lætificat, & delectat: Et similiter ignis juxta ligni dispositionem, suam ei formam introducit; viride, & humidum, crepare, & fumigare facit; in siccum verò, & formæ recipiendæ dispositum, sensim, & placide suam formam communicat.

16 Visiones, & revelationes si propheticæ sint, & ad Prophetiam ordinatæ, dum hæ sint ex Gratiis gratis datis, quæ reperiri possunt absque gratia, & charitate, tantum efficiuntur per lumen propheticum, ut supra *Tract.* 4. *c.* 7 *num.* 60. probavimus, & de Prophetia impræsentiarum non est nobis sermo. Visiones verò, & Revelationes, quæ ordinantur ad propriam animę perfectionem, & sanctitatem, & de quibus in præsenti Tractatu agitur, cum fiant animabus in gratia constitutis, & ad divinorum cognitionem, & amorem peraugendum, necessario per lumen, & amorem fieri debent, ut supra *Tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 6. dictum est.

17 Denique universos favores supernaturales, & extraordinarios, in quatuor genera dividere possumus cum B. Joanne à Cruce *Lib.* 2. *ascen. mont. Carmel. cap.* 27 scilicet in VISIONES, LOCUTIONES, REVELATIONES, ET SPIRITUALES SENSIFICATIONES: Et quandoquidem omnes sub Visionis insigne comprehendi possent, ex eo quòd sunt cognitiones, sed quia repræsentantur intellectui ad modum quo materialia objecta sensibus offeruntur; propterea qui ad modum Visionis recipiuntur, Visiones vocantur, & qui ad modum auditionis, Locutiones; qui autem ad modum apprehensionis, Revelationes; & denique qui ad modum sensationis cæterorum sensuum, sensificationes spirituales appellantur. De omnibus (annuente Deo) singulariter agemus.

CAPUT III.

De favoribus ſupernaturaliter in particularibus, & primo de Viſionibus exterioribus infuſis.

18 TRes diximus eſſe facultatum animæ claſſes; prima omnino externa, & materialis, quæ quinque corporalibus ſenſibus conſtat; ſecunda interna, & materialis, quæ imaginatione, & appetitu ſenſitivo componitur; tertia interna, & ſpiritualis, quæ ex tribus potentiis ſuperioribus compingitur. Ad omnes tres claſſes prædicti favores ſupernaturales extenduntur; quorum primo ſe offerunt Viſiones infuſæ, quæ etiam exponuntur cum hac triplici facultatum claſſe; quamobrem & earum & pariter triplex diviſio facienda eſt. Dividuntur itaque in Viſiones exteriores materiales, interiores materiales, & pure intellectuales. Hæc Viſionum diviſio eſt Auguſtini *Lib.* 12. *in Geneſ. ad lit.* Iſidori *Lib.* 7 *etbimol cap.* 8. D. Thomæ 2.2.*q.*174 *art* 1 *ad* 3 & omnium Myſticorum: De primis agemus in præſenti capite.

19 Hæ Viſiones externæ, & materiales ſunt quædam repræſentationes corporeæ, & materiales, ſenſibus externis ſupernaturaliter oblatæ; infunduntur enim abſque aliqua præveniente ſenſuum diſpoſitione, & citra eorum liberam receptionem, repente, & ſupernaturaliter; quamvis impulſu ſupernaturali prætermiſſo, poteſt homo eas libere admittere, aut repudiare.

20 Fiunt hæ Viſiones (Doctore D. Thoma 2 2.*q.*173. *art.* 2.) per ſpecies materiales ſupernaturaliter infuſas potentiæ viſivæ illius objecti, quod vult Deus, ut oculis externis videat; quod ut ſupra *Tract.* 2. *cap.*2.*num.*10. *& ſeqq.* diximus, non repugnat quòd exiſtat, aut non exiſtat; ſit abſens, vel præſens; neque quòd impedimenta intermedia removeantur; potentiæ enim ſufficit quòd quoquo modo ſpeciem objecti in ſe recipiat: Unde evenire contingit, quòd ſtante anima in conclavi, & in ſecreto cubiculo orante, clare poſſit videre elevationem Sacroſanctæ Euchariſtiæ, quæ fit in aliqua Eccleſia, quamvis plura ædificia, & parietes intercalentur, quæ nullo quidem modo ſcinduntur, aut removentur (licèt ita animæ videatur) ſed per infuſas à Deo ſpecies Eccleſiæ, ſacerdotis, & Sacroſanctæ Synaxis, vere, & clare hæc omnia videt, quin neceſſe ſit, impedimenta parietum, & ædificiorum amovere; quòd quidem Deo facillimum eſt.

21 Prædictæ Viſiones fieri ſolent animabus per viam incipientium incedentibus, & fere à limine viæ perfectionis, vel parum inchoatæ; hoc eſt in illis quas vult Deus per hujuſmodi viam ſavorum dirigere; his enim ſtatim incipit eis aliquas exteriores Viſiones offerre; quamvis non repugnet aliquando concedi his qui ulterius progrediuntur, & ſunt in ſtatu proficientium; frequentius tamen incipientibus conceditur hoc genus Viſionum, ut bene notant Dionyſius Carthuſianus *Opuſ. de via incluſ cap.*15 Philippus à SS Trinitate *Theol myſt p* 2 *tract* 3.*diſc.* 4. *art.* 1. & alii Sæpe enim fiunt prædictæ Viſiones ante arreptam viam ſpiritualem: ut anima efficacius ad eam aſſequendam ſtimuletur, ut de multis legitur. Cum autem fiunt ſpiritualibus, & viam ingreſſis, fieri ſolent interdum in oratione recollectis; interdum extra orationem diſtractis, ſed repente, nulla præcedente diſpoſitione, & ad modum fulguris coruſcantis; licèt multoties per aliquod tempus Viſio conſervetur; ſed hoc raro contingit, & regulariter ſtatim evaneſcunt.

22 Aliquando anima ſtatim cognoſcit, quòd illa Viſio ſit ſupernaturalis; atque ita per novitatem natura movetur, quòd toto corpore contremiſcat; cor ejus ita palpitat, & inquietatur, quòd ſenſibilibus, & irrequietis motibus, & conatibus pectus quatit, & denique homo in ſe extraordinariam ſentit mutationem, & novitatem; & licèt Viſio ſtatim evaneſcat, ut teſtatur expertiſſima Thereſia his verbis: *Hæc viſio tanta velocitate pertranſit, quòd eam velocitati fulguris poſſimus comparare.* Effectus tamen tremoris, & turbationis multo tempore durat (*S. Thereſia Mor.* 6. *cap.* 9.)

23 Si hæc Viſio ſit à bono ſpiritu, quamvis anima ſic contremiſcat, paveat, & conturbetur, ſenſim tamen roboratur, & conquie-

quiescit, atque in se mirabile lumen, & altissimam objecti cognitionem percipit, pariterque ardorem in voluntate, servidamque promptitudinem ad bene operandum; non autem omnino pacificam, eo quòd nondum est purgata, nec ad plenitudinem receptionis bene disposita: Propterea frequenter ex repentino impulsu, & luminis exuberantia remanet semimortua, tota rigens, & absque pulsibus, quia natura vincitur, concutitur, & languescit; unde ad concertationem luminis cum debili natura, hæc quasi nitens respirare, in materiales sæpe impetus irrumpit, cor crepare videtur, anhelitus suffocari, atque in suspiria, clamores, singultus, & ejulatus resolvitur, ut testatur B. Theresia. *Ubi supra, & in Vita sua, capit. 29.*

24 Si autem hæc Visio fiat à spiritu nequam, regulariter contrarios effectus parturit; nam in ejus exordio animam occupare solent sensibilis lætitia, dulcedo, & gaudium, ut confirmat Ignatius de Loyola *De Regul. ad plenit. spirit. Regul. 3.* & interdum motus impuri, qui ex illa sensibili, & exuberante delectatione insurgunt, ut testantur Bonaventura *De process. Relig process 7 cap. 17.* & Richardus *In Cant. cap. 37.* sensim verò incipit introduci inquietudo insipida, qua inter voluptatem, & pœnam; inter gaudium, & mærorem cor tangitur, subindeque tepescit, pavet, & conturbatur. Insuper lumen, sicut in vera Visione est vivum, hilare, & suave; in hac è converso, est mortuum, triste, & insipidum: Quod confirmat Seraphica Theresia *In Vita sua, cap. 25. in medio* his verbis: *Lux quæ ex Visionibus boni spiritus resultat, est hilaris, viva, & suavis: E converso verò, in Visionibus mali spiritus lux est pallida, mortua debilis, & obscurans.*

25 Alii sunt effectus bonæ Visionis, scilicet animam suavi charitatis ardore conflagrare, miram fortitudinem, & robur infundere, per quod non solum redditur anima prompta, & diligens ad omnia contemnenda propter Deum, verumetiam omnia quæ mundi, & carnis sunt, despicit, fastidit, & horret, ut ait Dionysius Carthusianus *Ubi supra* & omnia tantummodo quæ Dei sunt, amat, quærit, & concupiscit, & adeo profunde humilis redditur, quòd potius eligeret mori, quàm Visionem suam Magistro manifestare; putat namque se esse hujusmodi favoris indignam; sed manet tota ad Deum conversa, quem timore filiali, & casto diligit, & reveretur. Contrarii sunt effectus pravi spiritus, quibus in omnibus Visionibus attendere oportet.

26 Infusio hujus Visionis nequit ullo modo, aut quavis diligentia impediri; cum enim à Deo qui est efficacissima omnium causa procedat, nulla potest ei creatura resistere; scriptum est enim: *Tu terribilis es, & quis resistet tibi? (Psal. 75. 8)* Præterquamquod nullus impulsus naturam superans potest naturalibus viribus impediri: Prætermissa tamen infusione, & impulsus efficacia, poterit anima ad libitum operari, quamvis in hisce materialibus Visionibus, crassius, & fortius sensus immergatur, & impinguetur; quamobrem difficulter (casu quo oporteat) potest eas omnino repudiare.

C A P U T IV.

De practica instructione circa prædictas Visiones exteriores, & materiales.

27 Quia hujusmodi Visiones Deus tribuit animabus, non ut conserventur, sed ut ab eis excitatione assumpta, animæ ad spiritualem, & à sensibus ad absolutam Dei notitiam, in fide pura, & fervida charitate assurgere possint; subindeque ut earum corticem, & materiale indumentum renuntient, ut late, & sublimiter docet exaticus B. Joannes à Cruce *Lib. 2. ascen. mont. Carmel. cap. 17. & deinceps* Propterea in prædictis Visionibus, licèt à bono spiritu procedant, debet curare Magister, quòd accepta earum medulla, sive excitatione, accidentia, & corticem materialem quamprimum possint, repudient, atque ad simplicem Dei intuitum, per fidem, & charitatem assurgere conentur.

28 Hæc doctrina est Divi Dionysii *De myst Theol. c. 1. juxta vers. Dionys. Carthus.* „ sic dicentis: Tu autem Timothee circa mysticas Visiones forti concertatio-
„ ne

„ ne sensus derelinque, & intellectuales „ operatione, & omnia sensibilia, & in „ telligibilia, & omnia existentia, & non „ existentia, eo enim tui ipsius, & om- „ nium, irretentibili, & absoluto ex- „ cessu, ad supersubstantialis caliginis „ radium, cuncta auferens, & ab omni- „ bus absolutus, munde, & pure sursum „ age. Cui addit Dionysius RiKelius: „ *In comm. myst. Theol. art.* 2. Quid clarius? „ Quid fortius? Quid sententiosius dice- „ re potuit Sanctus ille? Certe qui phan- „ tasmata speculatur, non deserit, nec „ transcendit pure, & penitus omnem „ sensum, & sensibilia universa; nec ta- „ men in ista mystica contemplatione suf- „ ficit ita relinquere, nisi intelligibilia „ omnia deserantur, & cuncta creata, „ operationesque propriæ, & ipse qui con- „ templatur, nec se ipsum intueatur. Et multis in locis eandem doctrinam docet Dionysius *Epist.* 9. ut supra in præliminaribus animadversionibus dictum est.

29 S Augustinus *Lib. Medit. cap* 27. eandem doctrinam docet dicens: *Transeat anima, & transcendat omne quod creatum est; currat, & ascendat velociter, & pertranseat, & in eum qui creavit omnia, quantum potest, oculos fidei dirigat.* Et super illa verba Christi per Joannem 16. 7 *Expedit vobis ut ego vadam. Si autem non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Ait Augustinus *Tract.* 94. *in Joan.* 16. „ Noverat autem ille quid eis potius expedi- „ ret, quia visus interior, ipse est uti- „ que melior quo eos consolaturus fue- „ rat Spiritus Sanctus, non cernentium „ cordibus ingesturus corpus humanum, „ sed se ipsum credentium pectoribus infu- „ surus.

30 S. Bernardus *Serm.* 28 *in Cant.* ait; „ Noli me tangere; hoc est, disuesce huic „ seducibili sensui inniti, verbo fidei „ assuesce, fides nescia falli, fides invisi- „ bilia comprehendens, sensus penuriam „ non sentit. Denique transgreditur fi- „ nes rationis, humanæ naturæ usum, ex- „ perientiæ terminos; quid interrogas o- „ culum, ad quem non sufficit? Et manus „ quid explorare conatur, quod supra ip- „ sam est? Minus est quid illa, vel ille „ renuntiet; sane fides pronuntiet de me, „ quæ majestati nihil minuat: Disce id „ facere certius, id tutius sequi quod illa „ suaserit: Noli me tangere, nondum „ enim ascendi ad Patrem meum; quasi „ verò cum jam ascenderit, tunc tangi „ ab ea velit, aut possit: & utique po- „ terit; sed affectus, non manu; voto, „ non oculo; fide, non sensibus: Hæc Bernardus.

31 S. Idatius Syrus *Lib. de mund. contempt. in Bibliot. tom.* 5. *fol.* 222. tenet, hanc doctrinam esse ex usu Sanctorum Patrum deductam, his verbis: „ Conservatio „ spiritualis, & actio sine sensibus, hæc „ est quam descripserunt Patres, quam „ cum mentes Sanctorum suscipiunt, sub- „ stantialis effectus, & pinguendo corpo- „ ralis tolluntur, & deinde aspectus fit „ intelligibilis: Et Proculus in Epistola ad Armenios (*In Bibliot. tom.* 5. *in princ.*) affirmat, esse doctrinam Divi Pauli; cui adstipulantur omnes Patres, qui in prologomenis animadversionibus hujus operis citantur, & hoc est quod passim dicunt Mystici Doctores; scilicet, ut in omnibus communicationibus infusis, quæ aliquam materialitatem habeant, quòd anima corticem relinquat, & medullam tantum assumat, & veluti illa Aquila Prophetæ dum ad Libanum contemplationis evolet, non ramos, non corticem, sed medullam Cedri tollat. Per corticem intelligitur materiale Visionis, quod sensibus percipitur; per medullam verò, donum excitationis, quod omnes supernaturales favores magis, aut minus afferunt, ut supra *Cap.* 1, *nu.* 9. dictum est.

32 Quodsi anima propter efficaciam infusionis, & sensuum impinguationem non possit penitus Visionis corticem relinquere, sed semper illius imago, aut species materialis maneat tenaciter in imaginatione, curet inquantum ei possibile sit, obscuritati fidei magis quàm Visioni inhærere; suaviter tamen, ne per nimiam capitis applicationem, cerebrum debilitetur, & lædatur, quia læso capite habet dispositionem ut Dœmon mille fallacias imaginationi ingerat. Quodsi neque hoc consequi valuerit, patienter sustineat, & ibi propter Dei amorem fixa permaneat; tum namque ille disponat quòd nullum ei damnum Visio illa inferre possit.

33 Si Magister cognoscat per signa, & effe-

effectus supradictos, quòd visio à malo spiritu processit, animæ injungat, quòd quanto citius possit eam à se propellere nitatur, atque signo se Crucis muniat: Propterea in loco orationis semper debet esse Crux, & aqua benedicta, ut adversus diabolicas fallacias possit defendi. Insuper curet; quòd suaviter consurgat in Deum, eumque roget quòd tam horribilem monstrum compescat; locum autem orationis nunquam relinquat, sed ut validus Christi miles arenam non resiliat, nec locum fugiat certaminis, atque ibi firmus consistendo, non materialibus conatibus, sed intellectualibus operationibus in Deum directis debet concertare, & præcipue actibus fidei vivæ, quia scriptum est: *Adversarius vester Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide* (1 *Petri* 5. 23.) Nullo modo Diabolum formidet, sed quasi invalidam muscam reputet, & abigat: Deum enim habet defensorem, & Angelum (longe potentiorem Diabolo) sibi adjutorem; unde nulla potest esse justa causa timoris.

34 Nunquam permittat Magister quòd anima Dœmonem lacesset, nec ad certamen vocet, neque jactantes in eum minas infligat, ut aliquando vidimus in quodam validæ naturæ homine Dœmonem provocante, qui ei in aspectu horribilis Draconis apparuit, & homo iste adeo ab eo fuit percussus, & laceratus, quod miraculose ab ejus manibus potuit vivus evadere: Præterquamquod jactantia hæc non est humilitatis filia, sed vanitatis; ac perinde per eam anima recedit à Deo adjutore suo, & Dœmoni suo inimico appropinquat; imo humili fortitudine, & de se nihil confidens, de Deo autem omnia sperans, potens in eo qui eam confortat, Dœmonem despiciat, & citius ab illo liberabitur.

35 Quædam ex prædictis animabus dum Sacrosancto Missæ Sacrificio intersunt, ad Eucharistiæ elevationem Puerum in Hostia formosissimum intuentur, & interdum eam vident refulgentem, atque in carnem versam. Doceat eas Director hujusmodi veritatem, Deumque in spiritu, & veritate adorare, ab eis errorem eripiendo, quo putant Christum Dominum eo modo quo ab illis videtur in Sacramento assistere, & eos doceat quod tenere, & credere debent. Quodsi forte ad hæc capienda intellectu sufficienti careant, moneat eos quòd fidei credentes, ibi adorent vivum corpus Dominicum vere, & realiter sub illis speciebus sacramentaliter contentum; nec putent esse eo modo quo illi conspiciunt, in quo possunt multæ illusiones commisceri.

36 Caveat, ut bene suadet Cancellarius Pariensis (*Gerson. lib. de probat. spirit. § cave ergo*) quòd vel verbis, vel signis ostendat ejusmodi Visiones aliquo in pretio habere, quia ad talem æstimationem nulla suppetit ratio, cum interdum sint effectus imaginationis vivæ, & tenacis; interdum fabulationes Dœmonis, & quæ à Deo sunt, si suo tempore non abdicentur, animas avertunt ab obscuritate fidei, sensum impinguant, & animam ad exteriora extrahunt, quarum via periculis consita est: Propterea eas moneat, quòd à Deo postulent, ut per tutiorem viam conducere illas dignetur.

37 Cæterum eis indicet, quòd teneritatis, & exiguæ perfectionis causa eis loquitur Deus per sensus, & imagines exteriores, qui non sunt capaces, ut eis loquatur per purum spiritum quasi spiritualibus, sed per sensum quasi carnalibus; unde lac illis ministrat, non escam; nondum enim possunt simplicem spiritus cibum sumere, & prædictis injungat, quòd assuescant Deum quærere absque figuris materialibus, & circumscriptione loci, sed in ejus immensitate, ut fides eum repræsentat; quia prædictæ animæ incipiunt ingredi vias materiales, & nimium difficiles, & periculosas, ubi sensus Visionibus impinguatur; quamobrem necessarium est à sensu omnino fugere, ne ita ei glutinentur, quòd nunquam ad purum spiritum valeant pertransire.

38 Denique eas hortetur, ut penitus sint ei apertæ, & nihil ex his quæ eis contingant, celent, aut occultent; sed sincere, & integre manifestent ei, & ante prædictam manifestationem, & absque suo consilio, nihil operari audeant, & aliis non manifestent, sed occultent ejusmodi Visiones, aut communicationes, & in omnibus, & per omnia humiliter, & caute procedant.

CA-

C A P U T V.

De viſionibus imaginariis infuſis.

39 Viſiones imaginariæ quæ etiam fiunt per ſpecies materiales, quia imaginativa potentia, ubi recipiuntur, licèt interna ſit, eſt materialis, & incapax ſpecierum pure ſpiritualium; ſunt altioris gradus quàm præteritæ, & in medio externarum, & ſpiritualium conſtitutæ, quæ quidem fiunt à Deo infundente immediate ſpecies earum in imaginatione, abſque prævia ſenſuum cognitione, vel opere; ſive hoc fiat per ſpecies objectorum quæ vidit, vel per novas objecti ſpecies à Deo formatas, ut ait Fr. Philippus à SS. Trinitate *Theol. myſt. tract. 3. diſp 4 art. 2.* per utraſque quippe fieri poteſt; ſed neceſſarium eſt quòd non modo naturali, ſed infuſo recipiantur; nec notitiam objecti à ſe anima comparet, ſed à Deo accipiat.

40 Hæ Viſiones imaginariæ (Diva Thereſia teſte *In Vita ſua, cap. 28.*) tranſeunt cito, & adinſtar fulguris coruſcantis; imago tamen earum remanet tenaciter impreſſa in potentia; interdum per aliquod tempus, interdum per totam patientis vitam, & interdum (experientia teſte) per exiguum temporis ſpatium, & penitus obliviſcuntur; nam hæc imaginis impreſſio tantum durat, quantum ad optatum Dei effectum deſervit (quidquid ſentiant alii) quia hoc paſſim conſpicitur, & docet experientia, & ſuadet ratio; quia nihil in prædictis animabus diſponit divina providentia, quin ad earum profectum reducatur: Ergo tantum durabit effectus, & memoria Viſionis, quantum ad profectum animæ neceſſarium ſit, ut tenet Rusbrochius *Libr. 2. de ritu ſpirit. nupt. cap 25.*

41 Lumen veræ Viſionis tantum excedit potentiæ capacitatem, quod ad ejus receptionem anima immutatur, & contremiſcit, propter novitatem, & efficaciam luminis, & modum intimæ, velociſſimæ, & vivæ repræſentationis, quam manifeſte cognoſcit, vires naturæ ſuperare; propterea nullatenus poteſt eam diu intueri, & irreverberatis oculis conſpicere; alioquin non vera Viſio infuſa erit, ſed profunda, & propria imaginatio, ut his verbis teſtatur S. Thereſia *Manſ 6. cap 9.* „ Oportet „ notare, quòd cum anima poteſt per multum temporis hunc Dominum intueri, „ non credo quòd vera Viſio ſit, ſed aliqua vehemens conſideratio per imaginationem formata, vel figura, & imago mortua in comparatione Viſionis veræ; contingit enim non paucis, qui tam debilis imaginationis, vel efficacis intellectus ſunt, quòd ita imaginatione immerguntur, ut omnia quæ cogitant, ſe ſuo judicio clare videre affirmant; quod ſi veram Viſionem vidiſſent abſque dubio eorum errorem cognoſcerent, & quod ipſi ſua imaginatione ea quæ vident effingunt; unde nullum effectum cauſant eorum de quibus dicemus, quinimo manent frigidiores ac ſi imaginem ex ligno conſpexiſſet: Quamobrem ejuſmodi Viſiones nihili æſtimandæ ſunt, quæ veluti res ſomniatæ ſtatim e memoria excidunt. In vera autem Viſione non ita contingit, ſed procul ſtante anima à recipiendæ Viſionis cogitatione, celeriter, & collective ei repræſentatur, omneſque animæ ſenſus, & potentias, quodam pavore ac tumultu commovet, ut illico eas in illam fœlicem pacem conſtituat. Hactenus B Thereſia.

42 Hæ imaginariæ Viſiones regulariter eveniunt, vel incipientibus, vel proficientibus nondum bene purgatis, ut communiter tenent Myſtæ, & probat Fr Thomas à Jeſu *Orat. divin. lib. 3 cap. 5.* & late, & luculenter Spert. Carthuſianus *Select. myſt. part 4. cap 5. per tot* quarum effectus ſimiles ſunt præteritis Viſionibus externis, licèt efficaciores, & reſpective altiores, quia ut docet D. Thomas 1. *p q* 12. *art.* 4. *Cujuslibet cognitionis cognitio eſt ſecundum modum ſuæ naturæ, qui pariter effectus reſpondent.* Cum autem nobiliores ſint ſenſus interni quàm externi, utpote magis animæ propinqui, ideo effectus ſunt majoris efficaciæ, & excellentiæ.

43 Animadvertendum tamen eſt, quòd in his Viſionibus majus quàm in præteritis adeſt deceptionis, & illuſionis periculum; non ſolum quia imaginatio eſt Dæmonis officina, ubi ſuas fabulationes componit, ſed

sed quia facilius, & vehementius objecta offeruntur imaginationi, quàm sensui externo, qui hic semper concipit objectum immutabile, & unum: illa verò in uno objecto diversa, & rara per complicationem specierum sibi portenta effingit, quæ nullo modo per sensus fieri posset; quamobrem majoribus deliramentis obnoxia est, quàm sensus externus.

44 Istæ Visiones sive falsæ sint ex parte Dœmonis, sive veræ, & ex Deo, debent similiter ac præteritæ renunciari, & intellectus ab illis expediendus est, & ad ignorationis, & discretionis divinæ essentiæ caliginem aspirare, & ratio est, quia scopus animæ est, se Deo per cognitionem, & amorem copulare; quamobrem ut supra *Tract.* 1 c 1. diximus, in quantum animæ possibile sit, debet se Deo proportionabiliter assimilari. Cum autem Deus expers sit modi, & sub aliqua limitatione & imaginaria intelligentia non cadat, quia omnino purus, simplex, & universalis est, necessarius est quòd anima pura sit, & simplex; non limite circunscripta, non imagine modificata, nec vincta speciali intelligentia. Cum autem per has Visiones semper Deus apprehenditur quasi modificatus, circumscriptus, & corporeus, necessario absolvenda est eis anima, ut ad puram Dei unionem conscendere queat. Videatur obsecro P. D. Hieronymus Spert Carthusianus.

45 Alia quidem ratio est, ut prædictæ Visiones sive imaginariæ sint, sive externæ, assumpta tantum earum excitatione, penitus renuncientur, quæ valde subtilis est, & plura absurda vitare poterit, quæ passim incurrunt Directores, adhuc in favoribus materialibus boni spiritus; quia sciendum est, quòd Visiones externæ, vel imaginariæ quæ à Deo sunt, in ictu oculi pertranseunt; quarum imago (ut diximus *Supra c. 3. n. 22 & cap 5. num. 40.*) remanet penes imaginationem, quam si anima statim non rejicit, Diabolus qui ejus calcaneo semper insidiatur, curat illico suas ibi fabulationes ingerere, & quod à Deo initium habuit, ille pervertere intendit propter animæ proprietatem, quæ in hujusmodi Visionis conservatione introducit, quæ omnia pròculdubio evitaret, si continuo Visionis corticem abdicaret.

46 Ex hac Dœmonis subtili fallacia, tam anima, quàm ejus Director decipiuntur (& hoc valde notetur) quia nimirum illa prima Visionis infusio licèt instantanea sit, gignit in anima optimos effectus, qui quidem non penitus extinguntur per ea quæ Dœmon cavillose immiscuit. Quamobrem tam anima, quàm Director possunt affirmare, totam illam communicationem bonos effectus habuisse; quandoquidem verum sit, bonos effectus non ex illa Dœmonis immixta fallacia, sed ex illa instantanea, & divina infusione provenisse. Perinde poterunt totam illam Visionem, & omnia in ea contenta à bono spiritu orta putare, credere affirmare, & exequi, subindeque multum errare, & plures fallacias incurrere, quas Dœmon addidit, & super illam instantaneam infusionem ingessit, quas quidem difficillimum est discernere, & à veritate primæ infusionis separare; à quibus omnibus liberabitur anima, si assumpta tantum excitatione, corticem Visionis renunciet, & in purum sui spiritus fundum convertatur.

47 Hinc etiam colligi poterit, in qua æstimatione habendæ sunt hujuscemodi Visiones, & quàm præcaute in eis procedendum sit, quin in eis quantumvis bonis pedem figat Director, nec quidquam ex ibi contentis quasi verum affirmare audeat, vel quasi bonum, & proficuum executioni mandare, cum adhuc in infusionibus boni spiritus Dœmon suas fallacias immiscere procuret, & vere assequentur, si anima non statim visionem renunciet, & proprietatem quam ejus conservatio conferre solet, penitus abscindat, & hæc est causa qua plures Revelationes, & Visiones quæ regularirer bonos habent effectus, non adimplentur, & multoties in scandalum, & irrisionem Populi convertuntur (*S. Bonavent. de prof. Relig. lib. 2. cap. 72. & 76.*)

R CA-

CAPUT VI.

De practica instructione Directoris circa hujusmodi imaginarias Visiones.

48 QUia hæ Visiones imaginariæ periculis plenæ sunt, & valde obnoxiæ illusionibus, debet Director solicite se gerere, & præsertim cum his qui sunt imaginationis vivæ, & tenacis; hi namque facile credunt videre ea quæ vehementer imaginantur, atque se habere supernaturales Visiones credunt, & affirmant, & si Magister inexpertus sit, vel hujusmodi rebus affectus, sibi, & animæ (ut docet Fr. Philippus à SS. Trinitate *Ubi supra*) magna pericula conferre poterit; quibus potissimum obnoxiæ sunt fœminæ, quia sunt valde imaginativæ, curiosæ, & acuminosæ, ideoque omnia quæ vehementer concipiunt; se videre supernaturaliter putant, ut earum Directoribus satis compertum est: quia fere earum nulla ab hac ægritudine immunis est: Quod si facile eis credat Magister, in maximos errores, & ridiculas falsitates incurret.

49 Quamobrem eas arguat, humilier, & severissime tractet; quia si veræ Visiones sint, satis se explicant, nullusque in eis remanet ambigendi locus; quia nimirum dum natura à supernaturali agente patitur, subito mutatur, & in extraordinarios effectus prosilit, quos nullus poterit ignorare, & tunc juxta præadductam doctrinam doceat eas corticem Visionis relinquere, & spiritum donumque excitationis assumere; timere quippe semper debet Magister, ne aliqua adsit in eis Dœmonis fallacia.

50 In his imaginariis impressionibus callidiora Diabolus occulit arma; potest quidem per easdem animam exterius occupare, & materialibus deliciis, & suavitatibus à sui fundo ad exteriora allicere, ubi ille habet dominium, & commercium. Præterquamquod imaginatio solet esse Cathedra pestilentiæ, ubi ipse sedet, & perversitatis dogmata docet; quia cum imaginatio sit immediatus animæ transitus, quem ille transgredi non potest, ibi omnia sua nequissima tela reponit, offerendo Visiones, & extraordinarias delectationes, quibus anima suaviter illecta, in sui imperii curiam exiliat, ut faciliter eam inquietare valeat; unde ait Joannes Taulerus (*Instit. cit. ab Spert. Carthus. p. 5. cap. 16 num. 6. in fine*) *Diabolica communicatio phantasmatum nubibus intellectum vestit, & ad specialia exteriora, & distincta ducit.*

51 Ex parte etiam animæ datur ei per has Visiones aliqua quasi potestas, ut eas facilius seducat; cum enim anima rebus immoderate utitur, unde aliqua vitia contrahat, tribuit Diabolo aliquam quasi potestatem, vel majorem fortitudinem ad eam decipiendam, sicut & illa per hujusmodi imperfectionem, & vitia, redditur debilis, & ad ruinam facilis (*S. Bonav. in stymul. amor. cap. 6. p. 3.*) Hæ igitur Visiones cum operentur in potentia materiali, & per speciem materialem nimis adhærentem potentiæ, cujus motus quasi à supernaturali impulsu productus, eam vehementer excitat, & immutat, & materialis potentia sic mota, difficile potest moderate procedere; maxime quia anima adhuc est imperfecta, parum purgata, & imperfectis habitibus affecta (*Richard. à Sanct. Vict. in cent. cap. 33.*) ideo contrahit plurima vitia spiritualia, & adhæsiones, quas longe narrat B. Joannes à Cruce *Lib. 3 ascen. mont Carmel à cap 7. & deinceps*) & à quibus anima per passivas purgationes vacuanda est.

52 Formæ istæ sensibiles nimis adhærent potentiæ, unde difficile renuntiari possunt; sed nihilominus debet Magister curare, quòd ab imaginatione fortiter, & suaviter propulsentur, & anima ad exercitium pure spirituale assurgere nitatur (quidquid immerito dicant alii.) Habemus enim præter experientiam Patronos, non solum Divinum Dionysium, & extaticum Joannem à Cruce, sed & ipsum Redemptorem nostrum Dominum Jesum Christum; qui cum Thomæ Apostolo in conclavi per Visionem corpoream se exhibuisset palpandum, illum reprehendit, quia voluit sibi per sensum satisfieri; collaudans eos, qui sensibili satisfactione abdicata, fidei tantum cognitione contenti sunt: *Beati* (inquit) *qui non viderunt, & crediderunt* (*Joan. 20. 19.*)

Vi-

Videantur hic Augustinus, Gregorius, & D. Thomas.

53 Præterea profectus animæ, non in Visionibus, & materialibus formis, vel favoribus extraordinariis consistit, sed in altissima Dei cognitione, quæ est per fidem, & in ferventissimo amore charitatis; quia ut sæpius diximus, proportionari debent cum objecto ad quod diriguntur: Unde ut docet Angelicus (*D Thom. 1 p q.12. art. 3.* „ Impossibile est Deum videri sensu visus, vel quocumque alio sensu: „ aut potentia sensitivæ partis; omnis „ enim potentia hujusmodi est actus corporalis organi; actus autem proportionatur ei cui est actus; unde nulla hujusmodi potentia potest se extendere ultra „ corporalia: Deus autem incorporeus „ est; unde nec sensu, nec imaginatione „ videri potest. Si ergo sensibilis, aut imaginaria imago plus avertit animam à proportionali similitudine objecti cum potentia, in qua consistit unio intellectualis, qua ratione possunt hæ Visiones imaginariæ (si in earum imaginum conservatione persistat anima) esse adminiculum, & non potius obstaculum?

54 Charitas insuper quæ per fidem operatur, ut perfecta sit, & non contracta, debet, non bonum in particulari, sed bonum in universali amplecti, & prosequi; nulla enim res sufficienter moveri potest, nisi virtus moventis excedat, vel Saltem adæquet virtutem passivam mobilis, ut expresse docet D. Thomas: Sed juxta eundem Angelicum *1. p q.105. art.4* „ Virtus passiva voluntatis se extendit ad bonum in „ universali; est enim objectum ejus bonum universale, sicut & intellectus ob„ jectum est universale. Cum autem (ut „ docet idem Sanctus Doctor *1.p.q 12. art.* „ *4.*) potentiæ, seu virtuti quæ est actus „ corporei organi connaturale sit cogno„ scere res secundum quod sunt in materia „ individuali; unde sensus non cognoscit „ nisi singularia, & eorum similitudines imaginatio. Sub quibus Deus cadere non potest; sequitur, quòd per prædictas formas imaginarias non possit efficaciter moveri voluntas, sicut movetur cum operatur per fidem, quæ est universalissima, & in qua luminis plenitudo accipitur ad movendam efficaciter voluntatem: Ergo multo melius est prædictas formas renuntiare, & ad cognitionem universalem fidei assurgere, quàm hujusmodi formas materiales (licèt à bono spiritu sint) conservare. Videatur Joannes à Cruce *Lib. 2. ascen. mont. Carmel. c. 16. & 17.*

55 Ratio eorum qui ejusmodi formarum conservationem defendunt, ea potissimum est, quòd multum juvant ad spiritualem, & mysticam unionem; quod non negamus, si veræ sint, eisque (ut par est) bene utatur anima: Sed debemus bene investigare, in quo consistat hoc adjutorium; nam profectus animæ in eo consistit, quòd magis, magisque ad perfectam Dei cognitionem, & amorem excitetur, quia tota legis perfectio est dilectio, & charitas est vinculum perfectionis. Hanc cognitionem, & dilectionem Dei operari debet anima per potentias intellectus, & voluntatis; non autem per potentias imaginationis, & appetitus: Spirituales autem potentiæ non excitantur per formas istas materiales, sed per spiritum, & donum excitationis, quòd in eis involvitur, quod donum in ipso infusionis instanti communicatur, ut cum B. Joanne à Cruce testatur Spert Carthusianus *Select. mystic p 4 c 5 n 7.* dicens „ Si aliqua de causa „ admittendæ erant, & in pretio haben„ dæ, ea erat gratia boni effectus, quem „ illæ, quæ veræ sunt, in anima produ„ cunt; sed ad id necessario admittendæ „ non sunt, quinimo præstantioris effe„ ctus gratia semper negandæ; quia sta„ tim ac internis sensibus, & imaginatio„ ni offeruntur, producunt in anima, in„ dependenter ab ea, intelligentiam, a„ morem, vel suavitatem pro divino be„ neplacito, & ita recipit anima excitan„ tem effectum passive, quin valeat il„ lum, vel pro minimo impedire; unde „ quo majori cum studio, & affectu se nu„ dat anima speciebus, imaginibus, & „ similitudinibus, quibus vestitæ veniunt „ communicationes supernaturales, quas „ diximus, intelligentiæ, & amoris, & „ suavitatis; non solum non se illis pri„ vat, verumetiam eisdem majori cum „ puritate, & simplicitate, ubertate, „ claritate, & libertate spiritus, reci„ piendis eo amplius se disponit. Hæc ille.

56 Si ergo denum excitationes est fructus imaginativæ Visionis, in quo consistit spirituale animæ auxilium, & hoc plenius recipitur (ut per se patet) quando deductis velamentis, & cortice formarum materialium ablato gustatur, & participatur medulla spiritus; melius erit ejusmodi formas, & imagines abdicare, quàm eas (ne sua materialitate plenitudinem doni impediant) conservare. Debet igitur Magister docere, quod corticem Visionum rejiciant, & medullam, & excitationem quæ ad divinam cognitionem, & amorem inducit, conservent.

57 Præter adducta inconvenientia conservandæ Visionis, extat periculum subversionis, & diabolicæ illusionis, quibus Visio imaginaria obnoxia est; à quibus omnibus liberabitur anima, ejusmodi formas negando; quæ (ut docet B. Joannes à Cruce *Ascen. mont. Carmeli, lib. 2. cap. 17*) animæ conceduntur ob ejus incapacitatem ad majora, & sublimiora percipienda; *Si enim anima* (verba sunt hujus extatici Doctoris) *fuisset capax rerum pure spiritualium, raro, aut nunquam Deus per materiales sensus ei loqueretur.*

58 Quamobrem non tanti ponderis, & æstimationis sunt, ut aliqui in suis commentis exaggerant: Audiat obsecro Magister Bonaventuram *De profect. Relig. libr. 2. capit. 72.* sic dicentem: *Aliqui putant esse aliquid momenti, quod in se nullius est momenti.* Causas afferunt multi, & præcipue Joannes Gerson: *De ver. & fals. Vision.* Conceduntur autem à Deo in sensu ob varias causas; una est, quia anima adhuc est parvula, & incapax puri spiritus, unde si aliunde Deus loquatur, non ab ea intelligeretur: Secunda quia forsan cognoscit, animam esse ad sensibilem delectationem in spiritualibus proclivem, quæ melius cum sensibilibus quam cum insensibilibus addiscet: Tertia, quia percipit Deus abesse ab anima palatum ad manducandum panem doloris, & perfectorum escam, atque habere appetitum ita suo commodo affectum, quòd aliqua mercede ad ulterius progrediendum indigeat, sine qua spiritus ejus languescet, & deficiet: Quæ causæ indicant communicationes hujusmodi fieri animabus nondum perfectis; quamobrem male agit Director, si eas multi faciat, aut animam propter eas reputet perfectam; quinimo quasi imperfectam, & multis vitiis, atque fallaciis obnoxiam, eam in magna humilitate, mortificatione, dejectione, & obedientia observare satagat, & prædictas Visiones in profundo silentii conservet; plerumque enim sunt imaginationes.

59 Nec huic obstare poterit, quòd B. Theresia, Catharina Senensis, Brigitta, & aliæ Sanctissimæ, & perfectissimæ fœminæ in statu perfecto Visiones imaginarias habuerint; quia Deus suorum favorum Dominus est: Et licèt ex sua natura Visio imaginaria sit communicatio spiritus imperfecti, secundum verò divinæ dispositionis proposit um, & in illo tunc poterit esse status perfecti. Propterea prædictis Sanctis datæ sunt Visiones imaginariæ; quia pro tunc erant illis necessariæ; quod quidem non semper, sed raro contingebat illis; nam licèt Visiones fuissent rerum corporalium, regulariter erant intellectuales, quia ex statu favores supernaturales statui animarum respondere solent: Quod confirmat. B. Joannes à Cruce *Ubi supra* dicens. „ Hoc modo perducit animam „ Deus de gradu in gradum usque ad „ interiorem; non quia necesse sit hujusmodi ordinem prioris, & posterioris servare; plerumque enim efficit „ unum absque alio, sicut animæ expedire cognoscit, vel in eam vult favores conferre; regulariter ordinate „ procedit, & via ejus ordinaria est sicut diximus: hoc est statui animæ proportionata. In hujusmodi renunciatione formarum non ingreditur Imago Sanctissimæ Humanitatis Jesu Christi Domini nostri, de qua infra late dicemus.

CA-

CAPUT VII.

De visionibus intellectualibus infusis.

60 HÆ Visiones intellectuales longe perfectiores sunt præteriti; non solum quia pertinent ad superiorem, & spiritualem potentiam, scilicet intellectum, sed quoad substantiam, & quoad modum, ut statim dicemus. Hæc Visio intellectualis est: QUÆDAM ALTISSIMA NOTITIA PASSIVE INTELLECTUI DONATA, VEL PER SPECIES ACQUISITAS, VEL NOVE A DEO PRODUCTAS; SED A SOLO DEO IMMEDIATE ABSQUE SENSUUM, ET IMAGINATIONIS MEDIO APPLICATAS INTELLECTUI. Ita docent communiter Mystici, & docet D. Thomas 1. *p q.* 105 *art.* 3. & 4 & *q.* 106. *art.* 2 & *q.* 111. *art.* 2. & 1 2 q 9 *art.* 6.

61 Causa efficiens hujus Visionis pure intellectualis est solus Deus absque Angeli ministerio, quia ut bene notat Jacobus Alvarez *tom.* 3. *lib.* 5. *p* 3 *cap* 12. ex doctrina Angelici Præceptoris: „ Solus Deus „ potest memoriam, & intellectum ita „ in bono figere, quòd strepitu phantas„ matum non avocetur: Solus ille po„ test lumen hoc supernaturale infunde„ re, vel lumen sapientiæ quod antea „ infuderat, perficere, & confortare: „ Solus ille potest sine concursu sensuum „ inclinare voluntatem ad bonum, & ha„ bitus charitatis & virtutum suaviter eam „ ducentes, immittere Idem docet Bona„ ventura *De proces Relig proces.* 3. & late probat Augustinus *Lib.* 26. *de Civit. Dei*, & *libr.* 9. *confes. capit* 10.

62 Causa instrumentalis hujus Visionis, juxta sensum Jacobi Alvarez *Ubi supra*. „ Nequit esse lumen fidei, hoc enim est „ obscurum, & ad solam cognitionem or„ dinariam rerum supernaturalium ex „ auctoritate dicentis; imo nec aliquan„ do sufficiens erit donum sapientiæ, „ quòd licèt cum aliis donis valde fi„ dem perficiat, non tamen ad tam subli„ mia, & cum tanta claritate, & modo „ tam inconsueto cognoscenda se exten„ dit. Datur ergo ad hoc quædam lux, „ quæ aut est, aut reducitur ad lumen „ propheticum; quæ mens sublevata, ita „ per esse res divinas inspicit, ut videa„ tur statum hujus mortalitatis excedere. Juxta sententiam aliorum fit per aliquod lumen spirituale, quo anima clare percipit, quod Deus ei manifestare desiderat, ut probat Fr. Philippus à SS. Trinitate *Theol. myst. p* 2. *tract.* 3 *disp.* 4 *art* 3. Denique juxta sententiam Dionysii Carthusiani, & aliorum, quos supra *Tract.* 1. *cap.* 3. *num.* 19. retulimus, non implicat ut fiat per lumen fidei, & donorum sapientiæ, & intellectus, & ratio est evidens; quia ut fatentur communiter Mystici, hæc Visio intellectualis si circa divinam essentiam fiat, naturam Visionis intellectualis excedit, & ad altiorem modum Revelationis pertransit, tanto sublimior, quanto objectum divinum contemplatum est altius. Hæc autem quæ nomine intellectualis Visionis insignitur, est circa creaturas, & objecta creata, & longe inferior Visionis divinæ essentiæ, ut tenet B. Joannes à Cruce *Lib.* 2 *ascen. mont Carmel. c* 24. Alvarez *Ubi supra* Spert Carthusianus *par.* 4. *cap.* 7. *nu.* 2. Fr. Philippus à SS. Trinitate *Ubi supra* & omnes communiter: Sed sic est quod ad altissimam contemplationem, & revelationem divinæ essentiæ sufficit lumen fidei, & donorum sapientiæ, & intellectus, ut communiter docent omnes cum Divino Dionysio, qui hanc contemplationem divinæ essentię vocat divinam sapientiam: Ergo longe melius poterit per hujusmodi lumina fieri Visio intellectualis, quæ multo inferior est.

63 Species infusæ per quas fit hæc Visio intellectualis, interdum sunt ex eis quæ repositæ erant in spirituali memoria; quas tamen Deus ita disponit (ut tenet Alvarez *Ubi supra*) ut admiranda repræsentent: Interdum sunt à Deo de novo inditæ, & infusæ, ut altitudo rei revelatæ requirit. Primas coaptat Fr. Philippus à SS. Trinitate Visioni intellectuali infimi gradus; secundas verò Visioni altissimi gradus, & hæc sententia vera est, & experientiæ consona, & interdum ab ipsa anima percipitur, nam species conceptas elevari, & clarificari sentit, quòd absque nova specierum infusione clare penetret altissima, & abscondita myste-

ria;

ria; hoc verò contingit in Visione infima; in sublimi verò species sunt superioris ordinis.

64 Modus Visionis intellectualis multiplex esse solet; habet enim plures gradus, quos longum foret enumerare. B. Joannes à Cruce sic modum explicat: „ Communicat Deus animæ quandam „ lucem spiritualem, & supernaturalem, „ in qua faciliter, & clarissime videt ea „ quæ vult Deus, sive cœlestia sint, sive „ terrestria, quin hoc impediat quod sint „ absentia, vel præsentia. Hoc evenit „ veluti si porta clarissima ad intuendum „ referaretur repente, plerumque adin„ star fulguris cum in obscurissima nocte „ subito omnia clarificat, quo omnia cla„ rescunt, & manifesta efficiuntur; eo„ que transgresso illico omnia obscuran„ tur, quamvis eorum formæ, & figuræ „ in imaginatione persistant: Hoc utique „ in anima proprius, & perfectius con„ tingit. Hæc Mysticus Doctor (*Lib. 2. ascen. mont. Carm. c. 24*).

65 Idem fatetur B. Theresia *Mans. 6. c. 8.* hisce verbis: „ Accidit animæ cum Deus „ ita disponit quòd anima orans, atque in „ suis sensibus consistens, subito suspen„ ditur, ibique à Domino magnis myste„ riis instruitur, quæ in ipsa divina essen„ tia videre putat: Sed quamvis dico „ quòd videt anima, vere nihil videt, „ quia non est Visio imaginaria, sed val„ de intellectualis, ubi clare percipit quo„ modo in Deo omnia contineantur, & „ videantur, & licèt transeat in momen„ to, manet tamen fixa, & sculpta in intellectu. Hæc Seraphica Mater.

66 Ad hunc duplicem modum videndi intellectualiter possunt cæteri reduci, & sciendum est; quòd licèt effectus & memoria Visionis plus, vel minus durent juxta divinum beneplacitum, & animæ necessitatem, ut supra *cap. 5. n. 40.* dictum est, Visio tamen in momento transit; nec in hoc differt à Visione imaginaria, ut male B. Theresiæ adscribitur, quia Mater Sancta non dicit, quòd Visio actualis, & infusio magis duret in intellectuali Visione, quem in imaginaria, sed memoria Visionis; quod est valde diversum, & qui expertus fuerit, clare cognoscet non ita contingere, nec sine ingenti, & efficaci confortatione spiritus posset intellectualis Visionis infusionem (si diu perduraret) sustinere.

67 Effectus hujus Visionis sunt sublimes, & pretiosi; ab illa enim gignitur habitualis animæ tranquillitas, mentis illuminatio, ingens gaudium, suavitas, humilitas, puritas, castitas, aversio creaturarum, elevatio spiritus in Deum; rubor, & repugnantia manifestandi favores divinos, ob propriæ vilitatis cognitionem; difficultas, & repugnantia conversandi cum hominibus; ineffabilis certitudo Visionis; sed non absque formidine seductionis, licèt spiritus semper intimam sentiat securitatem. Hi sunt veræ Visionis effectus, qui interdum magis, & interdum minus juxta divinum beneplacitum, aut animæ dispositionem percipiuntur.

68 Hæ Visiones plerumque sunt circa substantias corporeas, tam cœlestes, quàm terrestres: aliquando circa substantias incorporeas, vel separatas, ut sunt Angeli, & Animæ rationales, quæ quidem expetunt sublimiorem lucem, & speciem, quam corporeæ, & raro evenire contingunt: Primæ fiunt frequenter per species acquisitas, modo dicto *Supra n. 63.* Secundæ verò per species de novo creatas.

C A P U T VIII.

De pratica instructione Directoris circa hujusmodi Visiones intellectuales.

69 IN prædictis Visionibus intellectualibus (ut tenet Alvarez *Ubi supra*; Fr. Philippus à SS. Trinitate *Ubi supra* & alii communiter nihil potest Dæmon immiscere immediate, cum ille ad spirituales potentias nisi mediis sensibus accedere non valeat: Quamobrem si Director clare cognoscat, Visionem fuisse pure intellectualem, de ejus veritate & bono spiritu nullatenus dubitet; sed quia valde difficile est, & adeo subtiliter Diabolus se ingerit, quòd tam anima, quàm ejus Director, putare possint, & affirmare Visionem fuisse intellectualem, cum revera non ita sit; necessarium duximus aliqua discretionis signa præbere.

70 Sit primum: status animæ, & exer-

citium

citium ejus ordinarium orationis, quod in rebus supernaturalibus semper est attendendum; nam si anima adhuc consistit in statu meditationis imaginariæ, vel licèt interdum absque imaginibus meditetur, ad exercitium tamen purè spirituale non penitus transmigraverit; regulariter Visio erit imaginaria, ob superius adductam rationem, nempe quòd Deus statui animæ se accommodet. Si verò sit anima, cujus exercitium est purum, & spirituale, & sit assueta faciliter sensus relinquere, si clare non cognoscat Visionem esse imaginariam, absque dubio erit intellectualis: Quod si adhuc dubitet Magister, ad sequentia signa recurret.

71 Secundum: si Visio sit imaginaria, ejus memoria aut species ita fixa sculptaque manebit in potentia, quod evidenter cognoscat, ei ponderose, & sensibiliter adhærere, & quandam quasi ingluviem, & pinguedinem causare, ad cujus crassum, & palpabilem motum in varios, & sensibiliter vehementes effectus appetitus sensitivus irrumpet; quia cum Visio, objectum, & potentia sint materiales, & omnes operationes materiales aliquo modo onerent sensum, clare dignoscitur laborare, & ad sensibiles, & vehementes effectus moveri. Visio autem intellectualis non movet immediate appetitum sensitivum, sed rationalem, qui nec laborat in opere, nec in effectus sensibiles irrumpit, & quamvis appetitus sensitivus moveri possit per redundantiam, motio tamen illa non est ita sensibilis, & ponderosa, sicut illa quæ causatur ab immediata infusione Visionis imaginariæ, & pars animæ superior ita in Visione intellectuali occupatur, quòd vix motum appetitus qui per redundantiam fit, percipit, & cognoscit: Quamobrem si motio appetitus sit valde sensibilis, Visio illa non erit intellectualis, sed imaginaria.

72 Tertium: ab effectibus sumendum est, quia Visio imaginaria regulariter causat deliquium materiale (vulgo ARROBAMIENTO) impetus sensibiles, lachrymas pœnosas, & ejulatus: Visio verò intellectualis producit ecstases, raptus, & alia, quæ materiali strepitu, & sensibili præcipitatione carent, & ratio est, quia omnis effectus sapit sphæram suæ causæ; materialis causa parit effectus materiales, & sensibiles, & tanto fortior est, quanto impulsus est supernaturalis: Spiritualis verò producit effectus spirituales, & delicatos: Cum autem Visio imaginaria fiat in materiali potentia, sicut Visio intellectualis in spirituali, necessario per effectus, & motus dignoscenda est.

73 Prædicta signa deservire possunt ad dignoscendam differentiam Visionis imaginariæ ab intellectuali, vel è contra; quæ Visio imaginaria licèt à bono spiritu procedat, prædicta proculdubio signa conferret. Sed Diaboli astutia eo devenire solet, ut hæc signa occultare satagat, ut ipse suas fallacias tutius ingerere possit: offert igitur plerumque imaginationi species imaginarias valde subtiles, impediendo earum reflexionem, quibus anima clare cognosceret esse Visionem imaginariam, & adeo simpliciter ei objecta repræsentat, quæ dum modum ignorat propter reflexionis carentiam, putat indubie Visionem factam fuisse immediate intellectui; quamobrem ipsa, & ejus Director decipiuntur.

74 Ut ergo ejusmodi cavillosam astutiam cognoscere possit Magister, diligenter attendat ad effectus materiales quos parit Visio, juxta prælibata num. 71. quia licèt verum sit quòd per hujusmodi cavillositatem possit ille (ablata reflexione) sensibiles effectus ita temperare, quòd putet anima, esse spirituales; tamen in totum est impossibile, quia hoc fieri non potest, nisi mediante aliqua impressione materiali in potentia etiam materiali, quæ necessario percipienda est sensibiliter, & ut illam non sentiret, indigeret alia materiali impressione, & sic in infinitum. Quamobrem quanto ille in materialibus potentiis se velit magis dissimulare, tanto amplius impressiones materiales multiplicando manifestatur, quia non potest mutare earum naturam, & necessario materialis causa debet materiales parere effectus.

75 Debet insuper attendere ad effectus morales, quos utraque Visio, scilicet vera, & falsa producit; quos licèt Capite antecedenti retulimus, nunc ex ore B. Joannis à Cruce *Ascen. mont Carmeli*, *cap.* 24. ad majorem auctoritatem referre placet:

cet: „ Effectus (inquit) quos veræ Visiones intellectuales pariunt in anima, „ sunt, quies, illuminatio, lætitia ad „ modum gloriæ, suavitas, munditia, „ amor, humilitas, & proclivitas, vel „ elevatio spiritus in Deum, secundum „ magis, aut minus; interdum plus in „ uno quàm in alio, respective ad spiritus „ receptionem, & beneplacitum divinum. „ Effectus malæ Visionis sic idem Sanctus Doctor exponit: Effectus quos „ prædictæ habent, valde dissimiles sunt „ ab eis quos bonæ pariunt; imo causant ariditatem spiritus in ordine ad divinam conversationem, proclivitatem „ ad sui, & suarum Visionum æstimationem; neque ullo modo pariunt mansuetudinem humilitatis, neque ardorem charitatis, neque earum formæ „ manent in animo impressæ cum illa suavi claritate, qua bonæ imprimuntur, „ neque durant, quinimo & statim ab anima decidunt. Quodsi illa hujusmodi Visiones æstimet, tunc ex propria æstimatione excitatur earum memoria, sed sine affectu amoris, & humilitatis, „ quam rememoratio verarum Visionum „ producit.

76 Necessarium est etiam attendere ad intelligentiam per talem Visionem communicatam; per illam siquidem manifestabitur spiritus, quia si à Dæmone sit, continebit utique aliquam inconsequentiam, vel malam doctrinam, vel aliquam imprudentiam, vel veritatibus Catholicis dissonantiam; quia licèt interdum Diabolus transfiguret se in Angelum lucis, ut diximus *Supra tract. 4. cap. 9. nu 76.* semperque aliqua vera falsis immisceat; non potest tamen omnino ita consequens esse, quòd in aliquo suam nequitiam non ostendat: Quamobrem ut testatur B. Theresia, & experientia docet, si anima voluntarie seduci noluerit (si experta sit) difficile, imo impossibile est, quòd Dæmonis illusione seducatur. Ut ergo secure procedat Director, nunquam relationi sibi factæ fidem præbeat, sed per se ipsum experimentum capiat, & omnia diligenter examinet, quia innumeris periculis obnoxia sunt.

77 Nam licèt Visio hæc non posset à Dæmone modo prædicto procedere, plerumque oritur ex vehementi imaginatione subjecti, putantis intellectualiter videre quòd ipse proprio discursu, & apprehensione investigat; unde necessarium est ad præadductos effectus, & modum excitationis recurrere; quia si nullos habeant, aut non ita efficaces, & mirabiles sicut dictum est, proculdubio erit naturalis, intelligentia, & non Visio supernaturalis & infusa.

78 Denique omnes istæ intellectuales Visiones, ut testantur omnes Mystici cum B. Joanne à Cruce *Ubi supra* sunt in ordine ad creaturas: illæ enim quæ sunt in ordine ad divinam essentiam, referuntur ad diversum genus intelligentiarum, de quibus suo loco sermonem habebimus. Cum ergo hujusmodi Visiones sint circa creaturas, necessarium est (sumpto tantummodo earum spiritu) quòd anima ad divinam essentiam per fidem & charitatem assurgere, & elevari conetur.

CAPUT IX.

De locutionibus, sive verbis supernaturalibus, & infusis, & specialiter de verbis successivis.

79 Secundi generis spiritualium notitiarum sunt Locutiones, aut verba supernaturalia, & infusa; quæ interdum fiunt animabus; tum in oratione recollectis, tum extra orationem distractis. Solent enim in se ipsis interiora verba percipere (de exterioribus autem, & imaginariis Locutionibus tractabimus, cum agemus de Revelationibus, ad quas pertinent) quæ non externo auditu, sed intellectu percipiuntur. Hæ Locutiones in triplici sunt differentia, fiunt quippe per verba, vel successiva, vel formalia, vel substantialia, ut communiter docent Mystici.

80 Verba successiva spiritus secum recollectus sibi ipsi loquitur, adeo faciliter, distincte, & immediate, circa aliquam veritatem quam intuetur, quod illi videatur, non se illa proferre, sed ab alio audire, & mutuo colloquio cum eo versari: In quibus verbis fulciuntur innumeræ mulierum, & Monialium fraudes, quæ passim

sim putant ea quæ suo naturali acumine, & vivaci discursu discernunt, à Deo per Locutionem recipere; unde non verentur secure passim proferre (ut tenet B. Joannes à Cruce *Libr 2. ascen mont Carmel. cap 29*) MIHI TALIA LOQUUTUS EST DEUS; VEL HOC DICTUM EST MIHI. Cum revera non ex divina Locutione, sed ex propria voluntate, & desiderio verba formentur: & interdum non desunt Directores, quos eis fidem præbendo, chimæras ejusmodi tanquam divinas Locutiones evulgare non pudeat, nescientes, quòd ut bene notat Fr. Alphonsus Pastor *In solitu. amor. divin. solit. 2. num. 13. in fin.* si humiles sibi viderentur, timerent plane, aut se ipsas sibi loquutas, aut Dœmonem eis loquutum esse, cum magis suppliciorum, quàm favorum dignas se ipsas existimare deberent.

81 Hæc verba successiva ex triplici causa oriri possunt: Prima ab influxu, & suggestione Spiritus Sancti; quia cum anima hunc Divinum Paracletum per gratiam possideat, ille (mediante recollectione) suis eam Donis movet ad perfectam conceptæ veritatis indagationem, & per ejus illustrationis virtutem, multa quæ per se ipsam facile non discurreret, quasi se interrogando, & respondendo percipit, & invenit; quamobrem putat se mutuo cum alio versari colloquio.

82 Secunda causa potest esse proprium acumen, atque imaginationis vivacitas, qua res novas, & subtiles infert, & detegit; ex qua intellectuali collocatione, & discursu oritur intellectualis interrogatio, & responsio; unde putat se ab alio excitari, & responderi, cum ipsa se ipsam interroget, & respondeat.

83 Tertia causa solet esse Dœmonis astutia, præsertim in his qui sunt nimis affecti rebus supernaturalibus, & vera humilitate carentes, habentesque modicam virtutem, quibus in tempore recollectionis sufficientem Diabolus digressionis, & acuminitatis materiam ministrat; quod agit mediante phantasia, offerendo intellectui conceptus, vel verba, quibus per verosimilia incipiendo, postmodum ad fallacias, & errores inducit, & hoc modo communiter loquitur Hæreticorum mentibus.

84 Cognitio igitur practica discernendi verborum differentiam non facilis omnino videtur B Joanni à Cruce *ubi sup. §. ult.* Possunt tamen nihilominus esse signa Directori, quòd si anima se sentiat per verba successiva excitari ad humilem, & reverentem dilectionem, vel ad sanctam operationem, proculdubio prope est Spiritus Divinus, à cujus influxu, & inspiratione omnia bona nobis procedunt: Si autem anima per ordinariam tantum motionem ad hujusmodi excitetur, neque aliquam specialem, & intimam excitationem longe majorem solito percipiat, neque in ea diuturnam permanentiam habeat; proculdubio verba illa per proprium discursum, & operationem formata sunt.

85 Si denique verba reddant animam aridam, tepidam, & mentem ad vanam complacentiam inclinent, & licèt interdum aliquam humilitatem infundere videantur, statim tamen ad propriam æstimationem, aut sui acuminis complacentiam, vel ad immoderatum gaudium adducant; nefas erit dubitare, quòd a spiritu nequam originem trahant.

86 Omnia hæc successiva verba docet renuntiare, & relinquere B. Joannes à Cruce, & dono earum excitationis assumpto, ad puram, & simplicem Dei cognitionem, & amorem, quæ per fidem, & charitatem sunt, penitus consurgere, & ratio est, quia prædicta verba à quoquam spiritu procedant, sicut particulares notitiæ, quibus nequit anima ita proficere, sicut per universalem fidei cognitionem profecisset; quamobrem melius est ea renuntiare, quàm retinere. Verba estatici Doctoris sunt hæc: „ Spiritus Sanctus illustrat intellectum recollectum „ pro suo recollectionis modo; & quia „ intellectus nequit præstantius recolligi „ quam in fide, in nullo alio quàm in fi„ dei recollectione Spiritus Sanctus præ„ stantius, & sublimius illum illustrabit; „ nam quo purior est anima fide viva, eo „ excellentior est infusa charitate, & „ quanto magis charitate perstat, tanto „ amplius illam illustrat, atque suorum „ munerum communicatione exornat, „ & quamvis per illas apprehensiones su„ pernaturales distinctas communicatur.

S ani-

„ animæ lux aliqua, ſed tam diverſa ab „ ea quæ fidei eſt, quantum diverſum eſt „ aurum ab infimo metallo, & quoad „ quantitatem, quantum vaſtiſſimum „ Mare exiguam aquæ guttulam excedit; „ quia nimirum per illas ſpeciales, & di- „ ſtinctas apprehenſiones datur intelle- „ ctui ſapientia unius, vel alterius veri- „ tatis; per obſcuram verò fidem datur „ ei ſapientia generalis, per unam vide- „ licet ſimplicem, & univerſalem noti- „ tiam eſſentiæ divinæ, quæ animæ in ea „ fidei obſcuritate infunditur (*B. Joannes* „ *à Cruce, ubi ſupra num.2. in med*) Hæc Beatus Doctor, cujus doctrinam notare, & practicare debet Director.

87 Quodſi aliquis dixerit quòd utrumque eſt bonum, atque unum alteri non obſiſtere; reſpondemus cum Hieronymo Spert Carthuſiano *Select. myſt. par.4. cap. 7 num.10.* „ Pluris obſiſtere ſi anima illa „ non parvi ducit, quia jam eſt diſtineri, „ & detineri in rebus ſpiritualibus, & di- „ ſtinctis, ac parvæ minervæ, quæ ſuf- „ ficiunt ad præpediendam communica- „ tionem abyſſus fidei, in qua ſuperiori „ quàm naturæ modo, eoque arcano, „ docet Deus animam, & provehit vir- „ tutibus, & donis ad ipſum ea ignoran- „ te. Si tamen ſic tunc expedire videatur prudenti Directori, poterit verba ſucceſſiva à bono ſpiritu ducta retinere; ſed tamen doceat animas eſſe contentas his veritatibus, quas noſtra alma Mater Eccleſia proponit credendas; oportet enim Paulo atteſtante (*Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem unuſquiſque, ſicut Deus diviſit menſuram fidei* (*Ad Rom.12.3*)

CAPUT X.

De verbis formalibus infuſis.

88 VErba formalia quandoque dicuntur ſpiritui modo ſupra naturam, medio ſenſus, ac etiam non recollecto; quandoque verò recollecto: Dicuntur formalia, quia formaliter percipit ſpiritus ea ſibi ab alio dici abſque ulla ſui opera: Interdum dicitur unum verbum, interdum duo, vel plura; nonnunquam ſucceſſive plurima, ut Danieli contigit cum loquebatur ei Angelus intra ſe (*Daniel. 9.22.*) cujus verba licèt ſucceſſiva eſſent, formalia tamen vocantur, quia clare percipiebat, ea ſibi ab Angelo fieri: Succeſſiva vero, an à ſe, an ab alio proferantur, manent in occulto.

89 Finis earum eſt, animam de re aliqua erudire, quod quidem ſemper cum ex Deo ſunt in ea operantur; quia his quæ ordinantur, & jubentur exequendis, promptam, & paratam reddunt; & promptiorem ad humilia, quàm ad excelſa, & è converſo cum à Dæmone fiunt. Effectus tamen bonorum verborum (teſte B. Joanne à Cruce *ubi ſupra cap.30.*) non ſunt magni momenti.

90 Vox quæ in eis percipitur nimis viva eſt, & delicata, ſed clara, nec unus apex ab interiori auditu prætermittitur, ut B. Thereſia (*In Vita, cap 25.*) inquit his verbis: „ In verbis ſi ex Deo ſunt, „ ſubito ita graves ſententiæ profetun- „ tur, quod ad earum formationem, or- „ dinationem, & compoſitionem, mul- „ to tempore opus fuiſſet; in uno enim „ verbo plura comprehenduntur. Sed quia ad ſolam animæ operationem diriguntur, nihili, aut parvi pendenda ſunt, ſed eorum aſſumpta excitatione, proximum fidei, ut legitimum ad divinam unionem medium, retineatur; quia ut docet Spert Carthuſianus *ubi ſupra num 13.* „ Difficilis ſunt, & minime neceſſariæ „ diſcretionis, cum alium nec efficacio- „ rem producant effectum, quàm erudi- „ tionis, & doctrinæ, cum ea ad operan- „ dum promptitudine.

91 Cœterum ut teſtatur Thereſia *Manſ. 6. cap 3.* „ Aliquando, & pluries eſt cupi- „ da præſumptio, & conceptus, præcipue „ in perſonis quæ ſunt debilis imaginatio- „ nis, vel melancholicæ; ex quo duplici „ perſonarum genere, quidquid dicant „ ſe ſupernaturaliter videre, audire, aut „ intelligere, nihil earum in aliquo habea- „ tur pretio. Sed hoc non obſtante, nec eaſdem debet terrere Magiſter, nec minus pronunciare, eſſe à Dæmone illuſas; poteſt enim exinde aliquod incommodum ſequi, dummodo pertinaces non ſint: Quodſi tenaciter Locutiones defendant, neceſſarium erit, eas de ſua illuſione monere,

& ad

& ad communiorem orationis occupationem reducere.

92 Scire etiam debet Magister, quòd licèt hæc verba directe, & nullo medio sensu, intellectui fiant, tamen Dæmon, quasi fraudis fabricator eximius, potest ita imaginationis organum temperare, quòd anima credat notitiam illam adinstar vocis, factam fuisse immediate intellectui, ut notat B Joannes à Cruce *ubi supra* & B. Theresia *In Vita*, *cap.25.* quæ triplex signum ad ejusmodi discernendum proponit.

93 Primum: solicite considerare, an verba in totum, aut in partem adversantur Sacræ Scripturæ, dispositionibus Ecclesiæ Catholicæ, doctrinis Sanctorum, & opinionibus Mysticorum communiter receptis; vel si suadeant aliquid contrarium prudentiæ, perfectioni, loco, aut statui personarum: Deus quippe nobis per Sanctas Scripturas, per Ecclesiæ sanctiones, per Sanctorum auctoritatem, & ordinationem virtutum, omnia commendavit; propterea nunquam potest esse sibi contrarius: Dæmon verò his omnibus contraria docet, & sicut supra dictum est, non ita potest suam zelare malitiam, quin in aliqua saltem parte manifestetur. Videatur Cancellarius Parisiensis (*Gerson. de probat. spirit. & de discern. vera Vision. à fals.*)

94 Secundum: si ejusmodi verba suadeant immoderatos rigores, & pœnitentias, vel aliquam novitatem, & singularitatem nota dignam, & quia tunc à malo spiritu procedunt: Deus quippe licèt interdum animæ aliquam in rigoribus, aut aliis operibus singularitatem suggerat ut contigit Catharinæ Senensi, cui nullum præter Sacrosanctæ Eucharistiæ cibum sumere inspiravit (*Cror. Ord. Prædic. par.2. lib 2. cap 43.*) raro tamen, & cum raris id efficere solet, & nihilominus Fr. Raymundus de Capua pius, & doctus ejusdem Catharinæ Director, antequam id executioni mandare permiserit, totidem experientias fecit, quòd vix eam deduxerit ad extremum vitæ: tandemque ægre sustinens hanc singularitatem tanquam vanitati, & admirationi obnoxiam, eam omnino resecavit, atque inviolabiliter præcepit, quòd se communi cæterorum victui accommodaret. Cui quidem Directoris prudentiæ adscribens Deus, ejusmodi voluntati se subduxit; ut exinde Directores agnoscant, quanto debeant singularitates fugere, omnesque animarum operationes, non per ea, quæ illis revelantur, sed per regulas prudentiæ, communisque justitiæ dirigere.

95 Tertium erit, mentis, & animi perturbatio: „ Causant (inquit Theresia „ *In Vita, c.29.*) hujusmodi verba inquie„ tudinem quandam, quin anima valeat „ concipere unde veniant, aut quò va„ dant, quamvis eis resistere videatur, & „ quandoquidem ignorat causam, nimis „ angitur, & turbatur. Et infra: Quan„ do Dæmon loquitur, videtur animæ, „ omnia ab ea bona recessisse, tantoma„ net insipida, turbata, atque omni affe„ ctu bono destituta: Et licèt interdum „ boni desideria habere videatur, non ta„ men valida, & efficacia sunt: Humi„ litas etiam quæ resultat, est falsa, in„ quieta, & sine suavitate. Porro in his „ omnibus possunt plures Dæmonis falla„ ciæ commisceri; propterea nihil adeo „ certum in hujusmodi rebus esse potest, „ quod certius non sit timere, & proce„ dere caute, & Magistrum doctum cui „ omnia fideliter manifestaret, eligere. Hæc Diva Theresia; quæ valde notanda, & observanda sunt à Directoribus; quod confirmat Ignatius de Loyola (*De regul. ad plenit. spirit. regul.8*)

CAPUT XI.

De verbis substantialibus infusis.

96 Verba substantialia, quæ etiam sunt formalia (licèt non è converso) recipiuntur in spiritu interdum recollecto, & interdum distracto; distincte tamen; & clare percipit anima, non à se ipsa, sed ab alio supernaturaliter esse prolata; Dicuntur substantialia ad differentiam formalium; quia hæc vere, & efficaciter in anima imprimunt id quod significant, quin ad eorum receptionem, neque ad sui effectus efficaciam liberata sit: *Ecce* (inquit Psalmista) *dedit voci suæ vocem virtutis* (*Psalm. 67. 35.*) Exemplum adducit Theresia *In vita sua*, *cap.3.*

S 2 his

his verbis: *Si anima habeat aliquam pœnam, inquietudinem, aut observantem unico tantum verbo quod Deus proferat; videlicet Ne doleas, illico manet prorsus libera, licèt antea ei visum fuerit, quòd totus mundus, una cum omnibus suis Doctoribus, eam non sufficerent à tali afflictione liberare.* Hæc verba (*licèt causa interdum ignoretur*) *adeo excelsam continent majestatem, quodsi reprehensionis sint, contremiscere faciant, & si amoris, penitus liquescere.* Quòd nimirum experiebatur Sponsa Sancta cum dicebat: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus loquutus est.* (*Cant.* 5. 6.) Hæc verba ita manent in animo sculpta, quod ad multos annos, & sæpius ad totius vitæ spatium ita conservantur, quasi semper recenter proferrentur.

97 Hæc verba mirabiles propemodum pariunt effectus, quia sunt verba vitæ æternæ, virtus, & bonum incommutabile, & denique spiritus, & vita sunt: *Sic erit verbum meum* (dicit Dominus) *quod egredietur de ore meo; non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud* (*Isaiæ* 55. 11.) Quamobrem S Bernardus *Serm.* 4 *super Missus est* „ Deo enim „ (ait) idem est facere quòd loqui; idem „ loqui quòd velle; siquidem apud Deum „ nec verbum dissidet ab intentione, quia „ virtus est; nec factum à verbo, quia „ veritas est; nec modus à facto, quia „ sapientia est. Igitur cum simul præstent fortitudinem, & operationem, mirum in modum animam replent bonis; non tantum in ordine ad ea quibus diriguntur, verumetiam ad omnia quæ sunt virtutis, & perfectionis: Fundum etiam anima adeo explicant, & dilatant; quòd quasi immensam ei latitudinem conferant; & exinde anima, non parvula, non debilis, sed magna, & fortis efficitur.

98 Perfecta ergo cum resignatione, humilitateque profunda, liberum Deo anima præstare in eis debet consensum; nihil negando, & nihil timendo; quia neque humanus intellectus, neque Dœmonis astutia potest eis intermiscere, neque spiritus nequam ullum substantialis verbi effectum in anima producere, quatenus in ea simul imprimat effectum, & habitum, ut tenet B. Joannes à Cruce *Ascen. mont. Carmeli, lib.* 2. *cap.* 31. secus verò in eis, quos per explicitum, vel implicitum pactum quasi eorum dominatur, & dominus possidet, in quibus quamvis effectum simul, & habitum nequeat imprimere, ex vi tamen pactus voluntarii, quasi violenter quidquid ei placitum sit, cogit operari; semper autem per motus violentos, inquietos, & tumultuosos; cæteris verò nihil amplius potest, nisi per vehementes suggestiones efficaciter ad malum suadere.

99 Verumtamen potest quandoque in spiritualis animæ imaginatione aliqua similia verba jactare, quamvis substantialem effectum habere non possunt sicut divina, quæ adeo excitant ad virtutem, quòd quasi ad Solis radios Aquila renovari dicitur, ita anima ad vocem Domini implumem naturæ miseriam, virtutibus novis ornatur, & in magnificentia convertitur, juxta illud Psalmi: *Vox Domini in virtute; vox Domini in magnificentia, &c.* (*Psalm.* 28. 4.) Ad hanc divinam vocem perficiuntur incepta, & denovo generantur non incepta: *Ipse* (enim) *dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt* (*Psal.* 148. 5) Propterea impossibile erit quòd Magister si prædictis effectibus attendat, decipi possit.

100 Nam verba Dœmonis ad istorum similitudinem depicta, quamvis primitus videantur inclinare ad virtutem; sensim tamen animam obumbrant, & debilitant, ut bene notat Ignatius de Loyola *Ubi supra regul.* 1. atque in rabidam inquietudinem, & furoris stimulum, una cum ingenti pondere ad operandum præcipitant; cor ejus contrahunt, & stringunt, anhelitum suffocant, eamque timoribus, & tumultibus replent; unde manifeste verborum differentia cognoscitur; quam exposuit Dominus per Prophetam dicentem: *Quid paleis ad triticum dicit Dominus: Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?* (*Hierem.* 23. 29.)

101 Hęc verba si vere substantialia sint, & à Deo prolata, omnia habent requisita; non solùm in substantia, sed etiam in modo, & circunstantiis, quibus à Deo prolata fuisse dignoscantur: Quia igitur sæ-

pissi-

pissime evenit Magistris spiritualibus, quòd plures animæ ad eos accedant, dicentes, sibi factas fuisse supernaturales locutiones, verbaque formalia, & distincta intra se audivisse, quibus non solum excitatæ sunt ad ea quibus verba dirigebantur (quæ subito in eis affirmant effecta fuisse) sed ad cætera omnia quæ sunt omnigenæ virtutis, & sanctitatis, ita ut se se in alteras mutatas cognoscant; quibus profecto si Magister integram fidem præstiterit, misere multoties errabit: Propterea necessarium est, quòd bene perpensis, & omnibus hactenus prædictis maturæ consideratis, adhuc ulterius diligenter observet. (*Joan. Gerson. de dist. ver. vision. à falf. sign.* 4.)

102 Primò, si verba sint plurima, vel eorum sententiæ absque cognita utilitate, vel urgenti necessitate repetuntur; hoc enim casu valde suspectæ sunt; quia ut ait Psalmista: *Semel loquutus est Deus* (*Psal.* 61. 12) & licèt duo, vel multa audiat, juxta sequentia hujus versus verba: *Duo hæc audivi*, non autem diversa, & iterum prolata, ut ex Prophetis clare constat; ubi enim sermo divinus repetitur, necessitas repetitionis manifeste patet, & ipse Dominus qui eis loquebatur, nunc etiam animabus loquitur: *Quia ego ipse qui loquebar* (ait per Isaiam) *ecce adsum.* (*Isaiæ* 52. 6) Regulariter ergo unum, aut duo verba proferuntur, ut ex adducto loco (*Supra cap.* 10. *num* 90.) Theresiæ constat; in quarum mirabili compositione plures sententiæ includuntur; qui enim à multiloquio abstinere præcepit, absque evidenti utilitate, & necessitate, non multum loquetur, ut in verbis à Christo Domino extra conciones prolatis inspicitur. Confirmat hanc doctrinam Joannes Gerson *De probat spirit.* his verbis: *Quod in Scriptura semel loquutus est Deus* (*sicut Job. loquitur*) *id ipsum non repetit: Onerosum quippe esset* (*ne dicamus vanum*) *Visiones super Visiones in immensum multiplicatas debere recipere, tanquam ab ore Dei prolatas.*

103 Perpendat insuper, utrum verba contineant aliqua superflua, supervacanea, non necessaria quæ vere otiosa sint; otiositas enim vitium est; quod verba Dei habere non possunt: *Otiosum est verbum* (ait Bernardus) *quod nullam rationabilem causam habet.* Et S. Hieronymus: *Otiosum verbum est, quod sine utilitate loquentis, & audientis dicitur, qualis qui de rebus frivolis loquitur, &c.* (1. *In Matth.*)

104 Item, si contineant aliqua scurrilia, vel parum seria verba, quæ communiter damnantur à Sanctis, & præcipuè à Benedicto, qui suis in Cœnobiis perpetua clausula damnavit (*S. Benedict. in Regul. cap. de silentio*) Item, si animæ quibus Christus, & Sancti apparent, & loquantur, affirment Christum, & Sanctos nimis risisse; quia hæc nimirum aliena sunt ab illo spiritu, qui per Ecclesiasticum protulit: *Risum reputavi errorem.* (*Eccli* 2. 2) Et de Christo Domino dum degit in terris, nunquam risisse legimus, sed pluries plorasse; nam licèt aliquando animabus se exhibere potest hilarem, & humanum, sed nimis ridentem, aut cachinnosum, nunquam. Attendat etiam si verba contineant aliquam inconsequentiam, vel repugnantiam, vel malam doctrinam; quia verba Dei, & Sanctorum ab omni vitio, & reprehensione debent esse prorsus immunia.

105 Denique licèt in verbis quæ vere substantialia sunt, nihil agendum restet Directori, siquidem extra arbitrium recipientis est, tam verba, quàm effectus accipere, qui quidem sunt ita sublimes sicut dictum est; tamen circa eorum conservationem aliquid advertendum restat; scilicet, quòd si anima per quorumcumque verborum excitationem in purum exercitium divinæ cognitionis, & amoris non elevetur, verborum memoriam in quantum possit abdicare satagat, & ad hujusmodi exercitium assurgat. Si autem verba prædicta eam in talem occupationem conferant; eorum memoriam conservet, quatenus ad eam occupationem excitetur; in qua non corticem verborum, sed eorum excitationem debent conservare.

CA-

CAPUT XII.

De revelationibus, sive notitiis supernaturalibus, & infusis.

106 Tertii supernaturalium apprehensionum generis sunt Revelationes, quæ proprie ad intellectualem potentiam spectant, quia sunt intelligentiæ; licèt interdum ad imaginationem possint pertinere REVELATIO est. DETECTIO ALICUJUS OCCULTÆ VERITATIS, VEL MANIFESTATIO ALICUJUS ARCANI, VEL MYSTERII. Et est duplex, una quæ est detectio nudæ veritatis, in his quæ jam revelata sunt per fidem & alia quę est arcanorum manifestatio.

107 Revelatio quæ est detectio nudæ veritatis (ut tenet B. Joannes à Cruce (*Lib. 2. ascen. mont. Carmel c. 26.*)*consistit in eo quòd intellectus veritates cognoscat de Deo, vel de rebus altis, & de his quæ sunt, fuerunt, & futuræ sunt; quod quidem spiritui Prophetiæ est valde conforme*. Fit Revelatio infundente Deo in anima lumen clarissimum, & intelligentiam, qua inexplicabili claritate cognoscit anima ea omnia quæ Deus determinat ut cognoscat & hoc tali expressione, & penetratione, quod licèt per totum vitæ spatium in cognitione talis objecti viribus suis laborasset, nec minimum quidem ejus quod supernaturaliter cognoscit, naturaliter cognoscere sufficiet.

108 Lumen hoc cum ad Dei cognitionem ordinatur, solet esse effectus Doni Sapientiæ quatenus est quædam notitia, & rerum penetratio; non propterea quia revelata sunt, sed quia in semetipsis sunt vera, ut anima experimentaliter cognoscit; quod indicare voluit Psalmista cum inscrutabilia Dei judicia supernaturaliter co gnoscens cecinit: *Judicia Domini vera justificata in semetipsa*(*Psalm.* 18. 10.)Ubi eo non propter divinam Revelationem justa commendat, sed quia in semetipsa justa esse conspexit; quod proprium est Doni Sapientiæ.

109 Hæ notitiæ interdum incogitate, & repente, interdum rei cujuspiam piæ, simplicique memoria, vel sacri alicujus verbi auditione, & quandoque adeo efficaciter quod nedum animam, sed etiam corpus tremefaciant, ut testatur Fr. Philippus à SS. Trinitate *Theol. myst p. 2. tract. 3. dis 4 art. 2* Luminis verò infusio breviter transit, licèt diu durent effectus. In eis sicut in cæteris infusionibus supernaturalibus, anima non est libera; breviter tamen ad liberam operationem manet expedita, quamvis species maneant in potentia æquali, aut minori efficacia semper defixæ.

110 Quædam ex hujusmodi notitiis sunt in ordine ad creaturas, quædam vero in ordine ad Creatorem, & sapidæ admodum illæ, sed istæ ultra quàm dici potest; quia cum sint puræ contemplationes, & nudæ intelligentiæ divinæ, ac nudæ veritates, & circa summum principium, quòd universale est, ut tenet B. Joannes à Cruce *Ubi supra cap.* 25. per hæc verba.
„ Hæc notitiæ non possunt haberi nisi ab
„ anima in divina unione constituta, il-
„ læ quippe ad ipsam unionem spectant,
„ quia eorum possessio consistit in certo
„ divinæ veritatis contactu: Quamobrem
„ ibi ipsemet Deus est qui sentitur, & gu-
„ statur, & quandoquidem non ita mani-
„ feste, & revelata facie, sicut in Patria;
„ sed adeo est sublimis, & altus notitiæ,
„ & saporis contactus, quòd profundiora
„ animæ penetrat; nec Dæmon potest
„ se his immiscere, neque quid simile es-
„ fingere, vel similem saporem, & de-
„ lectationem infundere. Hæc ille.

111 Anima igitur quæ semel tantum earum compos fiat, difficile, imo & impossibile est quòd à Dæmone decipiantur, cum nihil simile, neque quoad substantiam, neque quoad effectum effingere possit. Director tamen inexpertus, & plerumque etiam expertus, in relatione animæ decipi valet, quia Dæmon ita cavillose solet imaginationi offerre species adeo subtiles Divinitatis, quòd putet anima intellectuales esse, atque sublimes: & similiter appetitui sensitivo adeo suaves infundere delectationes, & sapores (temperata tamen aliquantulum sensuali delectatione) quòd credat anima esse dulcedines, & sapores ex divino contactu effluentes; præsertim si anima tales contactus experiri non sit consueta, & per lecturam librorum habebat terminorum notitiam:

Quam-

Quamobrem obiter hortor Magistros, quòd his qui per hujusmodi supernaturalem viam ingrediuntur, nullatenus libros doctrinæ Mysticæ legere permittant, surripiunt quippe terminos quos observant, falso putantes, in se idem contingere; unde potius ea quæ legunt, quàm ea quæ experiuntur, referunt Directori, & ambo misere decipiuntur.

112 Igitur attendere debet semper ad effectus, magis quàm ad luminis infusionem, quia ut docet B Joannes à Cruce: (*Ubi supra*) *Adeo animam locupletant, quòd simul ac semel aliquibus imperfectionibus exuant, quas nunquam potuerat de medio tollere, eamque reddant virtutibus, divinisque Donis refertam.* Quibus verbis præcipui Revelationis effectus depinguntur, & quandoquidem semel tantum sit anima sic à Deo tacta, quasi Deiformis efficitur; quamobrem per effectus latere haudquaquam poterit Directori veritas Revelationis, cum Dœmon contrarios effectus pariat. Deinde doceat animam ut circa illos tactus, & supernaturales notitias se gerat, consentiendo scilicet eis in gratitudine, & resignatione; non autem negative se habendo, sicut in reliquis apprehensionibus prædictis, quia istæ proculdubio pertinent ad divinam unionem, & Mysticam Theologiam, ad quam anima est dirigenda.

113 *Revelatio quæ est arcanorum manifestatio*, esse potest, vel circa id quod Deus est in se, in qua includitur Revelatio Mysterii Sanctissimæ Trinitatis, vel circa id quod Deus est in operibus suis, in qua includuntur cæteri articuli nostræ almæ fidei Catholicæ, & propositiones quæ circa illos possunt esse explicitæ veritatum, in quibus multæ ex Revelationibus Prophetarum continentur.

114 Circa primum, videlicet, quòd Deus est in se (dummodo fidei nostræ conformentur) solent esse notitiæ universales, licèt quandoquidem attributum aliquod particulare manifestent; quia non illud quasi distinctum ab essentia, aut contactu, aut ab aliis attributis separatum repræsentant; quod quidem sufficit, ut sint universales, sicut bene notat Suarez *De Relig. to* 2. *c.* 12. *n.* 19. unde non negative, sed passive se gerat anima.

115 Revelationes autem circa illud, quod Deus est in suis operibus, si respiciant ea quæ ad fidem nostram spectant, potest in eis Dœmon plures fallacias seminare, præsertim cum hominibus idiotis; & fœminis: Quapropter in his cautissime se gerat; & si aliquid novum, aut a credulitate nostra diversum reveletur, omnino rejiciat; est enim Dœmonis revelatio, quandoquidem prævenit nobis Paulus *Quod licèt nos, aut Angelus de Cœlo, evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, Anathema sit* (*Ad Galat.* 2. 18).

116 Ne igitur in tam periculosa rerum indagatione multum laboret Magister, melius erit animas ejusmodi notitiis privare, earum consulendo securitati; sed tantum dono excitationis assumpto, ad divinam unionem per cognitionem, & amorem consurgere; maxime cum hæ notitiæ non sint directæ cognitiones summi, & universalis boni, in quibus unio Mystica consistit, ad quam se habent tantum mediate, & indirecte, videlicet per excitationem virium supernarum, & potentiarum, quæ per eas mirum in modum excitantur, & ducuntur ad divinam cognitionem, & amorem; quamobrem melius erit hanc tantum excitationem assumere, & Revelationis corticem abdicare, quandoquidem cortex suis speciebus occupat intellectum, ne expeditius, & purius in divinam essentiam consurgat, & virtus potentiarum per solam excitationem unita melior, & fortior sit se ipsa in varia objecta dispersa.

117 Plurimi errores, pericula, & illusiones in hujusmodi rebus, & notitiis commisceri solent, & certius imminent his qui talibus sunt nimis affecti; quia ut bene notat Jacobus Alvarez *De vit. spir. tom* 3. *lib* 5. *par*. 4. *cap*. 5. *indust*. 1. „ Hic „ appetitus nascitur communiter ex superbia, qua quis putat se his supernaturalibus donis dignum; ex curiositate qua „ cupit insolita, & nova experiri; atque „ ex defectu, aut tepore fidei, cui quia „ communia veritatis testimonia minime „ ex hominis culpa sufficiunt, aliis extraordinariis vult ad firmius assentien- „ dum excitari Quæ omnia quasi perditionis, & illusionis funes, Dœmonem ad

eos

eos decipiendos trahunt, & compellunt: Quamobrem eos acriter reprehendat Director, & materialibus, & spiritualibus notitiis omnino privet, & tantum fidei baculo innixos ducat ad puram, simplicemque Dei notitiam, contentos dumtaxat his, quæ lex divina, Scriptura Sacra, & Sacrosancta Ecclesia credenda exponunt, & generaliter cum omnibus præcaute procedat, atque in omnibus dubitet, quia mille fallaciis, & periculis abundant.

CAPUT XIII.

De sensificationibus spiritualibus, & infusis.

118 QUarti generis notitiarum supernaturalium sunt Sensificationes, seu Sensationes spirituales; quæ licèt potissime ad voluntatem ordinentur, notitias vocamus, quatenus ab intellectu percipiuntur, qui debet eas ordinare, & dirigere, & ad quem in earum privatione (casu quòd oporteat) recurrendum est. Igitur ad majorem earum expressionem, & ad nihil intactum in Mystica prætermittendum, de omni sensificationum supernaturalium genere, tam in sensibus, quàm in potentiis spiritualibus infusarum, in sequentibus agendum est.

119 Multifariam multisque modis hujusmodi Sensificationes in anima percipiuntur; quandoquidem omnes infusi favores, de quibus nobis in præsenti Tractatu convenit pertractare, sub insigne spiritualium sensationum colligi possunt. Quædamquidem fiunt sensibus externis, scilicet olfactui exhibentur odores suavissimi, universos mundi hujus longe superantes: Auditui, mirabiles, & armonici concentus: Gustui, inexplicabiles dulcedines, præcipue in receptione Sacrosanctæ Eucharistiæ: Tactui, delicatissimæ sensationes, quæ usque ad compagines, medullasque ossium perveniunt, & recreant: Visui denique luces, splendores, atque adeo pulcherrima objecta, quòd ipsam ideam, & desiderium superant, ut testantur S. Bonaventura, & expertissimus B. Joannes à Cruce *De prof. Relig lib. 2. cap. 76.*

120 Modus quo hæ supernaturales Sensationes fiant, in maximam Mystas hæsitationem confert: Quidam putant (*B. Joannes a Cruce lib. 2. ascen. mont. Carm. c. 17*) quòd in sensibus supernaturaliter infunduntur earum species materiales, eodem tempore quo anima spiritualiter in divina cognitione, & amore occupatur, quin ullo unquam modo deriventur in sensus ab altissima, fervidaque animæ fruitione, & ratio eorum nititur in eo, quòd substantiæ spirituales carent accidentibus sensibilibus, nisi per aliquam sensibilem speciem operentur; nec accidentia ab eis producta possunt suis causis absimilia esse; ignis siquidem, non frigus, sed calorem producit: Nec substantiæ spirituales possunt habere accidentia sensibilia; unde dixit Apostolus: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt illum* (*1. ad Corint. 2. 9.*)

121 Cum autem quæ his diligentibus præparantur sint bona spiritualia, scilicet Visio Beatifica, quæ omnino supernaturalis est; hæc non potest producere accidentia sensibilia, quæ in oculum materialem, vel auditum, aut in quemlibet alium sensum cadere possit: Quamobrem prædicti Auctores judicant, quòd hujusmodi Sensificationes, non in sensus ab intima animæ occupatione redundant, sed ab speciebus materialibus specialiter à Deo sensibus infusis; quia nimirum ille adinstar magni Principis, qui dum suis Magnatibus delicatissimas epulas præparat, providens respective eorum servis, jubet crassiores, & eisdem proprias præparare: Ita similiter; cum superiores potentias ad sui cognitionis, & amoris pascua invitat, atque in se ipso delicatissimis dapibus pascit, pro earum servis, nempe pro sensibus, crassiores cibos per materiales species præparat.

122 Sed longe probabilior est sententia D. Thomæ asserentis, prædictas Sensificationes à superiorum potentiarum efficaci motione in materiales indubie sensus redundare: „ Quia cum superior pars animæ intense movetur in aliquid, sequitur „ etiam motum ejus etiam pars inferior, „ & sic passio existens consequenter in appetitu sensitivo, est signum intensionis voluntatis (*D. Thom. 1. 2. q. 24. art. 3. ad 1*)

ad 1.) Cum autem anima, dum eisdem materialibus Sensationibus afficitur sensus, sit efficacissime mota per infusum lumen, & per dulcedinem unitivi amoris; ex intenso motu superioris partis animæ, redundant in sensus prædictæ Sensificationes: Quod quidem in Beatis manifeste patet; in quibus (teste Augustino, ut infra videbimus) redundant in sensu dotes gloriosi ex eorum Visione Beatifica.

123 Fiunt communiter hæ Sensationes animæ recollectæ, quatenus sunt effectus efficacis motiones voluntatis; quamvis interdum fiant animæ non recollectæ, & tunc fient, non per redundantiam, sed per speciales species sensibus infusas. In utroque autem eventu debet anima (in quantum illis libuerit) sensibilem cohibere delectationem, & assumere dumtaxat earum excitationem, quatenus excitant ad ferventiorem, & promptiorem elevationem in Deum.

124 Quodsi anima sit his Sensationibus nimis affecta, eas omnino resecare oportet; proprietas autem qua ei utitur, omnem bonum effectum impedit; propterea adveniente delectatione sensibili, illico abstrahatur animus, & ad divinam essentiam nude, & spiritualiter assurgat; ibique fixa manere nitens, breviter ejusmodi delectationes extinguentur. Si autem ob sensus crassitudinem, & impinguationem diu perseveret delectatio, ita ut non solum minui, sed potius augeri cognoscat, à loco recollectionis exeat, aut per fenestram visum dilatet, aut honestam occupationem arripiat; quia nimis nocent naturæ, & adeo potest hujusmodi delectationibus impinguari, ut non solum in magnum virium naturalium desuetudinem, sed etiam in delirium, & fatuitatem (ut aliquando vidimus) incurrere valeat. Præterquamquod perfectæ animæ competit omnes sensibiles delectationes mortificare; maxime cum nihil earum, nisi sola excitatio ad exercitium unionis proficiat.

125 Item, quia pluribus Dæmonis illusionibus sunt obnoxiæ, cum ille facile possit dulcedines, & suavitates indifferenter communicare sensibus, ut testatur Bonaventura *In stimulo amor. cap. 6. part.* 3. Sed ut Director malas delectationes à bonis secernere, & distinguere valeat, scire debet, quòd illæ quæ a malo spiritu procedunt, poderosa dulcedine sensum impinguant, atque inter illam onerosam suavitatem pœna tristis, insipidusque sapor emergit: Insuper movent ad vanam æstimationem, ad delectationum hujuscemodi desiderium, & ad puræ spiritualis exercitii aversionem: Quæ verò sunt boni spiritus, licèt sensum inebrient, sed tamen delicate, pure, imponderose, & suaviter; pariunt etiam in anima, humilitatem, recollectionem, & pacem, & non ad delectationem sensus, sed ad spiritus fruitionem alliciunt.

126 Aliæ sunt Sensificationes, quæ miros quidem habent effectus, & plerumque respective causant lachrymas, impetus, deliquia, ecstases, raptus, & his similia; de quibus omnibus (Deo auspice) in sequentibus tractare oportebit, quatenus in eis Directores interdum ambigunt, & torquentur, & merito quidem, nam qui nihil in eis hæsitans animas dirigit, aut inscius, aut inexpertus est, cum tot, & tam extraordinarios pariant motus, tot, & tam variis sunt obnoxiæ periculis, quòd nec fila experientiæ, & scientiæ firmiter tenere aliquando sufficit. Sed quia tota versatur difficultas in dignoscendis earum causis, ut per eas possint cognosci, & dirigi effectus, ut quidam agunt Directores, qui eis fruere permittunt usque ad satietatem, in quo nimis errant: Alii è converso, eas omnino renunciare, & abdicare præcipiunt, in quo pluris errant; interdum enim oportet eas conservare, & interdum rejicere: Propterea in sequentibus Capitibus de earum singulis disseremus.

CAPUT XIV.

De tactibus substantialibus infusis.

127 Aliæ sunt Sensificationes delicatissimæ, & suavissimæ, quæ in animæ substantia immediate fiunt à Deo, & à Mysticis tactus substantiales dicuntur; & licèt sint communicationes perfectissimi status, cujus ordo superiorem locum exigebat; nihilominus quia sunt proprie, & stricte Sensificationes, & ad ea quæ infra dicenda sunt earum notitia est admodum necessaria, propterea visum est nobis, de eisdem in præsenti loco tractare.

128 Hæ Sensificationes altissimæ ideo tactus substantiales dicuntur, quia ut ait B. Joannes à Cruce *Ubi supra c.* 32. „Deus „ immediate, & per se tangit substantiam „ animæ; ex quo contactu, & divina ap- „ proximatione anima valde locuples „ redditur substantialis virtutis, capaci- „ tatis, & fortitudinis. Quod nimirum fit infundente Deo in animæ substantia qualitatem intrinsecam, aut substantialem motionem confortativam (ut dictum est *Supr. tract.* 2. *cap.* 14 *num* 132) qua anima, efficitur aptior, majorisque fortitudinis, & virtutis ad producendos perfectiores actus, & intensiores his quos per se antea procedere poterat, & licèt statim redundet in potentias spirituales, & superiores, tactus verò, sive qualitas intrinseca confortativa immediate fit in animæ substantia, ut expresse habetur in prædicto textu; quamvis cuidam experto Mystico videatur, non immediate fieri in animæ substantia, sed in ejus potentiis; ait enim: „ Et effici dicuntur in substantia, „ & essentia animæ, quia adeo intense, „ profunde, abdite, atque intime fiunt, „ quòd videantur, non attingere volun- „ tatem, in qua efficiuntur: *Spert. Carthus. select. myst. part.* 4. *cap.* 8. *num.* 1. Sed forsitan hic Auctor negat realem distinctionem animæ à suis potentiis, quam nos concedimus; unde majori Beati Joannis à Cruce auctoritati libenter subscribimus.

129 Sed ut pro nostro consueto more clare hanc difficilem materiam perpendamus, explicare amplius oportet, quæ sit ista immmediatio, qua Deus essentiam, vel substantiam animæ contingit; quandoquidem de fide habemus, Deum essentialiter omnibus adesse, per essentiam, præsentiam, & potentiam; vel ut melius loquar: omnia in illo quasi in vastissimo mari includuntur: *In ipso enim* (ait Paulus) *vivimus, & movemur, & sumus* (*Actor.* 17. 27.) Quamobrem necesse est, quòd in anima immediate sit, ejusque contingat substantiam: Quid ergo potest esse hic contactus, quo animam immediate tangit?

130 Respondetur, quòd licèt Deus in anima essentialiter sit sicut in cæteris rebus, metaphorice tamen dicitur abesse injustis, juxta illud Sapientiæ. *Spiritus enim Domini disciplinæ effugit fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (*Sapien.* 1. 5.) Et similiter specialius inesse Justis, communicando eis (ut docet Angelicus 1. 2. *q.* 110 *art.* 4.) quandam quasi participationem similitudinis, & communicationis divinæ naturæ.

131 Hæc communicatio quæ recipitur mediante assistentia Dei, per se ipsum immediate, & non per alium, in animabus consistentibus in gratia, & charitate plus, minusve, juxta perfectionem ejus gratiæ, & charitatis operatur; quam Deus his quas dicimus contingi, magis coarctat perficiens illas quantum ad supernaturalem statum, majori intensione, & radicatione ejusdem gratiæ, secundum quam participes fiunt divinæ naturæ, ut eidem assimilentur, & uniantur; ut scilicet perfectæ sint in ordine gratiæ, & quantum ad esse, & quantum ad operari; quia ut tenet D. Thomas: „ *In dist. in d.* 12 *q.* 1. *ad* 1. Gratia princi- „ paliter duo facit in anima: Primo enim „ perficit ipsam formaliter in esse spiritua- „ li, secundum quod Deo assimilatur; „ unde & vita animæ dicitur: Secundo „ perficit eam ad opus, secundum quod à „ gratia emanant virtutes sicut vires ab „ essentia, quia non potest esse operatio „ perfecta, nisi progrediatur à potentia „ perfecta per habitum.

132 Deinde idem Angelicus alibi docet, quòd „ Gratia secundum se conside- „ rata, perficit essentiam animæ, in quan- „ tum participat quandam similitudinem „ divini esse, & sicut ab essentia animæ „ fluunt ejus potentiæ ita à gratia fluunt

“ quæ-

„ quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes, & dona, „ quibus potentiæ perficiuntur in ordine „ ad suos actus, juxta incrementum perfectionis essentiæ animæ; sicut ad incrementum splendoris corporis lucidi, „ crescit splendor radiorum ejus, sic potentiarum actus perfectiores evadunt; „ unio cum Deo arctior fit, & amicitia „ purior: Hæc Præceptor Angelicus 3. *p. q.* 62. *art* 2.

133 Cum igitur hæc divinæ naturæ participatio, quæ in hisce animabus causatur mediante divina, & speciali assistentia per gratiam, qua (ut docet D. Tho. 1.2 *q.* 112. *art.* 1) *Solus Deus deificat communicando consortium divinæ naturæ, per quandam similitudinis participationem.* Ab illo solo in animæ substantia ei plus suæ similitudinis communicando fieri valet; propterea dicitur, quòd Deus immediate tangit animæ substantiam, à cujus intima approximatione substantialis contactus remanet anima sublimiter elevata, atque mirabiliter disposita, & excitata ad perfectam operationem suorum actuum.

134 Sed cum essentia animæ patiatur recipiendo hujusmodi contactum, quem non potest percipere, nisi mediis suis potentiis; sicut nec potentiæ possunt cognoscere quod passive recipiunt, nisi mediis sui actibus; nec similiter hi cognoscuntur, nisi per sua objecta; propterea putat Auctor ille, hujusmodi tactus recipi in voluntate, cum revera in animæ substantia fiant.

135 Hujuscemodi ergo tactus, quidam distincti sunt, & cito transeunt; quidam non sunt ita distincti, & magis durant; ambo verò pariunt sensationem spiritualissimam, altissimam, & valde suavem: Interdum (ut ait B. Joannes à Cruce *Ubi supra*) plus in intellectu percipiuntur, & pluris frequenter in voluntate; quia ut subjunximus, licèt tactus fiat immediate in animæ substantia, & non in potentiis; tamen non potest cognosci ab anima in ejus substantia, sed in potentiis; maxime cum tactus eam illico moveat ad operandum: potentiæ verò, non tactum, sed tactus effectum percipiunt; quia moventur per animam excitatam per substantiatem tactum infusum, quamobrem delectatio quæ in voluntate sentitur, non est tactus, sed ejus effectus.

136 In his denique parum Directori agendum restat, quia sunt divini, sublimes, atque ab omni Dæmonis potestate prorsus alieni; qui nec quid simile adhuc effingere potest, præsertim in animæ substantia, minusque prædictos effectus causare: Præterquamquod animæ quibus regulariter conceduntur, sunt omnino purgatæ, & perfectæ; propterea sciunt explicare, & cognoscere ea quæ sunt à Deo, & inter bonum, & malum deliberare. Doceat eas Magister, in his se habere mere passive, nullos miscendo discursus, sed mentem in silentio ad auscultantis modum disponendo, juxta illud Psalmistæ: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam* (*Psalm.* 84 9.) Quia, ut bene notat quidam Mysta (*Spert Chartbuf. ubi supra, num.* 4.) hujusmodi tactus non poterit apprehendere agendo, sed patiendo; non operando, sed vacando: voluntas tamen humiliter, resignate, & gratanter illis consentiat.

CAPUT XV.

De lachrymis supernaturalibus, & earum differentiis.

137 TRiplex est LACRYMARUM GENUS: *Quædam sunt malæ, & activæ, quædam activæ, & bonæ, & quædam perfectæ, & passivæ. Malæ, & activæ* sunt quæ ex malo, impuroque fonte profluunt, videlicet quæ stillantur propter pusillanimitatem, iram, vindictam, desperationem, amissionem bonorum temporalium, vel prophanam dilectionem.

138 *Bonæ lachrymæ*, sed *activæ*, ad sex genera possunt reduci: Primæ sunt cum per afflictam resignationem prævidetur amissio temporalis, vel imminens aliquod periculum, & lachrymis à Deo rimedium postulatur, & hujus generis fuerunt lachrymæ Tobiæ, qui post incursam cæcitatem, & opprobria uxoris audita, ingemuit, & cœpit orare cum lachrymis; quæ placitæ fuerunt in divino conspectu, ut illi Raphael Archangelus indicavit; (*Tobiæ* 12. 12.) & similiter lachrymæ Judith ante lectum Holophernis (*Judith.* 13. 6.)

13. 6.) & Annæ matris Samuelis, pro impetranda prole, & sterilitate superanda (1. *Reg.* 1.)

139 Secundæ sunt quæ ex ingenti dolore culparum, tam gravium, quàm levium, effunduntur; quæ juxta earum motiva, plus, minusve, bonæ, & perfectæ erunt, & hujus generis fuerunt lachrymæ Petri Apostoli *Lucæ* 22. 20. Davidis *Psalm.* 50. & Mariæ Magdalenæ *Lucæ* 7. 38.

140 Tertiæ sunt quæ ex metu gehennæ, mortis, judicii, aut alterius pœnæ infligendæ procedunt; quæ bonæ sunt, licèt non omnino perfectæ; quales fuerunt lachrymæ Ezechiæ *Isaiæ* 33. 3. Susannæ *Daniel.* & uxoris Phinees Sacerdotis, cum occisus fuit à Philistæis, & Arca Domini capta in Acaron 1. *Reg.*

141 Quartæ sunt quæ à compassione Passionis Christi, & aliorum Mysteriorum consideratione ab oculis Justorum uberrime emanant, quæ utique præ cæteris perfectiores sunt; & hujus generis fuerunt lachrymæ filiarum Hierusalem, quæ Dominum bajulantem Crucem sequebantur. *Lucæ* 23. 28.

142 Quintæ sunt quæ in afflictionibus, & calamitatibus proximorum effundi solent; cujus generis fuerunt lachrymæ Davidis pro filii sui Absalonis æterno, & temporali interitu deflentis 2. *Reg* 18. 33. Hieremiæ captivitatem Populi deplorantis *Hierem* 9. 1. & Pauli proficiscentis Hierosolymam pro calamitatibus imminentibus novæ Ecclesiæ *Actor.* 20. 3. 5.

143 Sextæ, & ultimæ sunt quæ ex Dei amore, & æternorum desiderio procedunt; quas animæ piæ purissimum, & æternum Dei completum suspirantes, ubertim emittunt; quæ præ omnibus cæteris perfectiores sunt, & has credimus fuisse illas Citharistæ Regii cum dicebat: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie; ubi est Deus tuus* (*Psal.* 41. 4.) Ita Jacobus Alvarez de Paz. *de vit. spirit. tom.* 3. *part.* 2. *libr.* 2. *cap.* 19.

144 Hæc omnia lachrymarum genera bona sunt, & Deo placentia, & Dona sunt Spiritus Sancti, sine cujus inspiratione, nec effundi possunt, nec prodesse, ut tenet Laurentius Justinianus *Lib. de leg. vit. cap.* 9. Quas etiam optabat Augustinus *In lib. meditat. cap.* 36. & à Deo exposcebat dicens: „ Rogo te per illas tuas benignissimas lachrymas, & per omnes miserationes tuas, quibus nobis miserabiliter perditis subvenire dignatus es: Da mihi gratiam lachrymarum, quam multum desiderat, & appetit anima mea, quia sine Dono tuo non possum habere eam; sed per Spiritum Sanctum tuum, quia dura peccatorum corda mollit, & ad fletum compungit. Hæ lachrymæ licèt à Spiritus Sancto procedant, activæ sunt, sicut & opera meritoria Justorum sunt activa, quamvis fiant per gratiam, & charitatem, & per Spiritum Sanctum, tanquam per principale principium, à quo bona cuncta procedunt.

145 Debent nihilominus hæ lachrymæ quantuncunq; bonæ sint, purificari, & motivo puræ charitatis perfici, & elevari, & similiter coram aliis debent compesci, & in quantum possibile fit, aliis videntibus reprimi, & abscondi, quia non æquum est lachrymarum nundinas facere; sed cum à corde moveri cognoscuntur, à circumstantium conspectu recedere anima procuret, atque in abscondito plorare, & quantum possibile ei fit, non in dolorem moventem lachrymas, sed in Deum, amatorie, & pacifice animum convertat, ut pulchre ostendit Richardus *In Psal.* 68. & suadet Ludovicus Blosius *In instruct. vitæ ascet. divis.* 5. *num.* 5. & 6. & hæc est doctrina quam in prædictis lachrymis observare debet Director.

146 Lachrymæ perfectæ, & penitus passivæ, quam hujus loci propriores sunt, utpote sensationes passivæ, & spirituales, ex Blosio *In margar spirit. cap.* 18. *num* 7. & Richardo *In Psalm.* 68 *& in Apocalyp. cap* 2. *lit. A.* ad triplex genus possunt referri, videlicet, ad lachrymas doloris, ad lachrymas pœnæ impatientis, & ad lachrymas amoris vulnerati, quarum omnium causa prorsus supernaturalis est, & infusa, licèt naturaliter per oculos profluant: Unde ejusmodi lachrymas vocamus infusas, non solum propter earum causam, sed etiam quatenus citra omnem animæ facultatem, & considerationem effunduntur; nihil enim sufficere posset, si

à Deo

à Deo misericorditer, & supernaturaliter non darentur.

147 Causa igitur earum est quoddam lumen supernaturale, & infusum, una cum ardentissimo, & infuso ardore charitatis, quibus anima per altissimam Dei notitiam, & flammam amoris vivam ita vulneratur, quod juxta statum suæ perfectionis, ex vi infusionis vehementis in varia lachrymarum genera dissolvitur; (*Blosius ubi supra*) unde triplicis lachrymarum generis una, eademque est causa, & tantum in subjecti dispositione, & statu est diversitas (*Richardus ubi supra*.)

148 Itaque doloris lachrymæ procedunt ex prædicto lumine infuso, quo anima ex una parte profunde cognoscit, & penetrat divinam bonitatem, & quàm digna sit ab omnibus infinite amari; simulque ex alia parte omnia sua peccata, & ingratitudines, tanquam illi bonitati oppositas vivissima luce intuetur: ex qua nimirum oppositione, superveniente amore infuso, & vulnerante, in intensissimi doloris lachrymas erumpit, & interdum adeo vivas, & penetrativas, quòd si Dei confortatio defuisset, præ nimio dolore, & pœna moreretur, ut ostendit Richardus *Ubi supra*.

149 Hæ lachrymæ in omni animarum statu evenire solent; communiter tamen in statu proficientium, & tunc in ejulatus, & suffocationes spiritus convertuntur: Si autem anima sit in statu perfecto, magis tranquillæ sunt, & suaves: Si verò sit in statu uninnis passivæ, prorsus quietæ sunt, & suavi, tranquilloque dolore sensim per lumina stillantur: Et quia in quovis statu perfectissimæ sunt, nullo unquam modo debent impediri, sed ab hominum conspectu abscondi: Quod si forte sint impetuosæ, & ejulantes, debent ad suavem tranquillitatem in quantum sit possibile reduci.

150 *Lachrymæ pœnæ impatientis*, potius à voluntate incipiunt, quàm ab intellectu, licèt hic pariter altissima Dei imbuatur notitia; præcipuè ejus immensæ bonitatis, cujus magnitudinem sufficienter amare nulla omnium creaturarum corda cognoscit: Quamobrem voluntas viva divini amoris flamma vulnerata, ita in dilecti desiderium rapitur, quòd vivida & adusta sit affecta, & impatienter dissolvi cupiens, in impatientis desiderii lachrymas, cor suum per oculos ubertim stillat, ut testantur Rusbrochius (*De ornat. spirit. nupt. lib. 2. cap. 12.*) & Fr. Thomas à Jesu (*De orat. divin. libr. 3. cap. 6.*) quod evenit ex defectu sufficientis purgationis, & alicujus ad recipiendam communicationem ineptitudinis: Propterea ejus lachrymæ, nec omnino carent ejulatibus, & singultibus, nec aliqua imperfecta inquietudine, quæ per studium procurandæ tranquillitatis tollenda est; quia ut bene suadet Ludovicus Blosius (*In paradys. anim fidel. cap. 24. num. 1.*) etiam in sanctis fletibus modus habendus est, ne caput debilitetur; maxime dum ipsæ lachrymæ cum vehementi confractione funduntur.

151 Hæ lachrymæ perfectiores sunt præteritis, sed adhuc indigent sedari, & pacificari. Ad quod mirum in modum prodesse potest cum divina voluntate conformitas, quia licet ad tam aridam sitim extinguendam gutta conformitatis non sufficiat, tamen eam aliquantulum temperat, & refrigerat, & nullum aliud suppetit medicamen ad hujusmodi sitibundum desiderium mitigandum, nisi sola conformitas resignata.

152 *Lachrymæ amoris vulnerati* ex prædicto etiam cæterarum principio oriuntur; differunt tamen in animæ recipientis statu, siquidem jam est perfecte purgata, & illuminata, ac perinde fortius, & delicatius vulnerata, & ignita, ut tenent Joannes Rusbrochius *Ubi supra*, *lib. 2. c. 24. in fin.* Fr. Thomas à Jesu *Ubi supra*, *lib. 3 cap. 6.* & alii passim; in quo amoris fœlicissimo rogo cor exustum, conflagratum, quasi in sublimatorio positum, suaves & dulces per oculos stillat guttas, ita ut sæpius illa ignorante, non solum madefacta, sed tota inebriata à loco orationis assurgat. In his lachrymis nihil restat agendum Directori, quia in causa, modo, & in effectibus valde proficuæ, & perfectæ sunt, & aliquando ex dono speciali solent alicui habitualiter concedi.

153 Hoc triplex infusarum lachrymarum genus à fallaciis Dœmonis est immune, nullo quippe lucro ille inducet animam ad veram, & lachrymosam pæni-

nitentiam peccatorum, neque ad desiderium ardens potiendi Deo, neque sitim divini fontis veram inferre poterit; minusque lachrymas puri, & perfecti amoris producet: Potest tamen producere lachrymas sensibiliter dulces, & suaves; sed perfecta motiva supradicta nunquam habere poterunt, & licèt in principio videantur suaves, & dulces, sensim verò in amaras, & insipidas vertuntur: Quamobrem Magister bene perpendat causas, & motiva, simulque effectus lachrymarum, ex quibus facile in veri earum fontis cognitione venire valebit.

154 Denique solet Deus aliquibus elargiri donum infusum lachrymarum, & interdum his qui nondum bene purgati sunt, ut bene notat Fr. Thomas à Jesu *Ubi supra, libr. 2. capit. 2.* In his lachrymæ non habent motiva perfectorum, quæ adhuc in prædicto dono semper statui recipientis accomodantur, & ex eis poterit Magister statum animæ cognoscere, dummodo ejusmodi donum supernaturale sit, & non potius infirmitas naturæ; quia sunt nonnulli ita pusillanimes, effæminati, & lachrymosi, quòd ad quamlibet devotiunculam, affectum, laborem, aut eventum tenerrimum, illico plorant, & similiter aliqui Magistrorum, qui adeo filiorum suorum profitentur esse parentes, quòd de illorum omnibus eventibus magna agunt mysteria, atque prædictam naturæ facilitatem nomine doni lachrymarum baptizare non dubitent: Igitur lachrymæ veræ, & supernaturales mirabiles in anima pariunt effectus; nempe, altissimam Dei æstimationem, aversionem creaturarum, contemptum sui ipsius, mirabilem fervorem, & pacificam conversionem ad interiora: Quæ autem à naturali pusillanimitate procedunt, si nimiæ sint, causant pœnam, lassitudinem, distractionem, & aridam tepiditatem.

CAPUT XVI.

De impetu supernaturali, & infuso.

155 DE impetu supernaturali tractaturi, potius ad experientiam quàm ad libros mysticos recurrere debemus, cum fere nullus sit qui in omnibus animæ statibus impetus hujuscemodi singulariter exponat, & plurimis Magistris passim compertum est, difficulter animabus sic impetitis posse provideri, quinimo & earum motus, & insolitæ irruptiones solent multum animos Directorum torquere.

156 Igitur sciendum est, quòd sicut esse potest ira bona, & sancta, ut constat ex Psalmista dicente: *Irascimini, & nolite peccare* (*Psalm.* 4. 5.) Ita etiam est impatientia sancta, juxta illud propheticum: *Noli in patientia tua suscipere me* (*Hierem.* 15. 15.) Impatientia, sive impatiens divino amore fruendi impulsus, est impatientia sancta, quæ secundum animarum status magis, aut minus perfecta est, & interdum potest esse positive imperfecta; quamvis non mala. Perfectam divini amoris impatientiam exposuit Paulus cum dixit: *Coarctor è duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo* (*Ad Philip.* 1. 23.) Ex hoc igitur impatienti amore, sive ex hac amatoria impatientia, supernaturales impetus gignuntur.

157 Qui in veriori opinione dividuntur in materiales, & spirituales, *Materialis impetus* oritur ex altissima Dei cognitione, quæ animam ad modum radii illuminat, una cum vehementissima amoris flamma, qua anima quasi ignita sagitta vulneratur; ex cujus vulnere (Theresia teste *In Vita sua, c.* 29.) „ Anima mori „ cuperet; cujus dirissima pœna, & sua„ vis gloria, ita eam desipere facit, ut „ quo se vertat nesciens, dum magis „ vulnerari, & conflagrari conspicitur, „ in extraordinarios impetus movetur.

158 Fere semper hujusmodi impetus fiunt animæ non recollectæ, sed repente, & improvise à Domino accersitæ, nullumque clare circunspicit, licèt personam vocitantem non ignoret; scit namque sufficienter, quòd nullus (Deo excepto)

cepto) ejus ita possit rapere potentias. Hic vocationis modus nihil aliud est, nisi lumen promptum, & velox, in quo ipse Deus altissime communicatur, obscuro tamen fidei velamento circumamictus, qui simul, ac semel per vividam amoris flammam intime voluntatem consauciat, & velociter reflexionem luminis eripiens, animam vulneratam densissimis consitam tenebris relinquit; quæ dum in tenebris est, nihil præter vulneris dolorem sentit, & obscuritate desipiens, vulnerantemque quærere, & comprehendere non valens; in impatiens ejus desiderium impetuoso voluntatis motu irrumpit.

159 Sæpissime (ut notat Fr. Philippus à SS. Trinitate *Theol. myst. p. 3. tract. 1. disp. 3. art. 4.*) sentit anima subito veluti sagitta à Domino immissa, vel tonitru quodam excitari, & interdum in exordio tota tremit, lamentatur, & dulcissime se consauciatam sentit; quandoquidem à quo, vel quomodo vulnerata fuerit ignorat, quod fit per promptam ablationem reflexionis luminis, & intensiorem infusionem amatoriæ flammæ; qua nesciens, exuberat incendio, vocibusque clamorosis de sic eam vulnerante, & de dirissimo dolore vulneris, amatorie conqueritur: „ Quod vulnus (teste Theresia) adeo „ forti impulsu ferire contingit, quòd om„ ne corpus confringitur, & conquassa„ tur, ita ut nec brachia, nec pedes mo„ vere valeat; imo si suis pedibus stete„ rit, ei necessarium sit consedere, & qui„ dem anima tota transportata, non po„ test anhelitum penitus emittere; unde „ exiguos, demissosque jactat gemitus, „ quasi ad majores impotens; qui licèt „ sint clamore exigui, dolore tamen per„ quam magni sunt. Hæc Seraphica Mater, *Ubi supra*: & propriissimo penicillo depicta.

160 Aliquando Deus manifeste, & vultu ad vultum sagittas luminis, & amoris animæ infligit; quæ flammis exuberans, in tam varios, tanque impetuosos impetus exilit, quòd insanire, & furere videatur, ut affert Richardus: *De grad violen. charit part 1. fol 136. litt. B* præterea creaturas nimis abhorret; ad Creatorem irrequietis conatibus aspirat; sæpe vociferat, & vulnere dulcius congemiscit, ejulatur, salit, strangulatur, atque in terram dejicitur. Cujus merito dilectionis dolores nullis aliis melius potuit sponsus comparare, quà mortis, & Inferni dicens: *Quia fortis est ut mors dilectio; dura sicut Infernus æmulatio (Cant. 8. 6.)*

161 Omnes prælibati impulsus dicuntur materiales, & sensiles; non quia eorum causa sit materialis, quando quidem est pura, & spiritualis cognitio, una cum infuso, & spirituali amore; sed quia effectus sunt materiales; vel ut propriùs loquar, anima in materiales effectus, & impetus prorumpit: Præterquamquod etiam appetitui sensitivo communicatur per redundantiam, & licèt in superioribus potentiis recipiatur divinus impulsus, sed quatenus in appetitu sensitivo hujusmodi impetus generantur, merito materiales impetus vocamus; qui secundum majorem, aut minorem animæ purgationem, plus, vel minus inquieti sunt, & fortes; à quibus longe distant impetus spirituales, ut infra dicemus.

162 Frequenter comitantur impulsus aliquæ Visiones exteriores, vel imaginariæ, & frequentius ex hujusmodi Visionibus oriuntur impulsus, & interdum ex intellectuali Visione, ut affirmat B. Theresia *Ubi supra*: hoc est, à lumine, & amore per Visionem communicatos, & sunt Visionis substantia; non à cortice Visionis, quæ tantum objective, & ab extrinseco movet animam, & inefficax est ad tam vehementes effectus producendos.

163. Prædicti impetus, licèt sint materiales, nulla possunt arte à Dæmone causari, ut testatur Theresia *In Vita sua, c. 20* dicens: „ Non hic cogitare libet, quòd „ hæ sint res, vel à natura motæ, vel „ à melancholia effectivæ, vel à Dæmonis „ illusione productæ; nec minus quod sit „ vehemens appetitus, aut imaginatio, „ cum facile cognosci possit, quòd omnia „ hæc ab immutabili Deo procedant, quia „ valde absimilia sunt ab aliis devotioni„ bus, ubi intima absorbitio voluntatis „ potest nos dubios reddere. Nullo modo potest Dæmon immediate spiritualibus potentiis vim inferre, sicut evenit in hujusmodi impulsu, quia clare percipit anima locum vulneris, & consauciatam esse voluntatem superiorem.

164 Ce-

164 Cæterum sapidam pœnam quam ejusmodi vulneratio causat, simul cum effectibus quibus impetu prætermisso anima locupletatur, nec imitari potest Dœmon, quia ut ait Theresia *: Mans. 6.cap.2.* „ Nunquam potest Dœmon sapidam pe- „ nam huic consimilem tribuere, licèt ple- „ rumque possit dare saporem, & dele- „ ctationem quasi spiritualem; tantam „ verò, & talem pænam, simul cum „ gaudio, & animi tranquillitate con- „ jungere, extra suum arbitrium est: Om- „ nis ejus potestas ad exteriora reducitur, „ & dum pœnas confert, non sunt pacifi- „ cæ, sed inquietæ, & belligerosæ. Hæc Sancta Mater, quæ proculdubio loquitur de impetu, non materiali, sed spirituali, in quo est animi tranquillitas, simul cum pæna vulnerante. In impetu verò materiali ingens est inquietudo in appetitu, licèt interdum spiritus possit esse tranquillus, sed raro; nihilominus tamen pœnam sapidam quæ hujusmodi impulsus materiales comitatur, Dœmon causare, aut effingere nequit, & multo magis cognosci valet per effectus, in quibus ipse zelari non potest.

165 Quia nimirum ejus impetus sunt male impatientes, desperati, tenebrosi, & animum afficiunt tædio, lassitudine, tristitia, & in sapore (ut ait Ignatius de Loyola *De regul. ad plenit. spirit. reg 6.& 7.*) quos sensim in rabiem vergit, simulque in motus sensuales, & turpes, & anima ita remanet inquieta, quasi acubus pungeretur; nullum deinde affectum in Deum, & virtutem, quinimo ad creaturas, & vanam complacentiam conferunt, & denique omnes effectus contrarios bono spiritui pariunt.

166 *Impetus, sive impulsus pure spirituales, & infusi* oriuntur ex prædictis lumine, & amore, licèt prætet itis sint longe altissimi, suavissimi, delicati, & fortes; sed nihilominus nullos fere violentos, & inquietos pariunt effectus, & quamvis spiritus majori efficacia appetat, concupiscat, & moveatur, est tamen absque strepitu sensibili absque inquietudine, & præcipiti motione, quatenus anima est jam sufficienter purgata, & fere disposita ad infusionem luminis, & amoris, & à consortio specierum materialium, & phantasmatum absoluta: „ Tunc anima „ (verba sunt Seraphicæ Theresiæ *Mans.* „ *6. c. 2.*) vivis in desideriis ardet: sed „ sapidis, pœnosis, & simul quietis, pa- „ cificis, resignatis, & dulcibus; qui li- „ cèt eam conflagrent, & amatoriis deli- „ ciis afficiant, illa tamen tranquille, & „ moderate movetur.

167 His denique impulsibus utitur Deus tanquam administris ad perficiendam tertiam purgationem amoris, ut ibi dicemus; in quibus nec naturale opus, nec Dœmonis fallacia ingeri potest; nec similiter debent, aut possunt impediri; ex eis quippe ingens animæ profectus, & bonus multiplex effectus suboriuntur, & aliquando in extasim terminantur.

CAPUT XVII.

De practica instructione Directoris circa hujusmodi impetus supernaturales.

168 Omnis instructio Directoris ordinanda est ad primam impetuum differentiam, scilicet materialium; nam in pure spiritualibus nihil ei restat agendum: Igitur in illis duo intelligere debet Magister; primum, quòd sunt communicationes status nondum perfecti (ut testatur Bonaventura *de profe. Relig lib. 2. capit. 76.*) & communiter præcedunt purgationem passivam spiritus, cum anima non est adhuc penitus purgata, neque ab habitibus imperfectis omnino libera, neque ab exercitio materialium formarum abstracta, ac perinde pluribus spiritualibus vitiis subjecta; cujus exiguæ purgationis causa inepta est ad recipiendam tranquille, & pacifice divinam infusionem; ideoque in motus insolitos, & impetuosos erumpit.

169 Secundum, quod hisce sensibiles impulsus, utpote nondum perfecti, debent moderari, & pacificari, & eorum impatiens desiderium in tranquillam, & suavem pacem converti, quatenus perfecta deiformitas valeat introduci: In ipso tamen motionis calore non debet impetus violenter compesci, quia multum nocere naturæ, quandoquidem causa est potens, & motus nimis violentus, &

præ-

præceps: Igitur fieri debet suaviter, eo modo quo exprimit expertissima Teresia per hæc verba: „ Hæ accelerationes debent pacificari, curando nimirum illas intra se suaviter colligere, & animæ vagitus consopire, quemadmodum contingere solet infantibus, qui interdum adeo acceleratum habent fletum, quod vere suffocari videantur; quibus paululum aquæ ministrando, nimius ille, atque acceleratus vagitus demulcetur. Hæc illa, & pulchre quidem (*Mans.* 6. *cap.* 2.)

170 Quod si neque id sufficiat, imaginationem per honestam occupationem divertat, vel in segreto cubiculo vocibus, & suspiriis oppressum cor respirare permittat, & fervore impulsus prætermisso, ad amatoriam Dei notitiam suaviter assurgere procuret, nullo unquam modo imagines, & phantasmata admittendo; quia cum appetitus sit vehementer motus, & irritatus, atque ad impetuosas emissiones multum proclivis, si illi per sensibilia objecta novum pabulum ministret, potius illum omnino præcipitem, quam pacificum reddet.

171 In illis impulsibus, quos à malo spiritu processisse cognoscat, præveniat animam, quòd per protestationem expressam dissentiat Dœmonis astutiis, atque ea omnia faciat, quæ circa visiones mali spiritus supra *Cap.* 4. *nu.* 32 & 33 dictum est; & prætermissa impulsus violentia, curet diligenter, quòd anima in simplicem, & amatorium Dei intuitum se conferat, atque per humilem resignationem diabolicam illam rabiem sedare procuret, Deumque suppliciter exoret, quòd eam à fallaciis dirissimæ bestiæ eripere dignetur.

172 Frequenter occurrent Directori plures animæ, quæ vel ex fervorosa meditatione, vel ex aliqua sensili devotione, vel ex cujusvis rei devotæ auditione, in affectus impetuosos moventur, utpote in fletus ejulatus, suspiria, clamores, & interdum in præcipites actiones, vel immoderata desideria inclamandi Dei bonitatem, exaggerandi vocibus misericordiam, comminandi justitiam, convertendi mundum universum, & adeundi Infideles ad assequendum sanguinis Martyrium; quod sæpissime adhuc in fœminis videtur, & aliquando virilem habitum induentes, Civitatem relinquunt, quam inhabitant, deserta pererrant, & alias amentiæ, potius quàm virtutis operationes efficiunt. In his, & similibus insolitis affectibus solet animus Directoris multum torqueri.

173 Ad cujus spiritus cognitionem, diligenter perpendat Director genium animarum, simulque causam, impulsum, & effectum, & si anima illa sit adhuc in tyrocinio spiritualis vitæ constituta, neque laborat aliquo morbo lunatico, vel humore melancholico, vel indole præcipiti, impetus illi possunt esse boni, & supernaturales, & tunc sedari debent modo supradicto; & effectus, & emissiones ad regulas prudentiæ reducere.

174 Si autem anima aliquo ex prædictis accidentibus laboret, putare potest, quòd impetus illi sint motus naturales genii melancholici, & lunatici, quamobrem potius medicinæ remediis, quàm mysticis instructionibus subvenienda est. Sed si adhuc de genio, & de modo infusionis dubitet, ac per eos dignoscere spiritum non possit; ad effectus recurrat, qui proculdubio ei spiritum indicabunt.

175 Nam si effectus sint conformes spiritui bono, ex his quos supra retulimus, impetus erunt boni, & à bono spiritu procedentes, & è converso, si effectus sint pessimi, & ex his quos nequam spiritus producit. Si autem nullum specialem effectum bonum, nec malum in anima producant, sed tantum lachrymas, ejulatus, vel amentes actiones, ex quibus anima remanet laxata, frigida, & debilis; absque dubio à naturali genii facilitate oriuntur.

176 Sed si adhuc cognoscere velit à quo naturali genio procedant; an scilicet à genio pusillanimi, vel lunatico; præcipiat animæ quòd dum impetus illi obveniunt, viriliter eis resistat, penitusque abscindat, & compescat, & observet quomodo suo præcepto pareat: Si enim paruerit, & in quantum ei possibile sit motus illos resecare procuret, à spiritu pusillanimitatis, & facilitatis indubiè procedunt: Si autem nec jussis acquiescat, vel si dum acquiescere incipit illico per motum

V tum

tum velocem ad captum mentis movetur, ducitur plane à ſpiritu lunatico, & melancholico; unde ad medicinæ remedia recurrendum eſt. Videat Director Fr. Philippum à SS. Trinitate *Theol. myſt. p. 3 tract. 1. diſt. 3. art. 4. per tot.*

CAPUT XVIII.

De deliquio virium materialium.

177 QUanquam ſecundum communiorem ſententiam ex materialibus impulſibus deliquia materialia generantur, nihilominus multa fiunt virium deliquia, quę ab impulſibus originem non trahunt, utpote quia ſenſim, & paulatim ab aliqua recollectione procedunt; propterea interdum fiunt pedetentim animæ recollectæ, & interdum ſubito animę non recollectę. Cauſa eorum inſtrumentalis eſt lumen infuſum, quo Deus ad ſe rapit animæ potentias, vel repentina vocatione, vel lenta, ſed profunda abſorbitione: „ Et tunc animæ (ait Thereſia *In Vita ſua, cap.* 20.) paulatim halitus contrahitur; adeo, ut neque loqui, neque „ oculos valeat aperire, & quandoquidem „ hoc in Viſionibus contingit, hic tamen „ longe fortius evenit; quia naturalis ca„ lor neſcio quò aufugiat; nam ſi ingens „ ſit deliqiuium, manus remanent rigen„ tes, & ſæpe quaſi ligna ſpanſæ; cor„ puſque ſi ſtat ſuis pedibus, vel flexo „ poplite, ita immobile perſeverat. Et alibi ait: „ In his deliquiis videtur quòd „ anima non informet corpus, ſeſeque „ rigens, & calore naturali deſtitutum „ exhibet, & quaſi anima carens; manus „ ejus, & corpus omnino frigeſcunt, cu„ jus halitus aliquando difficile percipitur Hæc Mater Seraphica (*Manſ. 6. capit.* 4.)

178 Inter has examinationes, quibus corpus quaſi mortuum conſpicitur, ejus mens adeo vivide, & ſublimiter divino objecto eſt attenta, quòd ut teſtatur Thereſia „ nunquam fuit ita vigilans ad intelli„ gendum divina; neque in tali, & tam „ elevato ejus Majeſtatis lumine, & co„ gnitione. Senſus autem ſunt ita mortui, quòd licèt acubus pungantur, nullum dolorem capiunt, neque vitalem motum efficiunt.

179 Hoc porro deliquium torquere ſolet animum Directoris. quatenus ita corpus exanimat, quòd fere nullum ei viventis ſignum oſtendat. Nos autem aliquorum experientia, & myſticis principiis innixi (licèt forſan à certitudine declinemus) ſenſum noſtrum exponere decernimus; quandoquidem ab omnibus dicitur evenire deliquia cum omnimoda ſenſuum alienatione, quæ ex receſſu animæ ad interiora contingit; quod quidem non ſufficit ad plenam tam rari effectus notitiam. Aliquas verò adjiciemus cauſas, quarum approbationem expertorum, & Doctorum judicio relinquimus.

180 Primò, poteſt hoc deliquium provenire ex modo quo Deus ſenſus corporis aggreditur, & concutit, quatenus per ſubitum raptum potentias in ictu oculi extra ſe, id eſt, extra ſuum modum operandi violenter extrahit; quamobrem anima curret tunc naturali temporis ſucceſſione ad operandum, unde naturalis viciſſitudo confunditur, ſenſus obruitur, anhelitus ſuffocatur, & corporis membra manent frigida, & rigentia (ut tenet D. Thomas 1. 2 *q. 175. art.* 4.) & hoc quandoque videtur in his qui magna infœlicitate, vel repentina lætitia tanguntur, in quibus tota vis affectus rapitur, quin ſuppetat illi tempus, ut ſucceſſive, & cum debita lentitudine operetur, affectumque dilatet, & reſpiret; propterea vires animi ſuffocantur, & interdum deliquium, interdum verò vitæ extinctio ſubſequitur.

181 Secundò, contingere poteſt, quatenus appetitus ſenſitivus partim turbatus ex repentino animæ motu, & partim commotus ex redundantia intimæ communicationis, ita vehementer erumpit, quòd humanum cor (in quo diximus *Sup Tract. 2. c. 5. n. 45* vitam reſidere) ſic debilitetur, & langueſcat, quòd cæteris membris (ut par eſt naturali providentiæ) neceſſarium ſit cum ſuo proprio calore confovere; unde illa manent frigida, & rigentia: Quod etiam evenire conſpicimus hominibus iracundis, quibus repente aliqua injuria irrogatur, quòd exardeſcente nimis appetitu vindictæ, adeo cor illorum concutitur, quòd indigeat à cæteris membris per eorum calo-

calorem, & Sanguinem reparari; quamobrem homo ille redditur pallidus, ejusque membra magis, vel minus rigentia: Cum igitur hoc à naturali causa fieri possit, multo magis à supernaturali poterit fieri.

182 Tertio, forsan procedet ex novitate infusionis luminis supernaturalis; res quippe alterius vitæ cum sphæram naturæ superent, quandoquidem anima est naturalibus tantum assueta, adeo eam in stuporem rapiunt, quòd non solum nimio pavore concuti, sed etiam exanimis, & semimortua poterit reddi, ut Prophetæ Esdræ contigisse, testatur ipse dicens, *Ecce Angelus venit ad me, & factus sum tanquam mortuus, & intellectus meus alienatus est.*

183 Quarto, oriri potest deliquium ex timore, & pavore qui præcedit hujuscemodi communicationis, quo anima concussa, & perterrita rigens maneat, & pene mortua, ut contigit Evangelistæ Joanni, cum per supernaturale lumen vidit filium hominis præcinctum podere, qui *cecidit ad pedes ejus tanquam mortuus* (*Apocalyp.* 1 17) & sæpius evenire contingit his quibus subito aliquis defunctus apparet.

184 Quinto, potest evenire ex violentis impulsibus supra relatis, ut expresse tenet Mater Theresia his verbis: „ Adeo „ ingens est pœna, ut anima vix illam „ sustinere valeat, & interdum mihi pul„ sus extinguuntur (juxta relationem ex„ pertarum Sororum ad me accedentium) „ tibiæ mihi aperiuntur; & manus ita ri„ gent, quòd eas vix adjungere valeam; „ quamobrem ingens dolor in pulsibus, & „ in toto corpore (quasi vere dissectum sit) „ durat in crastinum (*S. Theresia in Vita sua, c.* 20. *in medio.*)

185 Sexto, & ultimo, evenire potest ex augmento intimæ recollectionis, quatenus anima ad sui fundum per divinam virtutem repente vocata, ita omnes suas vires colligit, quòd nullus pro sensibus calor neque spiritus remaneant: „ Deus „ animam totam sibi surripit (verba sunt „ Theresiæ) eamque quasi rem propriam „ à terra elevat, & alienatam à sensibus „ secum ducit; unde ei paratos sui Regni „ thesauros incipit demonstrare; & ne „ obstaculum fiant potentiæ, aut sensus, „ jubet illos obstruere; propterea cum „ anima sic rapienda est, continuo priva„ tur anhelitu. (*S. Theresia Mans.* 6. *capit.* 4.)

CAPUT XIX.

De practica instructione Directoris circa hæc materialia deliquia.

186 Priusquam doctrinam, & instructionem in tam periculosa materia demus Directori, oportet scire, quòd hujusmodi deliquia sunt effectus spiritus non purgati, neque ad pure spiritualia dispositi, propterea quippe fiunt deliquia; nam si anima omnino purgata esset, nullis deliquiis indigeret ad ejus sensus interceptandos, ut ex textu antecedenti B. Theresiæ constat; ibi etenim dicitur. *Et ne obstaculum fiant potentiæ, aut sensus, jubet has portas obstruere.* Ex quo colligitur propterea impediri, & alienari, quia ab eis anima quoad exercitium non est absoluta, nec purgata, ideoque divinam communicationem impedirent: Ergo hæc deliquia, & examinationes fiunt causa dispositionis, & incapacitatis animæ ad pure spiritualia, & divina; quod quidem valde notandum est, ne dum in aliquibus libris ea tantopere commendata reperiant, putent, esse favores magni pretii, & perfectionis, cum revera sit valde contrarium.

187 Nec huic veritati obstare poterunt aliqui textus Mysticorum male intellecti, quandoquidem non de hoc deliquio, sed de spiritualissimo Raptu loquantur, quem propter aliquid quod habet commune cum hoc deliquio, sæpe sæpius deliquium vocant, utpote propter alienationem sensuum, quæ similiter contingit in Raptu, quamquam substantialiter sit longe diversus; sit enim spiritibus perfectis, à quibus regulariter absunt deliquia, quæ omnino perfecta non sunt; imperfectio tamen se tenet ex parte animæ recipientis non verò ex parte recepti luminis, quod est perfectum sublime, & elevatum.

188 Hæc deliquia præcavenda sunt ob triplicem causam; vel quia possunt esse

V 2 mere

merere naturalia; vel quia à Dœmone poſſunt cauſari; vel quia animæ poſſunt eſſe inſalubria. Poſſunt eſſe naturalia, & præcipue in fœminis, quatenus habent animum adeo puſillanimem, & meticuloſum, & adeo ſtrictum ſpiritum, & contractum, quòd ex aliquibus ſenſuum apprehenſionibus hujuſcemodi deliquia patiantur, ut ſatis compertum eſt in pluribus fœminis, quæ ex ſubita viſione muris, colubris, aut lacerti, ita expaveſcunt, quòd plerumque quaſi exanimes collabuntur.

189 Poteſt & ſimiliter contingere ex nimia cerebri debilitate, aut corporis imbecillitate, maxime in his qui indiſcretis rigoribus, & pœnitentiis ſe macerant, quia nimirum dum prædicti vehementer applicant materiales potentias exercitio orationis, & meditationis, naturalis calor deficit, & poſſunt ſequi. hujuſcemodi deliquia, ut olim in quadam fœmina viſum eſt, cui expertiſſima Mater Thereſia hac de cauſa deliquia evenire cognoſcens, perſuaſit, quòd optimo alimento debilitatem cerebri, corporiſque reficeret, & hoc modo illi deliquia evanuerunt.

190 Ut igitur dignoſcat Magiſter quando ex naturali cauſa deliquium procedat, obſervet, ſi dum corpus hoc deliquium patitur, mens eſt etiam extincta, debilis, aut inefficax; quia tunc deliquium erit à naturali, & non ab infuſa cauſa: Si verò dum emortuus eſt uſus ſenſuum, potentiæ ſpirituales altiſſime, & vivaciter in Deum, aut aliud ſpirituale objectum occupentur, ita ut clare percipiat nulla naturali cognitione poſſe illud ita cognoſcere, tunc manifeſte erit deliquium ex cauſa infuſa, & ſupernaturali. Quòd ſi forte interdum eveniat (raro tamen) quòd anima hanc ſuæ mentis altiſſimam occupationem non percipiat, effectus tamen cauſam deliquii manifeſtabunt; quia naturale deliquium in anima generat debilitatem, laſſitudinem, teporem, tædium virtutis, & requieſcendi cupiditatem: In ſupernaturali verò, quamvis laſſitudinem corpus ſentiat, ſpiritus tamen redditur promptus, agilis, fervidus, & ad omnia quæ laboris ſunt, & virtutis converſus, quamobrem ſi prius ſignum deficiat, recurrat ad verba ſigni ſequentis.

191 Poteſt etiam deliquium à malo ſpiritu procedere, quatenus, animam ad vanitatem, & propriam æſtimationem alliciat, vel perfectioni ludibrium, & miniſterio opprobrium inferat; utpote præbendo malis, & hypocritis deliquia materialia, ut ab hominibus in magno ſanctitatis pretio habiti, poſtea eiſdem ſit virtus in vituperium; quandoquidem eos quos quaſi ſanctos, & perfectos venerabantur, vident, tanquam ſeductores, & hypocritas à Sancto Inquiſitionis Tribunali puniri; quamobrem apud populares via recollectionis infamatur; non abſque detrimento multorum, & ipſius Dœmonis lucro.

192 Ad cognitionem ergo veri deliquii à falſo, perpendere debet Director modum, quo anima agitur; an ſcilicet ejus interiores, & ſpirituales potentiæ ſubito raptæ ſint, atque in profunda Dei cognitione, & amore conſtitutæ; quia tunc abſque dubio procedit deliquium à bono ſpiritu, qui ſolus poteſt immediate ejuſmodi potentias rapere: Vel ſi per aliquam formam imaginariam, vel phantaſma oblatam imaginationi fuit à ſenſibus alienata, abſque cognitione raptus ſpiritualium potentiarum, ſed cum ſenſuum enervatione, & extinctione manſit ſpiritus obſcurus, otioſus, vel per mentis hebetudinem conſopitus, quia tunc deliquium erit à malo ſpiritu.

193 Et ad majorem ſui ſatisfactionem attendat deinde Director ad effectus luminis infuſi; nam quod à Dœmone infunditur, eſt lubricum, ſuperficiale, emortuum, pavoroſum, & inſuave, & anima remanet inquieta, turbata, debilis, ad terrena proclivis, vanitatem, & æſtimationem appetens, ſavores ſupernaturales inhians, mortificationem formidans, & quidquid delectationis, & evagationis ſunt, avide cupiens: Quæ omnia quamvis anima voluntarie non amplectatur, tamen ad ea nimis affecta ſentitur; quod ſufficit ut mala eorum radix dignoſcatur: è converſo ſunt lumen, & effectus deliquii à bono ſpiritu procedentis.

194 Difficilius longe eſt differentiam ſpiritus cognoſcere quando in eo aliqua imaginaria viſio animæ offertur, in qua ſe immi-

immiscere valet spiritus nequam, & efficaciter movendo appetitum sensitivum potest suadere ei, se divino, & spirituali amore liquefieri, cum revera humano, & sensitivo (& interdum impuro) amore concremetur. Pro hujusmodi igitur detegenda fallacia, debet recurrere Director ad ea quæ superius *Cap* 5. & 6. diximus de Visionibus imaginariis, à quorum molesta repetitione abstinemus.

195 Denique potest hoc deliquium esse nimis nocivum patienti, maxime si sub amoris, & cognitionis prætextu inordinate tradatur ejus delectationi, aut fruitioni; quia in eo qui inordinate delectationes hujuscemodi (quantumvis infusas) accipit, proculdubio æstimatio propria, aliorum contemptus, & supernaturalium rerum cupiditas generatur, & in hujusmodi deliquiis evidentius, utpote cadentibus in subjecto non purgato, & pluribus spiritualibus vitiis infecto. Cum autem adhuc bona spiritualia immoderate accipiat, ut late probat B. Joannes à Cruce *Lib* 1. *noct. obscur. capit.* 1. multo plus immoderate sumet bona ista materialia, & delectabilia; quamobrem poterit animæ esse valde nocivum.

196 Debet igitur Magister ad præcavenda prædicta damna vitandamque populi admirationem, & ex his deliquiis exterioribus oriri solet; primum, animæ injungere, quòd à Deo humiliter, & efficaciter postulet, ut à tam periculosis rebus eripiat, & per interiorem communem, & tritam perfectionis viam deducat, seque illi in silentio, & spiritus paupertate communicet; placet quippe Deo hæc petitio, qui animabus docuit in abscondito, & clauso ostio orare Patrem suum; quod quidem confirmat Theresia *In Vita sua*, *cap.* 20. de his deliquiis obloquendo, his verbis: „ Supplex oravi Dominum cum hæc mihi „ contingebant, scilicet quòd mihi denegaret favores, qui effectus exteriores „ producerent, & ita placuit Domino „ petitio mea, quòd deinceps nullum eorum experta sum.

197 Secundum, curet Director quòd anima in exercitio orationis penitus abstineat à loci compositione, à figuris materialibus, & à puro imaginationis exercitio; sed per pondus rationis (cum opus fuerit) meditetur; & cum mota sit, ad occupationem spiritualem fidei, & charitatis assurgat, assumpto tantum dono excitationis, & relicto quidquid deliquium habet materialitatis, & imaginationis. Quodsi notitiæ infusæ fuerint circa divinam essentiam modo superius dicto, eas pro suo posse satagat retinere, & eisdem utatur ad suam occupationem internam.

198 Tertium, curet Magister, non solum quòd animæ his deliquiis affectæ (quæ solent ex statu frequenter evenire) à consortio hominum, dum ea pati sentiunt, recedant; sed etiam si expertæ sint, quòd vel ex visione alicujus imaginis devotæ, vel ex locutione, & colloquio amoris Dei, aut divinorum, aut aliorum similium, ad hujusmodi deliquia excitantur, à prædictis rebus penitus abstineant, & in quantum eis interior occupatio permittat, dum deliquium patiuntur, a materialium formarum attentione spiritum retrahant.

199 Sed quia forsan eis difficillimum erit materiales formas repudiare, utpote quia tenaciter adhærent sensui, suaviter (ut ex Diva Theresia *Supra cap.* 17. *num.* 142 vidimus) & pedetentim debent ab imaginatione expelli, quandoquidem oportet eas omnino rejicere, ut liber spiritus, & solutus possit ad veram, & mysticam unionem evocare: Sed quia sunt nonnulli ita desides, atque ignavæ naturæ quòd falso putent se impotes esse ad hujusmodi formas eliminandas, debet Magister effectus eorum observare, quia si hæc difficultas oritur ex desidia, remanet ex eis anima tepida, insipida, & nimis defessa: Si autem ex legitima difficultate propter altissimos Dei fines proveniat, manebit anima fortis, hilaris, & fervida, & hæc pro communi deliquiorum instructione sufficiant.

CA-

CAPUT XX.

De Ecstasi supernaturali, & divina.

200 MEns hominis ecstasim patitur Doctore D. Thoma 1.2 *q* 28. *art.* 3. „ Cum extra se ponitur, quod quidem contingit, & secundum vim apprehensivam, & secundum vim appetitivam: Secundum vim apprehensivam aliquis dicitur extra se poni, quando ponitur extra cognitionem sibi propriam, vel quia ad superiorem sublimetur, sicut homo dum elevatur ad comprehendenda aliqua, quæ sunt supra sensum, & rationem, dicitur Ecstasim pati, in quantum ponitur extra connaturalem apprehensionem rationis, & sensus. Ex qua doctrina manifeste colligitur, intellectum hominis Ecstasim pati per cognitionem virtutis fidei Theologicæ; per eam siquidem extra se ponitur; id est, extra cognitionem sibi propriam, & extra connaturalem apprehensionem sensus, & rationis, & ad ea quæ sunt supra rationem, & sensum elevatur; quod confirmat S. Dionysius *De divin. nominib. capit.* 7. §. ratio quem exponens Angelicus ait: (*Ibi lect.* 5.) *Ipse verò per veram fidem est passus Ecstasim veritatis, quasi extra sensum positus, & veritati supernaturali conjunctus.* Idem docet ibidem Dionysius RiKelius *In Dionys. de div. nomin c.* 7.

201 Subjungit D. Thomas: „ Secundum appetitivam verò partem, dicitur aliquis Ecstasim pati, quando appetitus alicujus in alterum fertur; exiens quodammodo extra se ipsum. Primam quidem ecstasim facit amor dispositive, in quantum scilicet facit meditari de amato; intensa enim meditatio unius abstrahit ab aliis; sed secundam Ecstasim facit amor directe, simpliciter quidem amor amicitiæ; amor autem concupiscentiæ, non simpliciter, sed secundum quid „ Hactenus D. Thomas. Ex quo similiter deducitur, quòd voluntas hominis patitur Ecstasim per charitatem, quæ est amor amicitiæ erga Deum; per hanc siquidem voluntas humana ponitur extra se, & tota fertur in amatum, ob solam ejus bonitatem increatam, ut probat Dionysius *De divin. nominib. cap.* 4. quem sequuntur D. Thomas *Ibi lect.* 5. Dionysius Carthusianus *Ibid.* Rusbrochius *De sept. amor. grad. cap.* 13. Arpius *Theol. myst. part* 5 *lib* 3. *cap.* 31. & omnes communiter.

202 Sed licet secundum rigorem Theologicum ita Ecstasis fiat; nos autem ad præbendam doctrinam Directoribus debemus sumere Ecstasim eo in sensu, quo communiter à Mysticis accipitur, absque oppositione doctrinæ Dionysii, & D. Thomæ; maxime cum nullus amborum expresse affirmet, Ecstasim fieri absque ulla sensuum alienatione; sed tantum quòd Fides, & Charitas Ecstasim faciunt in intellectu, & voluntate; quod similiter omnes Mystici, quinimo & ipse Angelicus 1 2. *q.*28 *art.*3.*ad* 1 in Ecstasi intellectus, alienationem à sensibus concedit; alienatio quippe non provenit immediate à lumine, & amore infusis, sed ab intima, & profunda animæ attentione ad objectum divinum, quod per lumen fidei infusæ cognoscit, & per ardorem charitatis diligit, ut probat Dionysius Carthusianus *Theol. myst lib.* 3 *art.*17.

203 Propterea Ecstasis, ut cum multis tenet Jacobus Alvarez *De vit. spirit tom.* 3 *p* 3 *lib* 5. *cap.* 8 est: ELEVATIO MENTIS IN DEUM CUM ABSTRACTIONE A SENSIBUS EXTERIORIBUS, EX MAGNITUDINE ILLIUS ELEVATIONIS PROCEDENS. Hęc sensuum abstractio, sive alienatio ex eo provenit, quòd cum vires animæ limitatæ sint, & elevatio sublimis, & efficax, trahit, & recolligit ad se omnes vires animæ, quin ullæ remanere possint pro sensibus; quamobrem à suis sensificationibus omnino privantur, & hoc est consonum doctrinæ D. Thomæ 2 1. *q.* 175. *art.* 2. qui loquens de Raptu Pauli ait: „ Ex hoc enim ipso quod appetitus in aliquid vehementer afficitur, potest contingere quod ex violentia affectus homo ab omnibus aliis alienetur. Et idem potest contingere intellectui.

204 Cum igitur D. Thomas concedat, cognitionem facientem Ecstasim esse vehementissimam, adhærere videtur nostræ sententiæ; præsertim cum inter Ecstasim, & Raptum solum discrimen constituat in eo,

eo, quòd in Raptu spiritus patitur violentiam, secus autem in Ecstasi, & cum in Raptu concedat Sanctus Doctor alienationem à sensibus, necessario videtur quòd etiam in Ecstasi concedat; quæ omnia confirmat quidam expertus Carthusianus, dicens: „ Facit Ecstasim, id „ est, mentis abstractionem excessum „ à sensibus, & alienationem suavem, „ & nullatenus violentam, quæ est Ra„ ptus propria; dimovet profectò men„ tem à naturali suo statu, & cognoscen„ di modo (*Spert Carthus. select. myst. p. 5. c. 9 nu. 13.*)

205 Distinguitur Ecstasis à materiali deliquio, quia supernaturale lumen quod in Ecstasi communicatur, est purum, & prorsus intellectuale, sine ulla conversione ad phantasmata, ut affirmat idem Carthusianus inquiens: *Hoc lumen supra omnia phantasmata simpliciter in Deum transfert* (*Spert ubi supra*) Deliquium verò materiale, phantasmata, & visiones materiales admittit.

206 Distinguitur præterea, quia in deliquio non solum sensus alienantur, sed etiam patiuntur, rigent, pallent, & conquassantur: In Ecstasi verò, quamvis sensus alienentur, nihil patiuntur; imo plus remanent fortes, & corpus validius, in quo calor, & color naturalis conservantur; quia in deliquio alienantur sensus, non tam ex vi intimæ recollectionis, quàm ex vi infusæ impressionis, quæ violenter eos suspendit, alienat, & enervat, ut probat idem Carthusianus *Ubi supra* In Ecstasi autem alienatio sensuum provenit ex intima spiritus recollectione, & efficaci absorbitione, qua impotens redditur ad operandum per sensus, qui nec feriuntur, nec pallent, nec conquassantur, ut passim videmus in eo qui vehementi conatu, studio, aut alicui mentis occupationi se tradit, qui voces circumcursantium non percipit, nec utrobique stantes conspicit; ita enim ejus mens in studio occupatur, quòd nulla pro sensibus vis suppetit, sed non propterea sensus feriuntur, & conquassantur, sed in suo naturali statu remanent; ita similiter evenit in Ecstasi.

207 Hæc intima attentio, sive absorta cognitio, quæ in aliquibus Ecstasim facit, forsan in aliis pluribus efficeret deliquium materiale, quatenus eorum incapacitas ad sustinendum lumen infusum in superiori parte animæ in causa est, quod redundantia luminis inferiorem partem feriat, torqueat, & alienet. Si enim spiritus omnino esset dispositus, & capax invisccrandi in se lumen infusum, atque in se ipso colligendi, nulla in sensus violenta impressio redundaret; subindeque nullatenus læderentur, & animus in se ipso per efficacem attentionem recollectus Ecstasim pateretur: Sed si spiritus est sensibilibus immixtus, sensusque soleat in sua interna occupatione compartes efficere, necessario debet efficacia luminis utrosque ferire, illique respective se habere in ordine ad supernaturalem impulsum; spiritus nempe, qui dum patiens est, non laborat, nec concutitur tantummodo se absorbendo; sensus verò qui dum patitur, concutitur, & laborat se alienando, & suas vires dolorose amittendo unde deliquium materiale perficitur.

208 Ex quibus duo potest inferre Director; primum, quòd Ecstasis supernaturalis est communicatio status perfecti, & saltem per passivam purgationem sensus purgati, atque in sui operatione à materialitate sensuum abstracti, & ad exercitium pure spirituale conversi, ut constat ex Rusbrochio *Ubi supra* Arpio *Ubi supra* Philippo à SS Trinitate *Theol. myst. p. 3. tractat. 3. dis. 2. art. 2* & aliis; quamvis interdum utatur sensibilibus phantasmatibus, si facile illis relictis ad pure spiritualia consurgit, ibique habitualiter sciat quiescere, secus, non Ecstasis, sed deliquium fieret.

209 Secundò, quòd si ejusmodi quasi ecstatica absorbitio contingat animæ non in tali statu constitutæ, proculdubio Ecstasis non erit, sed vel profunda, & activa quietis oratio, vel intima recollectio, vel naturalis, & cogitabunda suspensio. Ad cujus differentiæ cognitionem requiritur indagare effectus, & finem talis absorbitionis: quandoquidem Ecstasis sublimes, & mirabiles effectus parit, ita ut anima quæ semel tantum veram Ecstasim passa sit, adeo redditur cœlestia appetens, & terrena odiens, quòd ei jam solum vivere Christus sit, & amori lucrum, utpote quia

potius

potius vivit ubi amat, quàm ubi animat: „ Proinde (ajebat Spert Carthusianus „ *Ubi sup.*) magnus ille Paulus divino „ isto amore captus, & ecstaticæ ejus „ vis particeps effectus, ore divinitus af- „ flato, vivo ego ait, jam non ego, vi- „ vit verò in me Christus. Hic quippe intimus recessus est illa vinaria Sponsi cella ubi ita charitas ordinatur, quòd jam nihil præter Deum, & omnia in Deo, & propter Deum diligat; quos quidem ita efficaces effectus in aliis recollectionibus non reperiet.

210 Plurimi Ecstasim vocare solent spiritus volatum; & quidem proprie, quia sicut ille qui pennis aerem scindit, leviter, suaviterque supra se elevatur, atque ab una ad aliam regionem faciliter transmigrat; ita similiter anima in ecstasi summa levitate, & suavitate, super se; id est, super suum naturalem modum operandi, extollitur, & ex regione sensibili materialium formarum, ad cœlestem, spiritualemque divinæ essentiæ regionem transmigrat, quasi nobilis Passer. Alii Ecstasim vocant Raptum, & quidem male, quia inter eos est manifesta diversitas, ut expresse tenet D. Thomas 2.2 *q.* 175. *art.* 2 & nos dicemus in sequenti Capite. Alii denique Ecstasim cum elevatione corporis immiscent, & plane improprie, quia licet in elevatione fiat Ecstasis, in multis tamen ab ea differt, ut suo loco videbitur.

211 Ecstasis quę mediante, lumine infuso in se ipsam colligit, absorbet animam, causat in ea regulariter reflexionem objecti cogniti; quamobrem ab Ecstasi excitata illius quòd cognovit reminiscitur, interdum clare, & interdum obscure; tametsi evidenter cognoscit per altissimam cognitionem, & amorem Deo appropinquasse; cujus efficacem memoriam diu in suo fundo conservat.

212 Veram Ecstasim nequit Dœmon efficere, quia impotens est ad spiritum in sui fundo colligendum, neque ad infundendum tale lumen absque prævio ministerio phantasmatum; maxime cum anima ecstatica sit jam à materiali phantasmatum usu soluta, & clare dignoscere poterit si lumen ab spirituali, infusoque impulsu immediate processit; vel si ministerio phantasmatum fuit illapsum. In animam verò quæ nondum à sensibus soluta est, poterit Dœmon ei deliquium materiale causare, & ita hebetare materiales potentias, quòd putet anima lumen illud infusum immediate in spiritualibus potentiis, ipsamque Ecstasim passam fuisse.

213 Dupliciter poterit Director Ecstasis differentiam dignoscere; uno modo per infusionem luminis, quærendo scilicet an sit habitum medio discursuum, & materialium formarum, vel à profundo animæ emerserit, absque intercalatione discursus, aut materialium formarum; cujus efficacia extra suum operandi modum intra se ipsam, quasi à quodam subtilissimo fune attracta, recolligitur, & absorbetur; quia tunc proculdubio erit Ecstasis vera, & à Dœmonis jurisdictione immunis: Secundo modo per effectus, qui in supernaturalibus omnibus sunt lydii lapides, sive cothicullæ, quibus aurum divinæ communicationis ab ære diabolicæ illusionis secernitur.

214 Denique, notitiæ quæ per veram Ecstasim communicantur, solent procedere ab habitu Doni Sapientiæ, & regulariter sunt cognitiones universales divinæ essentiæ, attributorum Dei, & Trinitatis, eo modo quo diximus *Supra cap* 12. *n.* 88. debere intelligi universalitatem cognitionis; quas quidem oportet minime repudiare; imo anima excitata ab Ecstasi debet mordicus conservare; quod forte earum obliviscatur, exercitium fidei, & charitatis inire procuret.

CAPUT XXI.

De raptu supernaturali, & infuso.

215 RAptus, juxta Angelicum Præceptorem 1. 2. *quæst.* 175 *art* 1. „ Violentiam quandam importat: Violentia autem dicitur, cujus principium „ est extra se, nihil conferente eo quod „ vim patitur (ut dicit Philosophus 3. „ *Ethicor*) Confert autem unumquodque ad id in quod tendit secundum pro- „ priam inclinationem, vel voluntariam „ vel naturalem, & ideo oportet, quòd il-

„ le

„ le qui rapitur ab alio exteriori, rapiatur „ in aliquo, quod est diversum ab eo in „ quod ejus inclinatio tendit; quæ qui„ dem diversitas attenditur dupliciter. „ Uno quidem modo, quantum ad fi„ nem inclinationis; puta, si lapis qui „ naturaliter inclinatur ad hoc quod fe„ ratur deorsum, projiciatur sursum: „ Alio modo quantum ad modum tenden„ di; puta, si lapis velocius projiciatur „ deorsum, quàm sit ejus motus naturalis. Hæc D. Thomas. Ex cujus doctrina deduci valet hæc divini Raptus definitio: VIOLENTA MOTIO SPIRITUS, QUA SUBITO MENS HOMINIS RAPITUR, VEL EXTRA FINEM SUÆ INCLINATIONIS, VEL EXTRA NATURALEM SUUM MODUM OPERATIONIS. Quæ definitio differentiam Raptus ab Ecstasi manifeste demonstrat, quia ad Raptum requiritur subita, & violenta motio spiritus, quæ mentem, vel interdum distractam, & extra divinam cognitionem positam, in divinum objectum violenter rapiat, vel interdum naturali modo, & per sensibilium apprehensionem (ut ait Angelicus *Ubi supra respons. ad* 1.) Deum cognoscentem, subito, & violenter ad illum rapiat cum abstractione à sensibus: Ad Ecstasim verò nulla concurrit violenta motio, aut impulsus, sed fit (ut nos superius diximus *nu*. 204.) per delicatam mentis abstractionem, & per excessum à sensibus, & alienationem suavem, & nullatenus violentam: In Raptu etiam patitur sensus ex subita, & violenta motione spiritus: In Ecstasi sensus non patitur, sed ex intima occupatione spiritus perditur, & alienatur, ut expresse docet D Thomas *Ubi supra*, *art*. 2. *ad* 1. Raptus proprie pertinet ad intellectum (ut tenet idem Angelicus *Ubi supra*, *art*. 2.) voluntas enim sequitur Raptum intellectus; quæ licèt vehementissime in objectum feratur, regulariter non rapitur, sed per se movetur; potest tamen ita vehementer aliquod objectum prosequi quod ex vehementia affectus homo à sensibus alienetur, sed hoc proprie non pertinet ad Raptum, de quo in præsentiarum loquimur.

216 Raptus igitur sæpius fit in homine in diversa occupato (licèt fiat inter dum recollecto) & tunc repentino, & improviso motu spiritus violenter in divinum objectum rapitur; ex qua quidem subita mutatione adeo turbatur, & pavescit, quòd ei, neque in terra, neque in Cœlo consistere, sed per supernam manum, in aere esse suspensum videatur, ut pulchre depingit Ezechiel 8. 3. his verbis. *Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei*, & *elevavit me spiritus inter terram*, & *Cœlum*. Non quia Propheta fuit vere in corpore elevatus, aut ab eo loco in quo erat, ad alium in quo non erat, translatus: „ Sed (ut bene notat Jacobus „ Alvarez *De vit. spirit. to*. 3. *lib*. 5. *p*. 3. „ *cap* 9.) spiritu, aut intelligentia avul„ sus à corpore, & à sensibilibus abso„ lutus, atque à naturali ejus intelli„ gendi modo, ad supernaturalem, & „ sensibus incognitam transferens noti„ tiam; unde ei videbatur non terræ as„ sistere, quia terrenis phantasmatibus „ erat vacuus; nec similiter in Cœlo, „ quia species intelligibiles non capiebat Hactenus Alvarez, qui nihil melius dicere potuit.

217 Idem manifeste confirmat Paulus, cum de suo loquens mirabili Raptu usque ad tertium Cœlum, ait: *Sive in corpore*, *sive extra corpus*, *nescio*, *Deus scit* (2. *ad Corint*. 12. 2.) Super quem locum subtiliter Augustinus hæsitationem Apostoli tribuit ad id quod nihil distinctum tertii Cœli, neque imaginaria, neque intelligibili specie percepit; sed arcana verba audivit, quæ non licet homini loqui; alioquin Paulus non poterat dubitare quod in corpore, vel extra corpus raptus fuisset; hæc sunt verba Augustini: „ Affirmat Apostolus ve„ rùm esse tertium Cœlum id, in quod „ ratus fuit, & non similitudinem ima„ ginariam tertii Cœli: Pari ratione di„ cere potuit, se in corpore raptum, „ nominans corpus, proprii corporis „ phantasma. Si autem verum sciebat „ tertium Cœlum esse; sciebat ergo, aut „ esse aliquid spirituale, & incorporeum, „ & sic non poterat corpus illuc rapi. Hæc Augustinus. (*In Genes*. 12. *ad litter*.)

218 Ex quo manifeste colligitur, quod

licèt Paulus verè cognovit raptum fuisse usque ad tertium Cœlum, ignorabat modum, & speciem, qua id intelligebat, quamvis locum ad quem fuit raptus non ignorabat. Quod quidem similiter contingit animabus quæ subito, & violenter à manu divina rapiuntur; quod non solum à naturali suo modo cognoscendi, ad alium supernaturalem modum transferuntur, sed etiam à terrenis objectis in quibus versantur, ad tertium divinæ unionis Cœlum rapiuntur; cujus altissimam unionem degustantes, ignorant modum, & speciem, quibus in cœlestem illum locum raptæ sunt.

219 Ex hoc etiam mirabili Raptu Pauli, constat, quòd interdum in eo aliqua verba percipiantur, sed longè diversa ab his quæ supra *cap.* 11. memoravimus; quia licèt sint formalia, simul & substantialia, fiunt adeò delicatè, & profundè, quòd in eis anima, non per vocis sonum, sed per verborum penetrativam intelligentiam, arcanè imbibitur; quia nimirum ea quæ percipit, nullo sermone referre valet, ut ipse Apostolus testatur dicens: *Et audivi arcana verba, quæ non licèt homini loqui.* (2. *ad Corinth.* 12. 4.) Quæ quidem aliquando percipiuntur ad modum sybili auræ tenuis, quo anima profundiùs rapitur, & in ipso tenuis auræ delicatissimo sybilo immergitur, ubi à Deo de his quæ optat intimè instruitur. Interdum etiam tantùm percipit anima venas susurri ejus, quæ veluti aquæ fontis Syloe currentes cum silentio, intima spiritus medullitus irrigant, inundant, & fœcundant.

220 Impulsus Raptus est adeo subitus, & violentus, quòd non solùm animam terreat, & tremere faciat, sed etiam corpus à terra paululum elevet, & frequentiùs illud in terram projicit; & ut ait expertissima Theresia: *Mans.* 6. *cap.* 4. *& in vita sua, cap.* 20. „ Indiget anima habe„ re animum fortem, & fidem vivam, „ atque in divina voluntate fidentem re„ signationem; fortè ne cogitatis exi„ guam homini afferre turbationem, „ quod in suo sensu consistens, videat „ animam suam repentino motu raptam? „ & hæc est vana ex causis quibus sequi„ tur sensuum alienatio. Alteram principaliorem afferat D. Thomas 2. 2. *qu.* 175. *art.* 4., scilicèt, quòd „ in omni opera„ tione qua intellectus noster subitò ab„ strahitur à phantasmatibus, necessè „ est, quòd abstrahatur à sensibus. Quia ex vi subitæ violentiæ tota anima à sensibus eripitur; unde necessarium est, quòd penitus alienentur.

221 Instrumentum quod hunc rarissimum effectum operatur (ut colligitur ex Dionysio Carthusiano *myst. Theolog. lib.* 3. *art.* 18., Rusbrochio *de ornat. spirit. nupt. lib* 2. *cap* 25, Arpio *mystic. Theolog. part.* 5 *lib.* 3. *cap.* 33., & aliis) est lumen vivum, & efficax, unà cum ardenti flamma charitatis, quibus veluti compacta fune Deus ad se repentino motu spiritum trahit; utpote ad exemplum magnetis, qui illico ac ferrum contingit, illud velociter sibi subripit: Ita similiter Deus, qui cum lux, & charitas sit, dum animam suo lumine, & amore tangit, statim motu violento, & efficaci ad se ipsum attrahit, & rapit, quamobrem illa repente à sensibus educta, & supernaturali lumine edocta, omnino sensus perdit, & amittit.

222 Excedit Raptus omnem Dœmonis potentiam, qui nequit immediatè sibi spiritales potentias subripere; nec similiter bonus Angelus potest; hoc enim solius Dei est, qui omnia quæcumque voluit fecit in Cœlo, & in terra, (*Psal.* 134 6.) cui nullus potest ejus resistere voluntati; (*Esther.* 13. 9.) ille quippe qui est lux, & charitas vera, per se ipsum suo lumine & amore, spiritum ad se trahit, & rapit, sibique potenti impulsu copulatur; propterea in vero Raptu nulla ingeri potest Dœmonis fallacia.

223 Sed quia ille qui semper callidè incedit, atque in supernaturalibus semper se miscere & per falsam imitationem mimum agere cupit; ideo in his qui exercitium habent mixtum, ex sensibilibus, & spiritualibus formis (maximè si experientia careant) potest violenter eorum sensus rapere, & imaginationi offerre Visiones Gloriæ, Christi, & Sanctorum, ut tam ipsi, quam eorum Directores verè credant, quòd per bonum spiritum rapti sunt.

224 Igitur ad discernendum verum Raptum

ptum à falso, aliqua debemus signa præbere, quandoquidem inexpertis erit valde difficile. Sit primum, quòd in vero Raptu datur animæ magna certitudo, ei experimentaliter inhærens, quòd à divino spiritu rapta sit, ita ut nullus remaneat ambigendi locus, vel timor: Quod secus evenit in Raptu diabolico, in eo quippe anima concipit pavorem, timorem, & molestam formidinem, mixtam tamen cum vana securitate Raptus, & sui ipsius æstimatione; ita ut simul inordinatè sentit vanam securitatem, & in ipsa securitate pavet, timet, & inquietatur, ut probat Blosius, *in concl. anim. fidel. cap.* 11. §. 3. & Delrio: *disqu. magic. lib.* 4. *cap.* 1. *quæst.* 1. Et licèt bonus spiritus etiam inter illam firmam quam præbet securitatem, aliquem illusionis timorem immisceat, sed est valdè diversus timor in utrisque, quia timor procedens ex Dœmonis illusione, est inquietus, horridus, pavorosus, lubricus, & gravis. Timor autem à bono spiritu emanans, est timor quietus, resignatus, humilis, & levis. Hinc nascitur timor ex propriæ vilitatis consideratione, qua anima se se indignam reputat divini favoris, quin ullo modo timor iste humilis minuat securitatem, quam bonus spiritus animæ confert; nam simul habet securitatem firmam, & ex propria cognitione timorem pacificum: Hoc solùm capit, qui spiritualiter sapit. In illusione verò Dœmonis nascitur timor ex ejus proximatione, & consortio, quem semper sequitur formido, & pavor.

225 Secundum: In vero Raptu, ut ait S. Theresia, *in Vita sua*, *capit.* 20 „ cognoscit anima se in Deum per altissimum modum esse transformatam, qua „ intelligentia perseverante, nulla potentia sentitur. „ Hoc est, modum transformationis ignorat, quia nihil distinctum clarè percipit: Quod quidem in Raptu Dœmonis ficto evenire non potest; tum quia nulla transformatio intima in Deum sentitur, sed quædam dulcedo, & amor superficialis, & sensibilis; tum quia nulla abest reflexio sensibilis, & materialis; tum denique quia timor pavorosus dilatatur, & magis, ac magis angetur: Secus in vero Raptu ubi timor semper minuitur; & ut ait Alvarez: *tom* 3 *ubi supra*. „ Post usum recipiendi „ hoc donum, cessat timor (humilis tamen non in totum) & manet immensæ „ securitatis fruitio.

226 Tertium: Quod in vero Raptu nulla Visio imaginaria habet locum, cum dum anima Raptum patitur, omninò abstracta est à sensibilibus formis, & phantasmatibus; ut expressè docet D. Thomas 2 2 *quæst.* 175. *art* 1. quamobrem in vero Raptu nulla potest dari imaginaria visio: Et quamvis Seraphica Mater Theresia concedat in Raptu aliquas Visiones imaginarias, Raptus ille de quo loquitur, non est propriè, & strictè Raptus, sed deliquium, quod quidem Raptum vocat quatenùs in eo etiam anima aliquo modo rapitur, & à suo rudi modo cognoscendi in alium sublimiorem confertur; in quo Raptu possunt ingredi imaginariæ Visiones: Quod manifestè patet ex ipsius Seraphicæ Matris verbis; ait enim: *Cum anima consistit in hoc Raptu*. Et paulò infra subjungit. *Itaque in hac oratione deliquii, seu de Arrobamiento*. (*Sancta Theresia ubi supra*.) Ex quibus verbis constat vocare Raptum illam orationem deliquii, ubi Visiones imaginarias concedit; & hoc quatenus etiam in deliquio quodammodò rapitur spiritus. In vero autem Raptu strictè sumpto, nullæ admittuntur formæ imaginariæ, cum essentialiter consistat in abstractione ab omnibus formis sensibilibus, ut ex D. Thoma constat, & docet experientia: Propterea si in Raptu quem anima patitur, percipit imaginarias formas, vel visiones; Raptus non est, sed deliquium: Ad cujus spiritum discernendum debet Magister recurrere ad ea, quæ superiùs diximus, cum de illo sermonem fecimus.

227 Sed animadvertendum est, quòd Visiones imaginariæ quæ à vero Raptu excluduntur, illæ sunt quæ fiunt per species imaginarias, & sensibiles, licèt objecta spiritualia sint; puta, Dei, Angelorum, aut animarum; non autem illæ, quæ licèt sint circa objecta materialia, fiunt per solas species intelligibiles, & spiritualissimas, ut diximus, *Supra cap.* 7. *num.* 63. cum de Visionibus intellectualibus egimus. Hæ quippe possunt in Ra-

X 2 ptu

ptu proculdubio evenire; ad quarum discretionem recurrere debet Magister ad ea quæ ibi dicta sunt.

228 Denique, potest verum Raptum à falso discernere per statum animæ raptæ, quia Raptus est communicatio status perfecti: Propterea si anima sit in statu materialis exercitii constituta; licèt possit verè à Deo rapi, tamen Director caute procedat, & tunc Raptum examinet per modum luminis, & transformationis, & præcipuè per effectus, & sic difficilè errare poterit. In vero Raptu, nihil agendum restat Magistro quoad animæ exercitium, quia in eo nihil est respuendum, nihil ampliùs agendum, sed passivè auscultandum; quandoquidem in eo est anima divinitus occupata, atque in divinæ essentiæ abysso omninò immersa: Quoad ejus externam directionem, ea omnia observare debet, quæ circa animas hujusmodi observanda diximus, & dicemus.

CAPUT XXII.

De Somno divino, sive de Morte Mystica.

229 Quia prorsus impossibile est referre omnia Dona multiformis gratiæ Dei, quibus animas quasi dilectas, & amicas charissimas, in intima sui ipsius communicatione cumulare dignatus est; de his tantùm quæ communiter occurrere possunt Directoribus, sermonem instituere decernimus. Et ne aliquid de solitis favoribus intactum relinquamus, de sopore divino impræsentiarum agere debemus.

230 Solet igitur anima divino interdum soporari spiritu, quod à Mysticis vocatur Somnus, sive Sopor divinus (non loquimur de somno prophetico, de quo supra actum est.) Hæc spiritualis sensificatio quatenus somnus, est species ecstasis, teste Gilberto, *Serm. 42. in Cant.* qui ait: *Bonus sopor est mentis excessus, & alienatio ab affectibus carnis & à sensibus corporis.* Quod est proprium ecstasis, quia anima propter intimam attentionem in Deum, alienatur à sensibus sicut in ecstasi; à quo tantùm differt, quòd in ecstasi dum anima ab ecstatica dormitione consurgit, recordatur omnium quæ in ecstasi cognovit: In somno autem, dum ab eo anima excitatur, nullius quod in somno habuit reminiscitur; ideoque somnus vocatur ad exemplum naturalis, à quo excitatus homo, nihil eorum quæ dormiens egit, memoratur: Quapropter spiritualis Magister nequit somnum hunc in sua causa cognoscere; in effectibus tamen facilè ei manifestus efficitur, quandoquidem anima adeò divitiarum spiritualium locuples excitatur à somno, quòd ei ad novam vitam surrexisse videatur; cui adstipulari potest illud Davidicum: *Ego dormivi, & soporatus sum, & exsurrexi, quia Dominus suscepit me; non timebo millia Populi circundantis me.* (*Psalm* 3. 6.)

231 Sæpe anima dum ita soporatur manet in eadem corporis collocatione, in qua ei sopor contingit, qui semper eam in oratione constitutam invadit; interdum etiam in terra somno oppressa concidit, quamobrem scrupulis inquietatur, quia dum nihil eorum quæ dormiens egit memoratur, sesèque humi jacentem invenit, putat, non infuso, sed naturali somno oppressam fuisse; & forsitan si ad effectus somni attenderet, minus angeretur; quia ut ait Gilbertus: *ubi supra*. „ Licèt intellectus, & voluntas quoad „ reflexionem consopiantur, intellectus „ tunc magis videt, & invigilat; & amor „ spiritualis cum consopitur, penitus „ omnis passio, & affectus animalis „ amittitur. „ Unde subjungit Sponsus: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* (*Cant.* 5. 2.)

232 Fructus igitur communicationis non solùm per somnum non amittit, sed etiam uberius colligit ab impedimento sensuum penitus absoluta; quare Bernardus: „ Dicamus (inquit *Sermon.* 52. *in* „ *Cant.*) si possumus, quisnam ille sit so„ mnus, quo dilectam suam Sponsus dor„ mire velit, nec patiatur omninò nisi „ ad ipsius arbitrium excitari. Non est „ autem is Sponsæ somnus dormitio cor„ poris, vel placida quæ sensus carnis „ spiritualiter sopit ad tempus; magis „ autem ejusmodi vitalis, vigilisque so„ por sensum interiorem illuminat; re„ vera enim dormitio est, quæ tamen

„ sen-

„ sensum non sopiat, sed abducat: Est „ & mors (quod non dubius dixerim) „ quoniam Apostolus quosdam in carne „ adhuc viventes commendando, sic lo- „ quitur: Mortui estis, & vita vestra „ abscondita est cum Christo in Deo. „ Proinde ego non absurde Sponsæ so- „ mnum vocaverim mortem, quæ tamen „ non vita, sed vitæ eripiat laqueis. Mo- „ riatur anima mea morte Justorum, & „ nulla illam illaqueet fraus, nulla ob- „ lectet iniquitas. Bona mors quæ vi- „ tam non aufert, sed transit in melius. Hæc Bernardus, qui somni fructus novæ resurrectioni animæ comparat.

233 In vero somno (si strictè sumatur) memoria deficit, nihilque anima per reflexionem cognoscit, & quasi à gravi, & naturali somno excitatur (ut benè probat Richardus *in Psal. 4. litt. C.*) vel ut melius loquar, resurgit ad meliorem vitam, utpote quia de terrena fit cœlestis, & tantùm per effectus Beata morte in Domino, mortuam esse cognoscit; nam si aliquid distinctum in somno cognoscat, non somnum passa est, sed ecstasim; in utroque enim sensus alienantur, sed non patiuntur; in utroque ex intima animæ occupatione consopiuntur. Differentia verò in utroque consistit, quod in ecstasi manifestatur animæ altissima ejus occupatio; in somno autem nihil expressè cognoscit, nec illius quod in somno egit, recordatur.

234 Somnus iste rejicit omne distinctum; non enim dicitur somnus à somniando, sed à soporando; unde melius dicitur sopor divinus, vel mystica dormitio, vel mors; nam sicut ille qui naturaliter moritur, nihil sentire, nec percipere valet, sed omni sensatione privatur; ita etiam qui spiritualiter hac dormitione moritur, nihil percipit, nec distinguit, sed penitus omni sensatione destituitur, ut pulchrè tenet Richardus, *in Psal. 25. cap. 4* quem sequuntur Abbas Bercellensis *in Cant. 5.* Gerson, *tom. 2. serm. de Spiritu Sanct. considerat. 2. & tom. 3. tract. 9. in Magnificat.* & alii. Igitur somnus iste qui verè mors mystica est; omni reflexione, visione, & locutione carere debet; quamobrem melius mors dici debet, quàm somnus: Et verè hæc est mors mystica; circa quam valde diversè loquuntur Auctores

235 Ex dictis colligitur, quòd si in somno, sive materiali, sive infuso, aliquam visionem, locutionem, vel alia hujusmodi perceperit anima, non hoc somno consopitur, sed somno prophetico, in quo tantùm ejusmodi visiones, & locutiones fiunt, ut habetur in libro Numeri, ubi Deus inquit: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, & per somnia loquar ad illum.* (*Num. 12. 6*) Et idem confirmat per Prophetam Ioel dicens: *Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ, senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt.* (*Joel 2. 28.*) Quod confirmant Hieronymus *in Daniel. cap. 1.* Ambrosius *in Apolog. pro David. cap. 4. & in Psalm. 118.*; D. Thomas *2 2 quæst. 173. art. 3.* Bonaventura *2 distinct. 25. 2. p. distinct. quæst. ultima ad argum.* Dionysius Carthusianus *in 3. regul. 3.* & alii plerique. In nostro autem somno his omnibus absolvitur animus, sed tantum in illa divinæ scientiæ abysso, suavi affectu absque ulla reflexione soporatur; quamobrem ab illo excitata somno crederet nihil egisse, si per mirabiles ejus effectus multum operasse non cognosceret.

236 Porrò hanc mysticam soporationem plures solent ita frequenter pati, quod per aliquod temporis spatium dum in recollectione consistunt, illicò à divino spiritu soporantur, & quasi ex statu hoc mystico somno assuescunt obdormire; qui cum nec procurari possit, nec impediri, nihil in eo rejiciendum est, neque agendum, si cognoscatur verum fuisse somnum; sed animæ injungere, quòd non impediat somnum evenire suis discursibus, & meditationibus; sed dum moveri se sentiat, & ab Sponso ad lectulum ejus vocari, eum obsequatur, seseque sibi consopiri relinquat; & hoc est quod in hujusmodi somno debet agere Magister.

237 Alius est somnus, sive intima recollectio supernaturalis, & ecstatica (ut afferunt Bonaventura *de process. Relig. process. 7. cap. 14.* Richardus *Ubi supra*, Henricus Arpius *Theolog. myst. lib. 3. part. 4. cap. 29.* & Fr. Thomas à Jesu *de contem-*

plat.

plat. divin.lib. 5 cap. 5. quæ animam sopit, atque in divinitatis abysso intime immergit, in qua spiritus mira suavitate, & dulcedine amati præsentia perfruitur, & in ejus divinis ulnis, amore languens, reclinatur; à quibus anima licèt sit absorta, & immersa, post impulsum divini luminis infusi, potest se per discursus, vel alias cogitationes avertere, & à somno illo excitare; quia nimirum non ita consopitur, quod occupationem suam non advertat, aut libertatem se ab hujusmodi somno excitandi amittat.

238 Has quidem cogitationes & phantasmata, quæ vel ab anima adducta, vel naturali discursu oblata, vel diabolico opere immissa possunt interdum dormitionem animæ interrumpere, adjurabat Sponsus sub nomine filiarum Hierusalem, cum sua dilecta Sponsa hujusmodi somno conquiescebat, dicens: *Adjuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit* (*Cant*: 2: 7) Ex quibus verbis constat, animam posse à somno cum voluerit excitari: quod quidem agere non valet in nostro somno, sive mystica morte; quamobrem iste somnus Sponsæ, non mors mystica, sed ecstaticus somnus dicendus est.

239 Scire etiam oportet, quòd ab hac mystica morte, vel somno est valde diversa oblivio, utpote à causa naturali regulariter procedens, quæ sæpe contingit orantibus, quia ex nimia attentione in objectum orationis, nulla suppetit animæ pro reflexione vis, aut attentio; ex qua reflexionis carentia, necessario sequitur oblivio, & interdum procedit à supernaturali causa, & infusione divina, qua Deus, tam incipientibus, quàm proficientibus solet aliquas infusas recollectiones concedere; quibus anima in sui fundo recollecta, totaque funditus absorta, omnium aliorum obliviscitur; quæ post aliquot tempus in se ipsam reversa, quasi à somno videtur excitari.

240 Hæ recollectiones, seu oblivriones, quæ animabus aliquando contingunt (& idem dicimus de illa quæ oratio quietis vocatur), sunt valde diversæ ab hac morte mystica, sive somno divino, qui specialis gradus est mysticæ Theologiæ, & quo plures animæ eo statu perfruuntur, quousque ad altiorem unionis gradum conscendant, & quamquam in aliis statibus, & gradibus orationis aliquibus contingat, erit tamen transeunter, & non frequenter; in illis verò, quibus ex statu conceditur, habitualiter contingit.

241 Denique ad materiæ conclusionem dicendum venit quod plerumque inveniet Magister animas affirmantes, quod statim, ac in oratione recolliguntur, sentiunt suas potentias interiores sensim sopire, & interdum adeo graviter, quod post orationem se humi jacentes inveniant; in quibus necessarium est attendere, an opprimantur naturali, vel mystico somno. Ad cujus discretionem primo attendat ad earum statum; nam si sint incipientes, neque adhuc in oratione supernaturali constitutæ, ille frequens somnus verus non erit; est enim communicatio perfectorum, & eorum qui per viam passivam incedunt: Deinde attendat ad effectus, quia in mystico somno licèt anima nihil egisse præsumat, tamen eo prætermisso, remanet fervida, devota, ad virtutem proclivis, & prompta; ad Deum adeo intime conversa, quod spiritus medullitus recollectus, cum ad exteriora reddere opus est, statim ad sui fundum, revertere nititur, & passim ei contingunt intimæ oblivriones, & absorbitiones, à quibus difficile potest se ad externas occupationes revocare.

242 Si autem somnus fit naturalis, dum ab eo excitatur, remanet anima tepida, gravis, ad nihil virtutis, & operationis proclivis, & mens manet obscura, & ad ulterius discurrendum tarda; ut contingit cum homo expergiscitur, qui vix potest à se somnum excutere: Si igitur per prædicta cognoverit somnum fuisse divinum, aut saltem ex intima, & sancta recollectione; animam de bona ejus operatione securam reddat, eique præcipiat, quòd se ita consopire permittat, atque divinum impulsum non impediat: Si autem somnus fit naturalis, qui proculdubio vel ope Dœmonis, vel ex nimia vigilia, vel ex immoderato cibo, aut potu procedit, juxta somni causam ei remedium adhibeat.

CA-

C A P U T XXIII.

De ebrietate, sive crapula divini amoris, ac de sana Spiritus insania.

243 Ebrietas, sive Crapula divini amoris in aliquo convenit cum Raptu, quatenus scilicet in ea lumen infusum, & vehemens infusus amor, animam à se extrahunt, & quasi violenter ad Deum trahunt: „ Crapula Ebrietatis (ait Gil„ bertus Abbas *Ubi supra*) Mundo me „ tollit, & tibi tradit, soporat, & exci„ tat, sæcularium oblivisci me facit, & „ tui non sinit. Differt autem à Raptu, quia Raptus subito spiritum invadit, eique violentiam infert: Ebrietas verò non ita, sed sensim animam invadit, illaque paulatim incipit incalescere, postea impletur, demum exuberat, ac denique quasi furens in exteriores motus prosilit, ut tenent Richardus *In Psalm.* 4. & Bonaventura *Ubi sup. procef 7 cap* 15. Raptus extrahit animam ab eo in quo erat, & confert in id in quo non erat: Ebrietas circa idem, quod anima possidebat incalescit, quia communiter in recollectione solet evenire, licèt effectus extra recollectionem durent.

244 Duplex est spiritualis Ebrietas; una quæ absque turbatione mentis corporaliter tantum est inquieta, quæ jubilatione, exultatione corporis, vocibus, motibus, & gestibus insolitis demonstratur, & regulariter contingit incipientibus, vel proficientibus: Alia est quæ quiete gaudet mentis, & corporis, quæ propria est perfectorum. *Est enim somnus ejusmodi* (ait Ambrosius *In Cant. cap.* 5) *feriatus ab omni perturbatione animi, tranquillitatem mentis invehens, placiditatem animæ, ut tanquam soluta nexu corporis se ablevet, & Christo adhæreat.* Hæc secunda Ebrietas ecstasim facit; id est mentis abstractionem, & interdum excessum à sensibus, & alienationem suavem, & nullatenus violentam; quamobrem melius vocari debent somnus ecstaticus, quàm Crapula Ebrietatis, quæ in exteriora signa irrumpit, ut testantur communiter Mystici, cum Bonaventura *Ubi supra* Arpio *Theol. myst. lib.* 2. *c.* 41. & Fr. Thoma à Jesu *De orat. divin lib.* 2. *cap.* 5. & docet experientia.

245 Ad hanc plane Crapulam spiritualem pertinet sana, & sancta insania, quæ nihil aliud est nisi amoris divini exuberantia; qua adeo inebriatur anima, ut pro Dei amore appetat quod impossibile est, vel amato, vel amanti repugnet: Per hanc optabat Paulus Anathema esse à Christo pro Christo; & Moyses ob proximi dilectionem, quam in Deum referebat, postulabat deleri à libro vitæ: Audi S. Bernardum *Lib de dign. amor. cap.* 3 „ Audi „ (inquit) Sanctam insaniam; sive men„ te (inquit Apostolus) excidimus Deo; „ sive sobrii simus vobis. Vis adhuc au„ dire insaniam? Si dimittis (inquit) „ eis peccatum, dimitte; Sin autem, „ dele me de libro vitæ. Vis aliam? Ip„ sum audi Apostolum: Optabam (in„ quit) Anathema esse à Christo pro „ fratribus meis. Nonne quidem mentis „ bene affectæ sana quædam videtur in„ sania? Cum impossibile sit effectum „ habere fixum in affectu, pro Christo „ Anathema velle esse à Christo? Hæc „ ad Sancti Spiritus Adventum Apostolorum fuit Ebrietas: Hæc Pauli insani„ nia cum diceret ad eum Festus *Insanis* „ *Paule* (*Actor.* 26. 24) mirum ne erat, „ si insanire pronuntiabatur, qui in ipso „ mortis periculo ipsos Judices suos à qui„ bus pro Christo judicabatur, ad Chri„ stum convertere nitebatur. Hucusque Bernardus, & hæc proprie est sana, & sancta insania, ut sciat Magister insaniam quarumdam Muliercularum, quæ divino amore insanire credentes, indecentes, vel fatuas patrantur actiones, quæ proculdubio non sana insaniunt insania, sed insana simplicitate, aut lunatico spiritu.

246 Crapula igitur divini amoris provenit ex infuso lumine, & amore, quibus anima in Deum elevata, adeo ejus bonitatem, amabilitatem, & pulchritudinem cognoscit, quod in eo quasi in ardenti rogo uritur, liquescit, & concrematur (ut tenent Bonaventura *Ubi supra* Richardus *Ubi supra* Arpius *ubi supra* & Fr. Thomas à Jesu *ubi supra* à cujus dulcissimo fruendi desiderio rapta,

& quo

& quo se vertat inscia, in voces, clamores, motus violentos, & lætitiæ gestus insolitos exilit, quatenus supernaturalis influxus plus voluntatem afficit, quàm intellectum, ut tota plenitudo infusionis ubertim confluat in voluntatem; propterea intellectus elevatio vix sentitur, & sola voluntatis inflammatio, totam animam divinis ardoribus absumit.

247 Quamplures legimus hac crapula divini amoris affectos fuisse, qui præ amoris exuberantia in amatorias Dei cantilenas, & decentes coreas crepitarunt, maxime coram Venerabili admodum Eucharistiæ Sacramento, ut olim de Regio Psalte legitur 2. *Reg.* 6. 5. qui cum puellis Israeliticis coram Arca Domini saliens, & concinens, insolita lætitia exultavit. Nunc etiam potest contingere quòd aliquos hujus divini amoris ebrios videat Magister, quos bene examinare debet, & considerare præcipue fœminas; quæ præ earum facili, atque affectuosa natura, plusquam viri amore sensibili inardescunt; nam sicut non est odium super odium mulieris, ita non est amor super amorem ipsius, utpote quia difficile consistere sciunt in medio, sed assidue extremum amplectuntur.

248 Propterea si fœminæ sint, in quibus hæc obrietas divini amoris ceciderit, cautissime procedat, atque externarum actionum causas diligenter observet, & per rigidam mortificationem, & conversationem multum probet; quia hæ actiones præcipites possunt interdum procedere, vel à spiritu lunatico, vel ab indole, & genio facili, & hilari, vel à nimia fatuitate, vel denique (& hoc frequentius) ex hypocrisi, & simulatione, qua aliquæ falsæ Beatæ suæ virtutis quæstum portare volentes, dum superbia, & avaritia tument, credi appetunt divini amoris incendio crepare, unde nobilium fœminarum stratus repetunt, ubi semper de divino amore incongrue loquuntur, cantilenas jactant, saliunt, & tripudiant, suspirant, & vociferantur, atque in Puerum Jesum verba amatoria, & sæpius ridicula, fatuis gesticulationibus ejaculantur, quamobrem à simplicibus, & facilibus in pretio habentur, quando puniri potius deberent, quàm æstimari.

249 Et quia materia est valde communis, debemus aliquas regulas præbere Directoribus, ne & ipsi similiter decipiantur, Et primum ingenue fatemur, quòd omnes insolitas, & exteriores gesticulationes, motus, jaculatorias, suspiria, & his similia, quibus aliquæ in conspectu hominum utuntur; præter modestiam hilarem, circunspectam gravitatem, & inaffectatam devotionem, immortali odio prosequamur; forsitan satis compotes per experientiam de horum spirituum falsitate, maxime in his quæ absque urgentissima necessitate, vel probata utilitate abscondita sua cubicula derelinquunt, calles pererrant, nobilium Dominarum domos repetunt: quarum profucto vagandi licentiam omnino tollere necessarium est, eisque præcipere quòd in domo sua manibus laborent (omnes enim prædictæ horrent laborem, colum, & fusum, ibique suis temporibus orent, legant, & taceant: Sed si forte objiciant, quod ob divini amoris torrentem ita eas inebriantem, & impellentem, foras exire, vociferari, & salire compulsæ sunt, nullam eis fidem præbeat Director, sed in secreto cubiculo claudat, & retrahat, ut illic vociferentur & saliant; ibi namque absque periculo vanitatis, & irrisionis fiet.

250 Ad hujus igitur crapulæ discretionem devenlendo, primo considerare debet Magister subjecti naturam, an scilicet aliquando laboraverit spiritu lunatico, vel si habeat fatuitatem; aut mentis hebetudinem, vel genium hilarem, arrogantem, dissolutum, & ad morum cujuslibet passionis facilem; quia in his ebrietas divini amoris est valde suspecta, vel potius amentia, dissolutio, facilitas, vel arrogantia: Si verò habeant naturam modestam, humilem, gravem, & quietam; in his prædictæ actiones poterunt provenire ex vera crapula divini amoris.

251 Secundò, debet ponderare statum animæ ebriæ, an scilicet in exercitio virtutum fervide incedat, & proficiat, atque frequenter amoris impulsibus tangatur, ita ut interdum in impetus ex abundantia divi amoris prorumpat; ex hujusmodi enim frequenti affluentia hæc spiritualis ebrietas generatur: Unde erit valde suspecta, quæ licèt aliquando impetus patiatur,

tur, non tamen continue, & ex statu, & multo magis in his animabus, quæ adhuc divini amoris impetus ignorant.

252 Tertiò, exteriores motus diligenter observet, quia regulariter bonus spiritus fugit publicitatem, infundit modestiam, infert sobrietatem, & decentiam status conservat, maxime in fœminis, quæ sui debilis fexus causa, majoribus periculis sunt obnoxiæ: & licèt divinus amor exuberante spiritu insolitos motus causare possit, regulariter tamen est in abscondito, & non in publico: Quod si interdum palam fiat, motus illius, & actiones, erunt modestæ, decentes, & potius ad devotionem, quàm ad risum provocantes; indecens quippe est fœminis salire, cantilenas, & vociferationes jactare, atque vultus virorum, barbam, vel dorsa palmarum plausu demulcere, ut aliquando actum est. Qui enim dixit per Apostolum suum: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus* (*Ad Philipp.* 4 5.) nullatenus præconii sui vocibus adversaretur: Propterea si horum aliquid invenerit Director, firmiter credat, vel à spiritu lunatico, aut diabolico, vel à simplicitate, aut facilitate vel ab hypocrisi, aut simulatione, crapulam illam respective procedere.

253 Denique, licèt per omnia requisita fiat securus de bono spiritu, & de legitima ebrietate, curet semper (quamvis extraordinariis utatur remediis) quòd hujusmodi crapulosi exteriora hominum consortia vitent, & præcipites illas actiones in quantum eis libuerit, reprimant: Quod si eis impossibile sit, in secreto cubiculo respirent.

CAPUT XXIV.

De inextinguibili Dei siti.

254 SItis Dei insatiabilis, quę cum impetu spiritus complicatur, cum revera diversa sit, & passim in multis animabus divino amore vulneratis reperiatur est: QUIDAM ANIMÆ AFFECTUS, ATQUE INTIMUM DEI DESIDERIUM, QUOD MEDULLAS SPIRITUS ARESCIT; ET TANTO AVIDIUS EXCITATUR QUANTO DIVINI AMORIS TORRENTE INUNDATUR. Hæc sitis licèt interdum comites habeat impetus, & impulsus, & anima quæ impetus patitur sitibunda sit; sæpius tamen hæc sitis de qua loquimur, non in exteriores impetus, sed in interiorem ardorem, atque hydropisim convertitur, & est specialis gradus orationis.

255 Hæc sitis vel hydropisis divina (ut docent Nissenus *Lib. de oct. Beatitu.* Chrysostomus *In Psalm.* 41. Augustinus *Ibid.* & Gregorius *Lib.* 14. *Moral. cap.* 5) ad modum naturalis evenire solet, nam sicut illa, à nimio potu, una cum ingenti viscerum adustione gignitur; sic similiter hæc provenit ex frequenti potatione illius torrentis voluptatis, qui Civitatem Dei lætificat, una cum ferventi charitatis ardore, quo anima intrinsecus uritur, & conflagratur; cujus latens in spiritu causa, solet manifeste in corpus redundare; videmus siquidem homines hujuscemodi siti affectos, corpore extenuatos, aridos, pallentes, macros, & aliquando præ nimio viscerum calore exanimationes patientes, ut depingit Dionysius Carthusianus *De fonte lucis*, *art.* 18. *&* 19.

256 Ex assidua igitur hujus divini amoris infusione; qua anima dilecti amplexibus fruitur, adeo in amati desiderio incalescit, quòd omnis mora perfruendi amato, ei impatienter molesta videatur, & quanto magis in illo suavissimo divinitatis fonte bibit, tanto ardentius bibere appetit: Cum autem satiari non possit, quousque gloria ejus manifeste appareat, uritur inextinguibili siti; & cum Psalmista exclamat: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei* (*Psalm.* 41. 43.) Et quare? Quia *sitivit anima mea ad Deum fortem vivum; quando veniam* (*Psalm* 41. 2.) *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* (*Ps.* 119. 5.)

257 Hæc ardens sitis ingentibus desideriis accenditur, profusæque lachrymæ quæ his animabus panes sunt die, ac nocte, potius incendium cordis augent quàm minuunt, & anima quo se vertat nesciens, in ipso sitis suæ ardore arescit, & extinguitur, & ut ait B. Joannes à Cruce *Lib.* 2. *noct. obscur. cap.* 1. „ Tactus amoris, & „ divinus ignis adeo arefacit spiritum, at„ que desideria extinguendæ sitis inflam„ mat, quod mille modis, atque mediis „ Deum desiderat; cumque eo magis si-

„ tim crescere conspiciat, quo pluris sa„ tiari procurat, cupit dissolvi, & in il„ lo perenni fonte suam avidam sitim ex„ tinguere. Hac proculdubio afficiebatur Apostolus, cum dicebat: *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Chrisso* (*Ad Philipp* 1. 2.) Et alibi dolens de corporis impedimento, ad hoc ut spiritus divini fontis scaturigine satiaretur, ajebat: *Infœlix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis hujus* (*ad Rom.* 7. 24.)

258 Sitim hanc causat perfectus amor, ac intimum amati desiderium, quod possidentibus, & sitientibus Christum conceditur, ut iterum sitiant, quousque in patria (ut inquit Blosius *Psych. lib.* 2 *cap.* 2. *num.* 2.) ubertim satientur (ita pretiosus est perfectorum affectus) & nullus nisi perfectus sitire Christum hac inextinguibili siti potest; quamobrem panis est perfectorum: Sitis verò quæ aliquando incipientes, vel proficientes afficit, hac nostra est valde inferior, & ad impetus reducenda est, quatenus inquieta est, & impatiens, impetuosa, & fere importabilis: Hæc autem sitis de qua agimus, efficacior est, & penetrabilior altera, & tamen non in materiales impetus, sed in quieta, & hydropica desideria, quibus anima uritur, & in dulces, & suaves lachrymas, quibus incendium auget, resolvitur.

259 Fortis igitur, & vivus est hujusmodi affectus, & non parum torquet Directores, cum ei adhibere remedium procurant, utpote quia nullum est efficax (ut ait Richardus *De gradib. violent. charit. p.* 1. *fol.* 136. *litt. B.*) quandoquidem nulla sufficit ratio, nulla conformitas, ut possit penitus sitis extingui, licèt fateamur, aliquantulum per conformitatem moderari, maxime cum nullum aliud remedium suppetat. Si ergo ita noceat corpori, quòd timeri possit magnum ei damnum obventurum, curet Magister, quòd anima paululum exercitia remittat, virtuosorum hominum consortia ineat, quibus cum de sanctis rebus, aut honestis colloquatur, vel ad aliquod tempus occupationem sumat, recollectionem suam non in tenebris habeat, fenestram aperiat per quam imaginatio possit spatiari, ne forte materialiter incendium augeat, & postea in vehementes impetus prosiliat, & denique multum caveat, ne anima illa solitudini, & interno exercitio semper incumbat, sed per mixtam actionis, & contemplationis vitam procuret sitim moderari, quousque hæc habitualis sitis in alium orationis gradum pertranseat. Si verò absque notabili salutis dispendio possit anima sitibundum hunc affectum tolerare, nihil horum necessarium erit, sed tantum per conformitatem, & resignationem ardentia sua desideria temperare.

260 Circa rigores autem, & macerationes extraordinarias, quibus se tradunt hujusmodi sitibundi, laborare debet Magister, ut ad debitum ordinem reducantur, quandoquidem nec sitim extingunt, nec possunt eis non multum nocere, tam ex parte propriæ invaletudinis, quia inepti sunt ad tales rigores, quatenus sitis ex se multum corpus debilitat, & adhuc ad assueta onera portanda imparem reddit (ut docet idem Richardus *Ubi supra*) quàm ex parte Dœmonis, qui bene cognoscit animæ affectum, & sitis vividam activitatem: Hac de causa ei augere procurat rigoris desiderium, ut valetudine corporali omnino deperdita, nequeat anima, neque pœnitentiæ, neque orationis exercitia continuare, & cum tantum bonum ei impedire directe non valet, quia non sitim hanc immutare, nec extinguere sufficit; indirecte tamen per imprudens macerationis desiderium, non solum sitim, sed & animæ perfectionem funditus evertere, & extinguere procurat; quamobrem Director potius debet animæ rigores temperare, quàm augere.

261 Interdum solent hujusmodi siti bundi postulare impense à Deo labores, & ærumnas, ut ardori suæ sitis satisfaciant, circa quam petitionem valde differunt aliqui Directores: Quidam putant quidem perfectius esse, labores, & dolores sitire, & enixe à Deo postulare, quatenus per eos magis conformes fiunt imagini Filii Dei; maxime cum dictum sit ab Apostolo; *Induimini Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ* (*Ad Roman.* 13. 14 *Ad Philipp.* 3. 21.) Cujus vita, & pas-

passio, rigoribus, doloribus, persecutionibus, & ærumnis consita est. Alii è conconverso putant longè perfectius esse postulare, quòd in omnibus, & per omnia fiat voluntas Dei, & quòd ipse animam, ut melius illi visum sit, exerceat; & si flagellat, præstet tolerantiam, si per se, vel per alios cruciet, patientiam, & resignationem, atque in illo omnia quæ ei placita sunt, faciat: Hoc quippe judicant esse absque ulla propria voluntate Deo servire, impotentiam, & debilitatem propriam humiliter cognoscere: Dei providentiam attentè venerari; fugere jactantiam, & nullo quæstu sectari virtutem, quarum sententiarum definitionem prudentiæ Directorum relinquimus, qui juxta animæ capacitatem, occasionem, & impulsum, poterit ejus affectum approbare, vel rejicere.

C A P U T XXV.

De Languore divino, sive ægritudine divini amoris.

262 LAnguor divinus, qui (teste Bernardo *Sermon. 46. in Cant.* cum aliis *Richard. de grad. charit. part. 1. cap. 2. fol. 133. Carthus. de font. luc. art. 17*) *Ibi viget ubi viget amor* à divino amore procedit, crescit, & perficitur, quanquam anima semel hoc amore languens regulariter non possit usque ad patriam perfectè sanare, quandoquidem languor non provenit ex infirmitate, sed ex amoris activitate, & eo magis languor crescit, quo plus amor augetur, & perficitur, & quantò amor perfectior est, tantò languor iste sit suavior, & delicatior.

263 Languor igitur secundùm eundem S. Bernardum *Ubi supra*, est AFFECTIO QUÆDAM DE ABSENTE DILECTO AMANTEM CONFICIENS. Quiquidem duplex est, unus proficientium, & alius perfectorum, ambo tamen ex divini amoris contactu in anima procedunt, ambo eam à terrenis cupiditatibus evellunt, ambo in ea sæcularis consortii nauseam gignunt, ambo eam divinæ conversationis siti afficiunt, ambo denique in ea ardentia amati desideria causant.

264 Primus *languor*, qui *proficientium* est, & violentæ charitatis nomine à Richardo insignitur, in eo nimirum consistit: „ Quòd nihil animæ satisfacere possit (verba sunt illius) præter unum; „ sicut nihil sapere potest nisi propter „ unum; unum amat; unum diligit, „ unum concupiscit, ad unum anhelat, „ in unum suspirat; in uno inardescit; „ in uno requiescit, unum solum est in „ quo reficitur, unum solum est in „ quo satiatur, nihil dulcescit, nihil sapit, nisi hoc uno condiatur: Quidquid „ ultra se offerat, quidquid sponte occurrat, citò rejicitur, citò conculcatur, „ quod suo affectu non militat, vel ejus „ desiderio non deserviat: Sed quis hujus affectus tyrannidem dignè describat: „ Quoniam omne desiderium expellit, „ omne studium excludit, omne exercitium violenter exprimit, quod sua „ concupiscentia non concupiscit: Quidquid agat, quidquid dicat, quidquid „ cogitet, inutile, imò intolerabile videtur, nisi in unum sui desiderii finem „ concurrat, sine illo autem horret anima, corpore deficit, corde tabescit, „ ac languescit, consilium non accipit, „ sed clamat cum sponsa *nuntiate dilecto, quia amore langueo* Hactenus Richardus. (*de grad. violent. charitat. part. 1. fol. 136. litt. A.*)

265 Hæc proculdubio adscribuntur perfectæ charitati, quæ omnia in Deo, & propter Deum, vel potius Deum in omnibus, & extra Deum nihil diligit; ex qua perfecta charitate magnum insurgit desiderium fruendi amato, sine quo omnia ei fastidium gignunt, cujus equidem flamma uritur, & languescit, & aliquando corpus etiam ex vehementi cordis desiderio verè ægrotat, ut asserunt Rusbrochius *de ornat spirit. nupt. cap. 24.* & Arpius *Theol. mystic. lib. 3. part. 2. cap. 22. num. 3.* Si enim ad ægritudinem corporis sufficiens est humanus amor, multò plus ad id sufficere poterit amor divinus, & tunc non est utendum remediis medicinæ, sed corpore refecto per sanctam recreationem, & perfectam resignationem animi languor sublevandus est.

266 In hoc languore, qui ex perfecta charitate procedit, aliqua potest dari imperfectio ex parte languentis, quia cum

adhuc proficiens fit, nec perfectè purgatus, licèt quoad substantiam amor perfectus est, quoad modum tamen quem circa illum se habet anima proficiens, non est omninò perfectus; ex cujus indispositionis causa regulariter anima in materiales impetus, & deliquia irrumpit, quinimò & ex hoc languore ferè semper contingunt, ut cum Rusbrochio *ubi supra cap.* 26. latè probat Fr. Thomas à Jesu *de orat. divin. lib.* 3. *cap.* 9. Propterea in levando hoc languore, debet spiritualis Director, eisdem remediis uti, quæ utenda diximus, quando de impulsibus, & deliquiis sermonem fecimus.

267 Alter *languor* divinus, qui *perfectorum*, & unitorum est, nihil differt in causa ab antecedenti; in perfectione tamen, & in effectibus valde diversus est, quia dum in subjecto perficiter charitas, ex qua languor procedit, quantò ea magis crescit, tantò languor augetur, & eò delicatiores, penetrabilioresque parit effectus, quo languens delicatius, & perfectius ad charitatis languorem disponitur. Audiamus eundem Richardum *Ubi supra*: „ Hic amoris gradus est, quando mens „ rapitur in Deum luminis abyssum, ita „ ut humanus animus in hoc statu om„ nium exteriorum oblitus, penitus ne„ sciat se ipsum, totusque transeat in„ Deum suum. In hoc itaque gradu com„ pescitur planè desideriorum carnalium „ turba, & fit in Cœlo silentium quasi „ dimidia hora: In hoc nanque gradu „ dum mens à se ipsa alienatur; dum in „ illum divinum secretum rapitur; dum „ ab illo divini amoris incendio circun„ datur, intimè penetratur, & inflam„ matur; se ipsum penitus exurit, & „ divinum quendam affectum indicit; & „ inspectæ pulchritudini configurata, to„ ta in aliam gloriam transit; In hoc sta„ tu anima in illum quem diligit, lique„ scit, & in se ipsa tota languescit, ut „ dicatur: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* (*Cant.* 2. 5) Hæc Richardus: Cujus perfecti languoris effectus mirè dipinxit Dionysius Rikelius, *lib. de font. lucis cap.* 13.

268 Hic languor, qui potest dici altissimus Mysticæ Teologiæ gradus, ubi amor quasi validus ignis in fornace humani cordis flammescit, ac totas animæ vires sibi absumit, extraneum, & valde delicatum generat languorem, qui licèt spirituales impetus, & sitim vivacissimam producat, tamen neque in impulsibus, neque in siti consistit; quamobrem meritò ab illis segregamus, eique hunc specialem locum præbemus.

269 Consistit igitur hic languor in quodam suspendio, atque pœnosissima abstractione, & insoliditate, qua anima inter terram, & Cœlum suspensa, & divino amore contacta, nec terrena, quæ fastidit, sequi vult, nec cœlesti quæ ardenter appetit ad votum suum consequi potest; quinimò & ea dum dilata spe quasi procul considerat, in dolore, & amore suspensa, delicatissima animi deliquia patitur, & amoris ardore intimè languescit, ac in Cœlum oculos attollens illud Iob ingemiscens, inclamat *Suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea.* (*Iob.* 7. 15.)

270 Subtiliùs etiam juxta gradum perfectionis animæ, hujus languoris, seu suspendii extollitur causa, atque ex ipsa Dei cognitione (divini amoris flamma exurente) consurgit, & elevatur, quandoquidem anima detectis divini Numinis velamentis, facie ad faciem illo, quem ardenter diligit, frui peroptat, ad quem durante carnis mortalitate nequit devenire: Odit, & renuit se ad imagines illius inclinare, quem magis eisdem velari cognoscit, simulque sine velamine ænigmatum reseratum omninò ad votum invenire non potest; quamobrem quasi in medio suspensa, & constituta (ut benè notat Henricus Arpius *Teolog. mystic. lib.* 3 *part.* 3. *cap.* 25.) ex tribus complicatis humoribus ægrotat, & languescit, nempè ex tædio, desiderio, & spe: Tædio scilicet omnium, quæ perfectæ dilecti fruitioni adversantur: Desiderio intuendi gloriosam, & nudam faciem dilecti in plenitudine dilectionis: Spe firma perfruendi amato; quæ tanto sævior est, ac crudelior, quanto certior, & protractior.

271 Hi tres humores quibus hujusmodi anima ægrotare incipit, & languere, possunt tria ei adducere pericula, si eorum ordinationi Director non occurrat; quæ diffusè narrat illuminatus Joannes Rusbrochius *lib.* 2. *spirit. nupt. capit.* 26. ubi vi-

videri possunt; nos autem pro instructione Magistri, ea breviter compendiabimus. Primum est inquietudo, & impatientia animi, quia nimirum fervescentibus, & accensis desideriis fruendi dilecto, potest ita animus incalescere, & rapi, quod propter impatientem inquietudinem in ipso suo dilecto conquiescere non possit, cujus remedium est patientia, conformitas, & resignatio in divina voluntate: Et licèt interdum pro levamine permittatur ei cum David inclamare: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar; multum incola fuit anima mea*. (*Psalm.* 119. 5) Debet tamen in intima paupertate spiritus humiliter, & pacificè in illo sperare, & requiescere.

272 Secundum periculum est, quòd præ nimio desiderio placendi Sponso, insolitas, atque periculosas vias quærit; unde faciliter possunt à via cognitæ veritatis aberrare, & Diabolus qui semper calcaneo Justi insidiatur, mille ei offendicula, quibus infaustè ruat, offerre poterit: Propterea necessarium est Directori, eam summo studio dirigere, atque monere, quòd semper vias à Sanctis Patribus tritas, & edoctas (non aliis divertendo) consectare satagat: & quòd in omnibus, & per omnia securam obedientiæ viam sequatur, ita ut sine præcepto suo non audeat operari.

273 Tertium periculum est nimia, & inordinata divinarum delectationum concupiscentia, qua sui languoris levandi causa, vel fucato desiderio ampliùs fruendi amato, potest anima in maximam proprietatem, atque immoderationem incidere, quibus ad innumeras Dœmonis fallacias, & cavillosas delectationes apta efficitur, utpote quia languentes communiter appetere solent nociva. Quamobrem Director debet solicitè curare, quòd nullo unquam prætextu delectationem amplectatur, & amatum (omni suo quæstu prætermisso) propter se ipsum cupiat, & desideret, & donantem potiùs quàm donum sectetur, quinimò & magis cum illo velit afflictionibus, & doloribus in Calvario torqueri, quàm in Tabor gloriosis favoribus transfigurari; & quamquam amoris suavitas ingentes ei afferat delectationes, eas sobriè, justè, & in paupertate spiritus recipiat.

CAPUT XXVI.

De Vulnere divino, sive de plaga amoris viva.

274 VUlnus divinum, sive plaga amoris viva, ferè est summæ perfectionis sensificatio, nam licèt cunctis, & in omni statu amor vulnus infligat, hoc tamen vivo vulnere perfectissimi tantùm intimè consauciantur: Hoc igitur consistit in quodam subtilissimo, atque ardenti tactu Dei in animæ substantia, à quo veluti ab ardenti sagitta intimè, & suaviter vulneratur, & confoditur ut fatetur Augustinus, & affert Dionysius Carthusianus *de font. lucis*, *art.* 17. Quod quidem in plagam, & in flammam vertitur: in plagam, quia assiduè vulnerat: in flammam, quia semper ardet; quamobrem flamma viva nuncupatur, quatenus intimus, divinusque contactus in ea tanquam igneum stillicidium semper fluit, & infunditur; unde anima novo semper vulneris dolore afficitur.

275 Sed licèt vivè, & perenniter vulneret, & ardeat, atque anima intimè, & dirissimè torqueatur, tranquillè tamen, & pacificè vulnus recipit, & sagittantis amoris impulsum mira cum tranquillitate sustinet, utpote quia anima prorsus purgata est, & ad deiformitatem disposita: De cujus mirabilibus effectibus, sublimi loquitur calamo B. Joannes à Cruce *in flam. amor. viv. per tot.* ad quem remittimus Directorem, quia nos præsentiarum contenti erimus, solùm ea, quæ ad directionem necessaria videntur, adducere.

276 Scire igitur debet Magister, quòd hoc vulnus sumitur ex parte subjecti vulnerati; nam licèt vulnus ardeat, quia nimirum voluntas vulnerata in divini amoris incendiis conflagratur, & idem vulnus propter ejus assiduam inardescentiam sit flamma viva; propriè tamen flamma vulnerans, urens, & vivens, est divina communicatio, vel tactus Dei in anima. Sed an fiat in ejus substantia, vel in potentiis, est ingens difficultas, ut supra

cap. 14.

Cap. 14. nu. 128. & seqq. late expofuimus; quia cum plaga ex vulnere amoris fiat, & voluntas fit quæ amore ardet, plane videtur, quòd tactus vulnerans fieri debet in potentia vulneranda.

277 Sed nihilominus tamen ecstaticus; & expertissimus Joannes à Cruce *In flam. amor viv. Cant. 2. vers. 3.* de hujusmodi flamma, cum Deo loquens, fic effatur: *O Verbum Fili Dei, qui per tuam spiritualissimam, divinamque essentiam subtiliter penetras substantiam animæ meæ; quamque delicate contingens, eam diversis suavitatum generibus absorbes.* Quibus verbis colligitur, fubstantiam, five effentiam animæ, & non ejus voluntatem effe immediate vulneratam.

278 Licèt hoc difficillimum valde fit intelligere, ut fuperius dictum eft, maxime quia fubstantia in fe ipfa non recipit magis, & minus; unde hoc vulnus nihil aliud eft, nifi quædam approximatio, vel contactus divinus, five applicatio virtutis, quæ animam confortat, roborat, & excitat ad agendos per fuas potentias actus perfectiores illis, quos antea poterat per fe ipfam facere; quod quidem fit, ei imprimendo aliquam intrinfecam qualitatem, qua roborata excitatur ad altiffimam Dei cognitionem, & ardentiffimam ejus dilectionem; cumque per divinum contactum perfeveranter excitetur, eaque magis, magifque excitata ardentius femper operari conetur; inde incendium crefcit, & augetur, & propterea dicitur flamma viva, & vulnus divinum, quo perenni, fuavique ictu anima confauciatur.

279 Cognita igitur hujus vulneris quidditate, ubicatione, caufa, & modo, reftat ad Magiftri inftructionem aliquos ejus difficiles effectus explanare. „ Contingit „ enim (verba B. Joannis à Cruce *Ubi supra Cant. 2. vers. 2.*) quòd anima inva„ di fentiat à quodam Seraphim, telum „ ardens amoris geftante, ejufque ignito „ carbone, aut flamma quafi candenti fer„ ro vulnerari; atque inexplicabili dele„ ctatione fundum fui fpiritus transfodi. „ Et ulterius procedens ad effectus hujus „ vulneris, fubjungit: Aliquando corpo„ rali fenfui gratis conceditur, quòd in„ ternum vulnus exterius profiliat, & ma„ nifeftetur, ut contigit Francifco, inte„ rius modo prædicto in anima vulnerato, „ cujus effectus plagarum ad exteriores „ fenfus exiliavit; quia nunquam Deus „ ullum corpori concedit favorem, quin „ ampliorem principaliter animæ concedat, „ & tunc tanto vehementior eft dolor ex„ terioris vulneris, quanto major eft ejus „ amatoria delectatio; quamobrem uno „ crefcente, altera augetur.

280 Idem de fe affirmat Seraphica Therefia *In Vita sua cap. 29.* & quòd pluries Seraphim confpexit, qui oblongum, miffileque telum aureum manibus gerens, ejus flammanti cufpide, cor Therefiæ repetitis ictibus trajiciebat; quæ quidem vifio vera, & realis fuit, ficut & etiam vulnus, ut in ejus corde Abulæ honorifice recondito oculariter infpicitur; cujus in eo labia vulneris ab ignito Seraphim telo femiufta confpiciuntur; ubi non folum miraculofa fuit, illæfo, & integro torace vulneratio cordis intrinfeca, fed etiam quòd illo profundo vulnere corde transfoffo, naturalis vita poffet confervari.

281 Ignis etiam materialis, quo cor materialiter concrematur, videtur, non poffe amorem charitatis producere, quandoquidem hic eft actus potentiæ fpiritualis, quæ à folo intellectu movetur. Sufpicamur autem hanc externam demonftrationem fieri ad oftendendam flammam charitatis, quæ tunc in voluntate fupernaturaliter infunditur, ut contingit (ipfa atteftante Therefia) in inchoatione fpiritualis Matrimonii; ubi per materialem vifionem Deus animæ oftendit, fibi eam in Matrimonium velle copulari; quod nimirum fit, ut ait Therefia (*Mans. 6. c. 2.*) *Ut ab ea optime intelligatur, nec tanti ignara favoris sit.* Similiter in prædicta vulneris inflixione contingit, quod materialis vulneratio efficitur, non obftante quòd anima à materialibus formis foluta fit, ut tam egregii, divinique favoris bene compos fiat.

282 Hoc divinum vulnus nequit à Dæmone infligi, quamvis poffit fimilem Seraphim per vifionem effingere; cujus teli ignito cufpide poteft apparenter cor hominis vulnerare, & quafi vulneris dolorem incutere: Sed effectus hujus diabolicæ vulnerationis erunt longe diverfi à vulneratione divina, quandoquidem ille, neque

neque veram charitatem,neque delicatam, & suavem pœnam, simul cum ingenti virtutum incremento poteſt communicare, quinimo & vulneris dolor erit inquietus, lubricus, insuavis, pavorosus, & amor, gravis, ſenſibilis, carnalis, impurus, & amaritudine permixtus, & anima manebit ad vanitatem, & propriam æſtimationem, atque ad terrena proclivis; ad Cœleſtia autem gravis, & tarda.

283 In fœminis, quæ ſua imaginatione ductæ, ſæpe affirmare audent, ſe à Seraphim vulneratas eſſe: hujuſmodi viſio valde ſuſpecta eſt, utpote quia fere ſemper eſt vehemens imaginatio, quæ huic fragili ſexui nimis inficit; cujus ſeductionis cauſa eſt, quia ex teneritate naturæ dum aliquid vehementer amant, immoderata appetitus paſſione ducuntur; qui cum in corde reſideat, dolet utique eis hoc membrum principale, & cum dolor eveniat illo ipſo tempore quo divini amoris involvi flammis imaginantur, ſi forſan tunc Seraphim qui vulneravit Franciſcum. & Thereſiam reminiſcuntur, illico illis evenire ita imaginantur, quod id quaſi verum affirmare, & confirmare non dubitent (per experientiam loquimur.) Propterea præcaute procedat Director, cauſamque, modum, effectus, & animę perfectionem juxta prælibata diligenter obſervet, antequam in tam gravi materia ſe determinet.

284 Sed quid denique dicemus de his, qui aliquando affirmant, ſibi quinque Dominica ſtigmata interius, & exterius eis eſſe communicata, & expreſſa; atque omnibus ſextis feriis vivam, & realem reſpective perpeti Chriſti paſſionem? Inde incipiunt pavere, tædere, & profuſo uſque ad terram uberrimo ſudore contriſtari, & affligi: Poſtea ex catenarum, atque funium rigore manus tument, pulſus atteritur, corpus confringitur, ac demum caput ab ſpinea corona tumere incipit, atque frons ubi melius conſpicitur, qua ſi glebis, vel parvis tumoribus ſeminatur: Deinde vultus, & maxillarum una quaſi crudeli alapa percuſſa tumeſcit; humerus à pondere Sacrati Ligni conquaſſatur, & poſt puſillum demiſſo, atque fortiter extenſo in terram corpore brachia extendunt, & ex diriſſimo clavorum dolore manus titillant, anhelitus deficit, & in exigua ſuſpiria, & ejulatus proſilit. Denique in hac ſemper corporis diſpoſitione permanentes, ſe erigunt, atque ſpanſis brachiis firmiter ſtantes, quaſi vere ſpiritum emitterent, doloribus, & angoribus anhelitum exhalare videntur, & inclinato capite manent quaſi mortui, licèt ad repræſentationem inflicti vulneris diriſſimæ lanceæ toto corpore contremiſcant. Omnia hæc ſingulis feriis ſextis contigiſse Eliſabethæ Spalbeek Moniali Ciſtercienſi Cœnobii Heikenrodenſis in Brabantia, teſtantur Dionyſius Carthuſianus *Lib. 3. de contemp. art. 19. & Concio. de SS. art. 24. de paſſ. Dom.* Bloſius *In monil. ſpirit. cap 2. num. 7.* & D. Arnoldus *In auctar. SS. Belgii Joan. Molan. ad diem 19. Novembr. Et in Hierogazoph. Belg. ad diem 16. Martii* & ſimiliter quòd dominica ſtigmata interius, exteriuſque detuliſset, inſuper & ipſe Arnoldus longum texit cathalogum Sanctorum, quos Illuſtres nominat propter hujuſmodi imitationem paſſionis Dominicæ, & ob portata Chriſti ſtigmata in eorum corporibus impreſſa. Pariter & R.P. Fr. Joannes de Saracho *In vita Sor. Domnæ Antoniæ Navarra* accidiſſe teſtatur Sorori Domnæ Antoniæ Hiacyntæ de Navarra, & Cueva, quod aliquibus gravium perſonarum authenticis teſtimoniis in ſua mirabili vita refert, qui omnino videndus.

285 Ex hac viva paſſionis Chriſti repræſentatione, ubi dominicorum ſtigmatum dolore in anima tanguntur, affirmant, aliquando in exteriores ſenſus derivari. Sed licèt non negemus, Deum poſſe ſervis ſuis potiſſimum hunc favorem concedere, monemus tamen directores, ne facile hujuſmodi extraordinaria credant, & evulgent; ſed cautiſſime cum eiſdem procedant; ac primo ſciant, Dœmonem poſſe omnia hæc faciliter effingere, atque his fallaciis animam perdere, & alios multos fallere, & illaqueare. Aliquando enim viſum eſt ejuſmodi patientem eſſe energumenum, ſive à Dœmone poſſeſſum, qui ſimilibus fallaciis hominis illius æſtimationem, & applauſum per hujusmodi rara ſigna voluit comparare; de quo videndus eſt P. Henricus Sedulius *In com. ad vit. S. Franciſc. hiſt. Seraph inſer. cap. 13. nu.*

23. *num.* 10. Quamobrem bene perpendat statum animæ sic patientis, quatenus prædictus favor solum conceditur perfectissimis animabus, quæ nimis affectæ sunt meditationi, & contemplationi Passionis dominicæ, atque per longum tempus exercitio omnium virtutum perfecte ornatæ, ut dolorum Christi participes essent, profusis, & assiduis lachrymis postularunt: His namque aliquando hic favor misericorditer conceditur, ut ex Auctoribus paulo ante adductis constat.

286 Et licet possit incipientibus concedi juxta divinum beneplacitum, nunquam tamen (quod nos sciamus) nisi his perfectissimis concessum est; quæ simul debent eodem tempore, quo his doloribus, & tormentis afficiuntur, in profundissima passionis contemplatione, una cum intensissimo, & compassivo Christi amore occupari; quarum spiritus debet esse adeo elevatus, & à sensibus abstractus, quòd nullum alium dolorem, citra illum quem illis affert passionis consideratio, sentire possint, ut ex Blosio *Ubi supra* & Dionysio *Ubi supra* constat. Unde si ad punctionem acus, vel ad aliquam externam percussionem quantumvis fortem moveantur, proculdubio ficta est hujusmodi passio; quia ad nihil aliud remanet sensus in hac specie raptus, nisi ad suscipiendum dolorem, qui ex intima animæ consideratione resultat: Quamobrem, si aliter eveniat, potest, & debet timeri, vel fictio, vel Dæmonis illusio.

287 Insuper effectus perpendat, qui idem sunt, aut esse debent, sicut in hoc prædicto divino vulnere reperiuntur, & licèt bonus, & verus sit favor, curet Magister in silentio, & humilitate animam conservare; & aliquando eam probet præcipiendo interius ei in medio suæ passionis, quod ad sensus revertatur, atque à sua repræsentatione illico cesset, & si forte non paruerit, de ejus spiritu dubitare debet, atque his omnibus omnino illam privet: Si autem statim obedierit, poterit eam in suo exercitio relinquere, nihil enim aliud agere potest. De externis tamen signis, vel stigmatibus, quæ licèt vera sint, communiter tantum durant, quantum durat passio, parum curet, nec ea facile credat; quinimo etsi forte aliquæ ejus maculæ in manibus, vel pedibus appareant, jubeat eis, quòd aqua calida aut aliis remediis maculas illas omnino delere procurent: Quod si nihil sufficiat, curet ut ea omnino celare, & abscondere satagant; hæc namque admiranda signa periculis plena sunt.

CAPUT XXVII.

De desponsatione spiritualis animæ cum Deo.

288 UT nihil intactum ex Mystica relinquamus, de Desponsatione animæ cum Deo dicere oportet: „ Sicut enim matrimonium humanum (ait „ Henr cus Arpius *Theol. myst. part.* 2. *lib.* „ 1. *cap.* 99. inter virum, & mulierem „ initiatur per verba de futuro, & con- „ firmatur per verba de præsenti, perficiturque per copulam mutuam sequentem; sic etiam spirituale matrimonium inter Christum, & animam „ initiatur per fidem in Baptismo, confirmatur in profectu virtutum, & perficitur in gloria, quando inseparabiliter conjungitur anima cum Christo. Initiato verò matrimonio, jam dicuntur „ Sponsus, & Sponsa, quia se sibi alterutrum spondent, ut nec ille, nec illa „ alteri nubat. Hæc Arpius.

289 Sed licèt hic Auctor neget in hac vita contrahi matrimonium spirituale, nos verò expertissimam Doctoram Theresiam à Jesu, & alios quamplures sequentes, matrimonium divinum, quamvis non plene perfectum, ut tandem in Patria perficiatur, concedimus, ut ex sequenti capite constare poterit. Nunc autem de Desponsatione animæ cum Deo, quæ Matrimonium ratum, & promissio nuptialis dici potest, agendum est.

290 Triplex igitur est spiritualis Desponsatio: Prima per fidem, & charitatem, cæterasque virtutes, quæ à radice gratiæ sanctificantis procedunt: Secunda est per Religiosam professionem, aut per specialem, & perpetuam sui ipsius oblationem: Tertia denique per mysticam, atque altissimam Dei communicationem. Prima Desponsatio animæ fit in Baptismo, quo per donum gratiæ sanctificantis, ut ait

ait Petrus: *efficitur divinæ consors naturæ* (1. *Petri* 1. 4.) ibique virtutes, & dona quasi futuri matrimonii Arras recipit, simulque pretiosa veste innocentiæ, & annulo fidei subarratur, ut dixit Agnes Beatissima, & refert Ambrosius *In vit. S. Agn.* Propterea ait Dominus per Oseam: *Sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus* (*Oseæ* 2. 20)

291 Secunda Desponsatio per propriam, & spontaneam traditionem fit; cum nimirum anima sese spondet Deo, atque divino ejus cultui, amori, & obsequio se tradit: Quod quidem specialius fit per Religiosam professionem, vel Ecclesiastici status electionem, quibus homo interius, & exterius, omnes animæ, & corporis vires, in honorem, amorem, obsequium, & cultum Deo exhibet; Unde anima proprie fit Sponsa Christi, siquidem nomen hoc à verbo spondeo, sive à promissione sui ipsius sumit exordium; propterea anima sic devota Dei Sponsa merito vocatur, ut communiter vocant S. Hieronymus *De reg. Monach.* Ambrosius *Serm de Virgin.* Augustinus *In Psalm* 44. *vers.* 12. & omnes Patres.

292 Tertia Sponsatio per altissimam Dei communicationem fit, cum Deus animam per specialem mentis elevationem, & intensissimum ardorem charitatis sibi conjungit, & copulatur, atque de ardenti cum illa se perenniter uniendi desiderio compotem facit; spondens scilicet, ac promittens, se cum illa spirituale matrimonium habitualiter initurum, ut probant D. Theresia *Mans.* 7. *cap.* 2. Arpius *Ubi supra* & omnes Mystici. De hac igitur spirituali Desponsatione, sive actu divinæ promissionis, erit nobis sermo in præsenti capite.

293 Sed sciendum est, quòd sicut in humana desponsatione inter diem sponsationis, & nuptiarum spatium interponitur, quo consortes convenire debeant, & hoc utiliter, sapienterque statutum est, ut interim visitatio mutua frequentetur, & mutuus amor crescat, & augeatur, atque impatiens desiderium capiti consortii, quo magis differatur, amplius ignescat: Ita etiam inter desponsationem spiritualem, & matrimonium divinum spatium interponitur, in quo mutua visitatio, & non continua cohabitatio intercedit, quia ut bene notat Sanctissima Theresia (*Mans* 7. *cap.* 2.) *In desponsatione spirituali multoties Deus ab anima recedit*. Non quia eum anima perdat per gratiam, nec per assiduam præsentiam, sed quia non semper gaudet Sponso per illam communicationem altissimam, & passivam, qua eam tanquam charissimam futuram Sponsam, ex vi desponsationis actæ frequenter visitat. In hac igitur desponsatione, & matrimonii intercapedine amor divinus in anima augetur, atque ardenti desiderio fruendi amato ad celebrationem matrimonii disponitur, ut tenet Ricardus *De grad. violent. charit.* Fr. Thomas à Jesu *De orat. divin. lib* 4. *cap.* 13 & alii.

294 Hæc desponsatio mystica licèt regulariter celebretur cum anima jam penitus purgata, ac ab uberibus terrenæ consolationis avulsa, omnibus virtutibus ornata, atque à commercio sensuum, & materialium formarum absoluta; videmus tamen, & legimus nonnunquam cum puellis, & infantibus celebratam fuisse; quia cum Deus sit favorum suorum Dominus, dum futuram animæ sanctitatem prævidet, suus amor quasi moræ impatiens, in exordio vitæ, aut perfectionis, optatum, & prævisum matrimonium per actum desponsationis indicit. Propterea de aliquibus fœminis legitur, quod Puer Jesus eis in infantili ætate apparuerit, & vel solus, vel coram Beatissima Maria Matre sua, & Regina nostra, manum Sponsi placide obtulisset (*Surius in vita SS.*) Aliis verò ut Catharinæ Alexandrinæ in juvenili ætate (*In actib. S. Catharinæ apud Sur.*) Aliis denique ut Theresiæ in virilitate, aut senectute.

295 Primus actus desponsationis (ut anima compos fiat) aliquando fit sensibus per externam visionem; interdum phantasiæ per imaginariam; & plerumque intellectui per spiritualem, & intellectualem repræsentationem: semper autem in se continet altissimam cœlestis Sponsi notitiam, & ardentissimum amorem, unà cum ingenti Sponsi desiderio; cujus effectus sunt prorsus mirabiles, quatenus anima ita manet ad Deum conversa, & à creaturis aversa; quod inter eas vivere, & conversari pœnœ-

Z sus

sius ei sit ipsa morte: Tota quippe in Cœlestia rapitur; sui fundum intime colit, in quo Sponsum suum quasi florido amoris lecto per noctem quærit; nimis officiosa ad omnia opera virtutis, & ad sustinendos pro dilecto labores, & ærumnas se extendit, & denique in nullo, nisi in amato suo conquiescere appetit, ut late probat Fr. Thomas à Jesu *Ubi supra* & confirmant B. Theresia *Mans. 6 in fine, & mans. 7. c 1.* & Bernardus *Serm. 9. in cant.*

296 Hæc omnia, quæ nequit Dæmon sua malitia effingere, debet Director attente observare, ne in re tam magni momenti decipiatur; quamobrem non ad visionis corticem, sed ad medullæ effectum recurrat: Potest enim Diabolus aliquando se in Angelum lucis transfigurare, visionemque externæ desponsationis effingere; animum magna, & sensibili delectatione perfundere; manum mentiti Sponsi protendere, & divini matrimonii consortium callide promittere; effectus tamen prædictos non poterit imitari: Unde eis magis quàm visioni innitatur Magister, simulque statum animæ perpendat, in quibus difficile poterit errare.

297 Denique debet (casu quo vera sit divina desponsatio) animam in suis fervoribus continere, & ad perfectam, & prudentem operationem ordinare, atque à sensibilibus, (quoad mentis exercitium) penitus abstrahere; quam semper oportet in sanctissima obedientia conservare.

CAPUT XXVIII.

De matrimonio spirituali, & Divino.

298 MAtrimonium spirituale, & divinum, non tam excelsus, & divinus favor est, quàm altissimus status innumerabilibus, & divinis consitus favoribus; quandoquidem est illa camera cœlestis Sponsi omnibus pretiositatibus filiæ Regis abintus perornata: Lectus floridus miris Dei osculis, & amplexibus constipatus: In eo clamat Sponsa Sancta: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis (Cant. 1. 1.)* Ibi dilectus totus est dilectæ, sicut dilecto dilecta est tota; quæ licèt natura sit limitata, & contracta, gratia tamen extenditur, ut deliciarum immensi Sponsi capax efficiatur. Cesset calamus hoc exaggerare consortium, cum nec fere mens, aut lingua Angelica illud enumerare sufficiat. Legat attente Lector librum Cantici Canticorum, & Beatum Joannem à Cruce in suo Cantico per totum, ubi aliquos ex favoribus Sponsi in animam Sponsam suam collatos inveniet; pro omnibus enim vix Seraphica lingua sufficiet. Videatur Bernardus qui mellifluo calamo hoc divinum Matrimonium describit (*S. Bernard. serm. 83. & 85. in Cant. & de sept. gradib. contempl.*)

299 Nos verò de inchoatione hujus excelsi marrimonii, ejusque effectibus, pauca ad instructionem tantum Directoris afferemus; ac duce mirabili Theresia (*Mans. 7. cap. 2*) dicimus quòd hoc spirituale matrimonium in præsenti initiatur vita, ut in futura prorsus perficiatur: Hujus enim mortalitatis miserabilis conditio non sustinet inseparabilem Dei unionem conservare, in qua perfectum matrimonium consistit; quandoquidem in ea solum potest anima frequenter divini Sponsi amplexibus frui.

300 Est igitur *Matrimonium spirituale, & divinum* (ut constat ex Bernardo *Serm. 83. in Cant.* & Theresia *Ubi supra*) QUIDAM SPECIALISSIMUS, ET PRÆ CÆTERIS OMNIBUS ALTISSIMUS, ET SUAVISSIMUS DEI CONTACTUS, QUO ANIMA SECUNDUM OMNES SUAS SPIRITUALES POTENTIAS SUBLIMITER ELEVATA, ET DISPOSITA, ITA INTIME, ET TOTALITER UNITUR DEO, QUOD ALIQUO SALTEM MODO DEIFORMITATEM INDUISSE VIDEATUR Cujus videndi Deum altitudo, cujus apprehendendi securitas, & cujus fruendi delectatio, ut ait Seraphica mater (*ubi supra*) *Nulli alio, nisi cœlestis Patriæ statui valet comparari.* Adeo enim anima adhæret Deo, quòd ut Joannes testatur: *Unus spiritus fit cum eo.* Cujus unionem pulchre comparat Theresia (*Ubi supra*) *Guttis pluviæ in vastissimo mari defluentibus; quæ ita pelagi aquis miscentur, quòd nullus ambas possit*

possit amplius distinguere, & separare. Hanc, & alias hujus Matrimonii, & unionis divinæ comparationes, afferunt Gregorius Nacianzenus *Orat.* 21. Bernardus *In Cant ser.* 85. Gregorius *In Apoc.* 8. Gerson *De mystica Theol. cons.* 41. & alii.

301 Ibi anima divinis jam amplexibus fruens, illud oris Sponsi osculum concupiscit, quandoquidem illud solum quasi in pignus futuri, & interminabilis conjugii, suavissima delectatione accipere potest: Inter flammas divini amoris quibus liquescit, adeo dilatari, & extendi vires suas cognoscit, quòd putat se quodam modo immensitatem induisse: Cognitio quippe illius interminabilis objecti, adeo per illius immensitatis sinus extenditur (quasi divini intellectus particeps) quod adhuc superioris naturæ metas transegisse videatur. Cognoscit clare, voluntatem suam majori capacitatam esse latitudine, quàm intellectum: Totum siquidem illud universale, & incommutabile bonum amplectitur, & hoc quidem, eo capacius, quo suavis divini amoris oceano immergitur; quod proprie est, ut ait Psalmista. *Introire in potentias Domini.* (*Psal.* 70. 16.)

302 Nulla in hac mortali peregrinatione esse potest huic consimilis communicatio; nulla altius evolat; nulla sentitur suavior; non solum terminos explicationis, sed etiam perceptionis transcendit: Ibi anima omnia sua Sponso tradit, dum & ei (quasi bona essent communia) Sponsi bona traduntur: *Tempus advenit* (testatur Theresia *Ubi supra* sibi in simili casu dictum fuisse à Domino) *tempus* (inquit) *advenit, quo omnia mea quasi tua accipias; dum & ego omnia tua quasi propria curabo.* Communia quippe videntur animæ esse bona divina; commune contubernium; communis conversatio; communis deliciarum thalamus; communis fructus, & gloria communis; Quid amplius? Nihil profecto; nisi quòd velamine Sanctuarii detecto facie ad faciem intueri Sponsum, & amplecti valeat: Intensius hic mortalis corporis sentit gravamen; Hic anima vitalis nexus captivitatem quasi dirissimis circundata catenis dolet, & ingemiscit; nulli hic præterquam huic dolori locus, in cæteris verò solum viget deliciarum affluentia, dulcedinum exuberantia, & divinorum favorum copia, & denique quamquam vita vivit naturali, & obnoxia est gravibus peccatis, tamen super dilectum suum innixa, in eo spe secura conquiescit.

303 Hujus matrimonii spiritualis fructus sunt uberrimi, filios gignit divinus thalamus, anima quippe ad ulterioris, altiorisque perfectionis mirabilem operationem à Sponso ducitur; quæ veluti Dei filia, & Jesu Christi Sponsa (ut ait Apostolus) semper spiritu Dei agitur: Dumque deliciis affluit, operibus abundat; nec Martha redditur querulosa otiosæ contemplationis Mariæ; ambæ mutuo se adjuvant, se complectuntur: Ambæ suæ parti per altissimam occupationem respective deserviunt, & dum superior verba Sponsi attente audit cum Maria, inferior cum Martha Sponsi membris solicite ministrat. Hic conjunguntur duo extrema prorsus difficilia, & dum exterioris, interiorisque hominis partes separantur (pertingit enim hæc communicatio usque ad divisionem animæ, ac spiritus) per nexum tamen hujus divini contubernii, in unum universale, & necessarium bonum connectuntur: Propterea anima terram habitans, Cœlum non deserit, versatur in terris, & conversatur in Cœlis, & denique de terrena fit quodammodo cœlestis.

304. Effectus hujus matrimonii narrat B. Theresia *Mans.* 7. *cap.* 3. quorum primus est omnimoda in dilectum conversio, qua anima omnium tam terrenorum quàm cœlestium ita obliviscitur quoad proprietatem, quasi à corpore jam soluta nihil præter divinam fruitionem indigeret; sed non propterea necessaria corpori obsequia, & omnia quæ Sponsi sunt prætermittit, ablata tamen ab eis inordinatione, & proprietate.

305 Secundus est, ingens patiendi desiderium, quo omnia tormenta, ludibria, ærumnas, & persecutiones quasi fragrantes flores judicat, quibus Sponsi thalamus peronatur: Unde non gloriam, non famam, non divitias, non consolationes, non denique propriam fœlicitatem concupiscit, sed tantum Crucem Christi si-

nit, & appetit, ut amoris sui veritatem commendet.

306 Tertius est, in omnibus persecutionibus, ærumnis, laboribus, & infirmitatibus, incomparabile gaudium, ut cum Apostolo dici possit: *Gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi* (2. *ad Corint.* 12 9) Nulla enim major gloria est amantis, quàm amati similitudinem induere; quamobrem quo magis doloribus afficitur, tanto amplius amor exhilaratur, quoniam digna habita est pro nomine Christi contumeliam pati.

307 Quartus est longe sublimior effectus, utpote quasi se ipsam deserens, tota se amati sui voluntati postponit; quod nimirum consistit in quadam inquerulosa conformitate, qua hoc ipsum quod ardenter cupit, nempe dissolvi, & esse cum Christo, hoc pacifice, & tranquille sustinet, & ad votum amati renuntiare disponitur: Quis equidem non miratur? Proculdubio ille qui hoc amore tactus non fuit. Vidimus suspiria Pauli, *cupio dissolvi; quis me liberabit à corpore mortis hujus? Coarctor à duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo* (*Ad Rom.* 7. 24.) Ingemiscit etiam David, suspirat, & lachrymatur: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est; quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt lachrymæ meæ panes die, ac nocte* (*Psalm.* 119. 5.) Nobilis quidem hic affectus, sed nobilior hic divini matrimonii effectus, quo desiderium hoc magnum ut magis Sponso placeat, sic strangulatur.

308 Quintus est, perfectissima charitas per omnes suos gradus perfectissime ordinata, omnibus siquidem suum locum præstat; nihil alii majori anteponit; totam vim dilectionis in Deum vergit; ipse solus cor ejus possidet; ibi regnat Christus; totum pro eo stat habitaculum, licèt servis suis, hoc est creaturis loca sua debita destinet in corde; Deus autem ibi tanquam solus Rex imperat, & regnat; creaturæ tanquam servi, inferiora tenent loca; nihil amat extra Christum, & omnia propter Christum; ecce rectus ordo charitatis; quid mirum? Si cameram, & thalamum Sponsi ingressa est, atque meritus quasi ejus Sponsa personare valet: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem* (*Cant.* 2 4.)

309 Sextus est, intimum desiderium solitudinis, & perennis in Sponsum conversionis, illa quidem speciosa deserti, qua cœlestia pinguescunt, terrestria marcescunt: Illam melioris Bersabe solitudinem, qua divini amoris cœlesti pane, & sapientiæ aqua, qua Beati potantur, ut in hujus fortitudine cibi usque ad Montem Dei Oreb pervenire valeant, medullitus concupiscit; scit enim optime Sponsum suum in hanc eam solitudinem vocare per Oseam dicentem: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus* (*Oseæ* 2 14). Hanc igitur vehementer appetit: Quodsi interdum, vel utilitatis, vel necessitatis causa ab ea paululum prosilit, illico sentit se à Sponso amatorie vocari, atque ad suarum deliciarum thalamum reduci.

310 Septimus est, immutabilis, atque imperturbabilis suavitas, dulcedo, devotio, & delectatio, quin ei quidquam obstet laborum, & dolorum desiderium: In illis siquidem (ut diximus) gaudet suaviter, & dulciter delectatur. Hic ab anima procul abest ariditas, perturbatio, tædium, & tristitia; quia scriptum est: *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius; sed lætitiam, & gaudium* (*Sapientiæ* 8. 16.): Nec mors omnium amaritudinum amarissima, ullam profecto tristitiam affert, & quandoquidem pretiosa est mors Sanctorum, sponsatæ anima est pretiosa, & dulcis; nullis igitur eventibus perturbatur, nullis ambagibus fluctuat, nullis contradictionibus mutatur, utpote quasi de amati immutabilitate participans; scriptum est etiam: *Stultus ut Luna mutatur, Justus autem permanet ut Sol.*

311 Octavus, & ultimus est, omnimoda sensibilium formarum (quoad divinam cognitionem) abdicatio, atque materialium favorum qui directe ad sensum ordinantur, perfecta cessatio: Quamvis enim hujusmodi anima per imagines devotas, vel per alia externa signa, vel per creaturarum contemplationem, ac sui Sponsi memoriam excitetur, statim tamen sensibilem corticem relinquit, & ad pure spiritualem ejus cognitionem assurgit; quinimo & sensibilia omnia, tanquam

quam à divina, & incorporea essentia prorsus aliena, horret, fastidit, & rejicit, & generosæ Aquilæ ad instar, & super se ipsam elevans volatum, spiritualissimi Solis radios irreverberatis luminibus intuetur: In quarum sensibilium abdicatione formarum ingredi non debet Sacrosancta Christi Humanitas; in ea siquidem per hypostaticam unionem, ut ajebat Apostolus. *Inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter*.

312 Multi alii divinum hoc matrimonium consectantur effectus, quosquidem longum foret enumerare, & nos tantummodo, quos B. Theresia adducit, referre conati sumus. Quod si plures Lector desideret, legat Bernardum *in can. per tot.*, Joannem à Cruce *in can. per tot.* Richardum de Sancto Victore *de gradib. charit.* Rusbrochium *de ritu spirit. nuptiar.* Arpium *ubi supra*, & alios.

313 Actus inchoationis hujus matrimonii, sicut & desponsationis, sæpè sæpius fit per visionem imaginariam, licèt interdum per spiritualem fiat, ut affirmat Theresia *ubi supra*: Per eam apparet Cœlestis Sponsus matrimonium hoc cum anima initurus, quam variis monilibus virtutum, donorum, & charismatum, sub insigne pretiosorum lapidum subharrat, & exornat. Ad cujus visionis directionem recurrere debet Director ad ea, quæ superiùs de visionibus dicta sunt. Et ne Dœmon, qui aliquando (ut diximus) se transfigurat in Angelum lucis, eam per aliud effictum matrimonium decipiat, ad supradictos recurrat effectus; neutrum enim illorum Dœmon effingere potest.

314 Hic altissimus hujus divini matrimonii contactus, extra arbitrium recipientis militat, neque ab aliqua creaturarum mortalium potest habitualiter haberi, neque de illo potest dari habitus permanens, utpote à Deo gratis concessus, quem etiam animæ plenè dispositæ ad libitum negare poterit: Sed quia adeo fidelis, & charissimus est Divinus Sponsus, quod eum de semel concessa gratia non pœniteat, quinimò quoties anima divinum expetit amplexum, Sponsus se illi statim communicat; propterea matrimonium quasi status permanens ab omnibus habetur, quandoquidem sit auxilium transiens. Quod planè confirmat Seraphica Theresia his verbis: *Adeò Deus conjungi dignatur creaturæ, quod sicut illi qui non possunt se ad invicem separari; ita Deus ab anima se separare non permittit. (S. Theresia Mans. 7. cap 2)* Nihilominus tamen status iste fœlicissimus dum in Patria per completum matrimonium non perficitur, non eximit animam ab hujus mortalitatis miseriis, neque à periculo labendi in peccatum; nullus enim est in hac vita status (quantumcunque altissimus sit) in quo absque speciali privilegio, & sanctificatione, anima impeccabilis reddatur; contrarium verò erroneum est, & alta censura dignum.

315 Denique quoad internam desponsatæ animæ directionem, ferè nihil restat agendum Magistro: quatenus ipse Deus efficitur ejus Director, & per se ipsum eam elevat, regit, & ad sibi placidiora impellit: Sed licèt hoc ita sit, nihilominus vult, quòd alicujus hominis obedientiæ subjiciatur, & debitum naturalis prudentiæ ordinem servet; maximè cum multum illi obedientiæ virtus complaceat, & animæ multum proficiat, cujus quidem merito, & gloria eam privare non intendit: Quamobrem Magister debet hujusmodi animam in strictissima obedientia conservare, ejusque semper operibus attendere, ne fortè aliquando propria voluntate, aut levitate ducatur: nam licèt communiter à Sancto Spiritu moveatur, non ita certum est, quòd interdum à suo proprio captu non moveri possit: propterea necessaria est superintendentia Magistri; maximè si ea quæ operari intendit, vel prudentiæ, vel statui opponantur; nunquam enim per solam animæ relatam inspirationem in agendis procedat, sed per regulas prudentiæ, quibus magis quàm inspirationi attendere debet; hæc enim multis fallaciis obnoxia est, illa verò est virtus cardinalis, sive cardo virtutum, & perfecta regula agendorum.

CA-

CAPUT XXIX.

De Mirabili elevatione corporis, quæ animabus in statu Matrimonii spiritualis consistentibus evenire solet.

316 UT de hac mirabili corporis, & spiritus elevatione agere valeamus, supponendum est cum omnibus Mysticis, quòd aliquibus animabus, seu spiritualibus personis aliquando eveniunt quædam divinæ vocationes adeo vehementes, quòd ipsæ à sensibus alienatæ, eorum simul corpora in aere levantur, atque ibi per longum tempus suspensa perseverant, & ita levia redduntur, quòd ad quodlibet flabellum, sive auram tenuissimam, huc atque illuc moventur, & deferuntur, ut contigisse legimus Francisco, Joanni à Cruce, Theresiæ, Catharinæ Senensi, &aliis quamplurimis; quod quidem se vidisse testantur Spert Carthusianus *select. myst. part. 5. cap. 9. num. 2.* & P. Ferdinandus Caldera *Theol. myst. libr. 2 cap. 9. num. 10.* qui hoc refert cum notabilibus circumstantiis ad nostrum propositum apprimè necessariis, ait enim: „ Manet corpus suspensum, & à terra elevatum, & absque ullo pondere, vultus splendens, rubicundus, formosus, atque in carbonem ignitum conversus: Ex quo plane cognoscitur id quod ei in æternum præparatur fruendum: Unde videntibus quasi crystallinus exhibetur. Quod similiter affirmat D. Joannes de Palafox, Episcopus Oxomensis. *In suo. Pastor. noct. bon. cap. 12.*

317 Cum igitur certa sit, & pluries conspecta hæc corporis elevatio, circa ejus causam, & nomen non modicam in Mysticis reperio difficultatem: Circa nomen, utpote quia eam interdum vocant Ecstasim, & interdum Raptum; & quod rarius est, aliquando deliquium: ex quibus non parva oriri potest confusio, & animabus incommoda, nam si per doctrinam deliquii hujuscemodi animam dirigeret Magister, procuIdubio multum errare posset.

318 Certum itaque est quòd in nullo cum deliquio collineat, ut infra clarius patebit: Cum Ecstasi verò, in Raptu, in aliquibus convenit, nam convenit cum Ecstasi, quatenus ex altissima, & profundissima animæ occupatione nihil per sensus valet percipere: Convenit etiam cum Raptu, quatenus etiam hic Deus animæ potentias ad se rapit; sed distinguitur ab Ecstasi, quia in Ecstasi potentiæ non rapiuntur violenter, nec sensus manet omnino impassibilis, sed tantum præ nimia animæ absorbitione suspenditur: In hac verò elevatione remanet sensus non solùm suspensus, verum etiam omninò impassibilis, & spiritus rapitur in Deum: In Ecstasi etiam nec elevatur corpus, nec remanet formosum, leve, & crystallinum.

319 Distinguitur similiter a Raptu, quia anima in Raptu subitò, & violenter ad id in quo antea non erat interdum rapitur, & adducitur: In hac autem elevatione suaviter in ipsum objectum in quo erat, paulatim rapitur, & adducitur, ut docet experientia. Insuper Raptus est improvisus, neque potest antea cognosci: Elevatio autem manifestè prævidetur, & anima regulariter se potest prævenire; nam circa idem divinum objectum in quo versatur, solet anima in interiori sui fundo sentire quasdam vocationes interruptas, sive sibilos Sponsi vocantis, ad quos anima ad instar passerculi non adhuc bene violare potentis, qui parvis conatibus volitare incipit, volatumque tentans, sumit aerem, quo postea integrum volatum facere possit. Sic similiter contingit animæ in hac elevatione, in qua spiritus sibilos Sponsi vocantis sequi concertans, quasi exiguos volatus, vel conatus ad volandum agit, quousque omnino rapitur; atque ad divinum Sponsi vocantis sinum per magnam spiritus elevationem evolat, corpusque naturalem amittens gravitatem, à terra sursum elevatur.

320 Insuper in Raptu timet anima, pavet, & tremit, ex motu scilicet subito Raptus: In hac verò elevatione, nec timet, nec pavet, nec contremiscit, sed dulciter, suaviterque in Deum rapitur. In Raptu demum sensus concutiuntur, laborant, rigent, & laxantur: In hac

autem

autem elevatione (ut bene notat Ferdinandus Caldera *Ubi supra*) „ Sæpius „ corpus quod erat infirmum, multisque „ doloribus affectum, per hanc mirabi- „ lem elevationem prorsus sanatur, & „ ad omnia magnoperè habile, & expe- „ ditum redditur.

321 Raptus per suam violentiam, & improvisam invasionem non solùm corpus contremiscere facit, sed etiam interdum hominem quasi amentem huc, atque illuc pertrahit, e terra paulutum elevat (ut testatur B. Theresia *in vita sua*, *cap.* 20. & affert P. Jacobus Alvarez *Ubi supra* §. 5.) sed statim per suam naturalem gravitatem (quam non amittit) in terram concidit: In hac verò elevatione, nec corpus cadit, nec amenter pertrahitur, sed mirabili, & devota compositione à terra penitus elevatur, ubi gravitate naturali deperdita, manet per multum temporis in aere suspensum.

322 Etiam differt generaliter hæc elevatio ab Ecstasi, & Raptu (si expertis credere debemus) quatenus in hac elevatione exercitium animæ est longè sublimius, & excelsius, quia intellectus adeo altissimam habet notitiam Dei, quòd (intra limites fidei) videatur Deum sibi velum panduisse: Voluntas pariter dulci admodum suavitate in divina essentia immergitur; & ita vehementer, & delicatè amat, quòd cœlestis illius Patriæ fruicionem quodammodo imitetur. In Ecstasi verò, & Raptu, licèt altissima sit elevatio spiritus, est tamen longè inferior huic elevationi.

323 Denique differt ab eis, quatenus hæc elevatio cadit in virum perfectum, omnino purgatum, & in statu matrimonii spiritualis constitutum, ut statim videbimus, & licèt in hoc statu fœlicissimo plures anima Ecstases, & Raptus patiatur, quandoquidem hujusmodi favores extra hunc matrimonii statum conceduntur, & quibus hæc elevatio non conceditur, infertur, quòd hæc elevatio multum distet ab Ecstasi, & Raptu: Et auctoritatibus Mysticorum respondemus, quòd hæc elevatio vocari potest Ecstasis, & Raptus, quatenus in aliquo cum eis convenit; sed quod revera est ab eis valde distincta, & superioris hierarchiæ communicatio.

324 Sed multò major adest difficultas circa causam hujus mirabilis elevationis. Dicitur enim ferè ab omnibus Mysticis, quòd spiritus adeo vehementer in Deum elevatur, quòd per vim suæ elevationis corpus secum rapit, & extollit, atque sic elevatum conservat, donec spiritus elevatus perseverat: Ita tenent Alvarez *Ubi supra*. Spert Carthusianus *Ubi supra*, & omnes communiter. Sed ingenuè fatemur, quòd nunquam hoc intelligere potuimus, neque eorum adscribi sententiæ, propter aliquas rationes nostro videri valde difficiles.

325 Prima est, quia licèt spiritus possit corpus movere, & aliquantulum elevare, nequit tamen illud diu conservare elevatum, propter ejus naturalem gravitatem, qua naturali, & sibi insito appetitu, & pondere petit centrum; quam naturalem proprietatem non potest spiritus à corpore auferre: Unde videmus, quòd dum aliquis salit, quamvis ex vi vehementis conatus spiritus aliquantulum elevetur corpus, statim verò in suum centrum reducitur, quia spiritus non potest ei demere naturalem gravitatem, & appetitum innatum petendi suum centrum. Prætereà spiritus non potest immediatè corpus movere, sed per suum imperium, & per medium potentiæ loco motivæ, quæ sola potest corpori imprimere aliquid intrinsecum, & materiale per quod corpus moveatur, & tunc conservata ejus gravitate, moveri potest; unde nequit diu extra centrum suum conservari; quod quidem multò minus poterit spiritus per se solum agere.

326 Cœterum, quia gravitas, & ponderositas corporis cum sit ei naturalis, & propria, à nullo nisi à divino spiritu, qui est Auctor naturæ, potest auferri, quia solus naturæ Auctor potest naturales rei proprietates adimere; quamobrem neque spiritus Angelicus, neque humanus potest à corpore auferre naturalem gravitatem, quæ illi est naturalis, & propria, nec illud in aere diu conservare ablata omninò ab eo gravitate, ut in hac mirabili elevatione contingit; quin obstet locus ille Ezechielis supra *tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 14. adductus, quia spiritus qui illum elevavit inter terram, & Cœlum, non

fuit

fuit proprius spiritus, sed spiritus Angelicus (juxta sententiam Cornelii à Lapide) qui nullo modo abstulit à corpore gravitatem naturalem, & meliori, & veriori sententia, ut ex Sancio vidimus, corpus non fuit suspensum inter Cœlum, & terram, sed Ecstasim passus fuit Propheta, in quo illi visum fuit, ita esse suspensum. In hac verò nostra elevatione verè suspenditur corpus, & ab eo aufertur gravitas naturalis, & manet leve quasi palea, vel pluma, ut per palpabilem experientiam sæpius visum est.

327 Secunda ratio est, quia licèt spiritus possit ita elevare, & conservare corpus, & ab eo naturale pondus auferre (quod negatur) atque illud secum tollere, & rapere; ut corpus spiritum obsequatur, necessariò illud rapere, & deferre debebat versus illam partem in qua erat Deus, qui spiritum elevantem corpus ad se traxerat, & rapuerat. Cum autem Deus sit immensus, cujus ratione immensitatis ubique sit cum omni sua gloria, & Majestate, unde ajebat Psalmista: *Si ascendero in Cœlum, tu illic es; si descendero in Infernum, ades: Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis Maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* (*Psalm.* 138. 8.) Nulla ratio esse potest, quare corpus ut spiritum Deum obsequentem sequatur magis sursum, quàm deorsum, vel sinistrorsum, quàm dextrorsum moveatur, & elevetur, cum ubique sit Deus vocans, & trahens spiritum ad se, qui ut Deum suum sequatur, non indiget à terra elevari; elevatio quippe spiritus ex eo dicitur, quia Deum per intellectum, & voluntatem cognoscit, & amat; eumque dum pro objecto habet, à terrenis rebus abstrahitur, qui cum altissimum sit omnium objectorum cognoscibilium, dum intellectus eum cognoscit, & voluntas amat, meritò dicitur spiritus elevari: Deinde quia dum spiritus per supernaturalem fidei cognotionem in Deum occupatur, quia transcendit suum ordinarium modum cognoscendi, & in eum qui supra naturam est, per cognitionem supra naturam assurgit, propriissimè dicitur elevari in Deum: Quam elevationem etiam habet in Ecstasi, & Raptu, & in eorum nullo elevatur corpus, sicut in hac elevatione contingit: Ergo ut supernaturaliter elevetur spiritus in Deum, non indiget corpus elevare, ergo non elevatur à spiritu proprio.

328 Nec valet si dicas, quòd licèt Deus sit ubique per essentiam, præsentiam, & potentiam, specialiùs tamen sursum in Cœlo assistit, ubi quasi in propria sede Regni sui, amicis suis, & electis in æternum manifestari decrevit, unde spiritus illuc tendit, & Regnum Cœlorum quasi sedem sui dilecti Sponsi, & Divini Regis conspicit, & appetit; & proptereà ante Missæ præfationem canit Sacerdos: *Sursum corda*, ut omnes ad illud Cœleste Regnum sua corda dirigant. Quia respondetur per ipsius Jesu Christi sententiam, qui sciscitantibus de Regno Dei, respondit: *Neque dicent, ecce hic, aut ecce illic: Ecce Regnum Dei intra vos est.* (*Lucæ* 17 21.) Et Augustinus, Gregorius, & alii communiter in hunc locum affirmant, Regnum Cœlorum esse animam Justi, ubi Deus inhabitat, licèt in materiali Regno Cœlorum Beatis in æternum manifestare absque velamentis gloriam suam decreverit: Ergo non indiget spiritus, ut ad Deum vadat, sursum se elevare, neque sursum corpus attollere; maximè cum in se ipso habeat Deum specialiùs assistentem.

329 Sed si adhuc insles, quòd licèt hoc verum sit, attamen dum spiritus Deum concipit ut in Cœlis elevatum, & assistentem, illic amplecti, & frui concupiscit, & appetit, & eo ipso quod videre eum facie ad faciem in æternum peroptat, ad Cœlum tendit ejus desiderium, quod sufficit ut spiritus sursum ire conetur. Respondemus, quòd adhuc in hoc casu restat prima ratio impossibilitatis, nempe quòd spiritus nequit à corpore auferre naturalem gravitatem, & inclinationem ad suum centrum, unde illud elevatum conservare non potest, ut in hac elevatione contingit: Ergo hæc fieri nequit à proprio spiritu. Et ad exhortationem Ecclesiæ respondemus: quòd sursum elevare corda, est corda ad Deum dirigere, qui ratione suæ altitudinis corda sibi cohærentia sursum elevat, illaque Deum cognoscendo, & amando sursum elevantur.

30 Denique, si dicas quòd per spiritum intelligunt Mystici spiritum Angelicum, sicut olim Prophetæ Abacuc, & Philippo Eunucho Reginæ Candacis contigit. Respondemus primo, quod si ab spiritu Angelico corpus elevatur, non jam à proprio spiritu, ut expresse dicitur à Mysticis: Secundò, quod adhuc in eo casu elevatur corpus ab Angelo illud relinquendo cum sua naturali gravitate, quam ipse sua propria virtute nequit ab illo tollere; neque nobis compertum est per Scripturam, quod corpora Abacuc, & Philippi amiserint suam naturalem gravitatem, ut in hac elevatione contingit.

CAPUT XXX.

De auctoris sententia circa causam hujus elevationis corporis.

331 NUllus equidem ex pluribus doctis, & spiritualibus, quibus hanc difficilem prorsus materiam consuluimus, aliam rationibus nostris satisfactionem obtulit, nisi quod viri expertissimi, & docti scripserunt, & affirmarunt, corpus à violentia spiritus elevari, ibique fixum, & elevatum permanere, cum omnibus circunstantiis supra relatis; modum tamen quo hoc fiat, ignorant, quinimo & miraculo adscribunt. Nos verò ejusmodi non contenti satisfactione, judicium nostrum ex elevationis circunstantiis deprompt um, censuræ peritorum, & sapientium exponemus; obtestantes, nullam majorem optare auctoritatem, quàm eam quæ rationibus, & fundamentis adducendis jure debeatur.

332 Ad quod quasi præliminarie reminisci oportet eorum quæ antecedenter diximus, scilicet hanc elevationem fieri animabus in matrimonio spiritualI constitutis, in quo anima adeo altissimam habet Dei notitiam, & suavissimam, intensissimamque dilectionem, quòd nullis nisi illius Cœlestis Patriæ valet comparari, ut ex Theresiæ auctoritate probavimus (*Supr. cap. 28. num. 293.*) Insuper quòd corpus omnino amittit naturalem gravitatem, & veluti pluma, aut palea ad tenuissimum flatum movetur, & utrinque circunducitur, maneique diu à terra elevatum; cujus vultus formosus, splendens, & quasi crystallinus redditur, & adeo impassibile, quòd (ut pluries expertum est) nec punctionibus acuum, nec majori ictu, nec quavis percussione dolet, nec patitur.

333 His igitur suppositis (quæ confirmat ocularis, & quotidiana experientia) scire debemus, quòd matrimonium spirituale, in quo hujuscemodi elevati consistunt, in hac vita inchoatur, ut in altera perficiatur, & in æternum consumetur, ut supra *Cap. 28. num. 299.* probavimus; utpote quia Regnum Cælorum est Regnum cœlestium nuptiarum, ut testatur Dominus per Matthæum dicens: *Simile factum est Regnum Cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo* (*Matth* 22. 1.) Istæ nuptiæ, quas Deus in gloria cum animabus justis perficiet (ut tenet Theophilatus, & alii quamplurimi) in hac præsenti vita inchoantur: *In novissimis temporibus* (inquit) *perfectæ apparebunt istæ nuptiæ, & ad vesperum, & ad finem sæculorum.*

334 In altera igitur vita divinus Sponsus ad matrimonium perfectum, & completum, eas septem Dotibus, quasi arris æterni conjugii locupletabit; ex quibus animæ tres concedet, & corpori, quatuor restantes. *Dotes animæ* erunt, VISIO, quę ut tenet D. Thomas *1. p. q. 12. art. 7. ad* 1. fidei hujus vitæ respondet: COMPREHENSIO, sive firma, & perfecta apprehensio illius boni, quod in hoc sęculo sperarunt; quæ virtuti spei Theologicę correspondet: FRUITIO, quę gaudium est boni præsentis, & refertur ad charitatem: Quæ quidem Dotes secundum quod elevant ad perfectiorem, & altiorem statum quam hujus vitæ, ut tenet Schola Thomistica: *Induunt rationem dotis; id est, ornatus dispositionis, & habilitationis Sponsæ ad illas nuptias divinas* (*Gonet Manual. Thomist. tom.* 3. *c.* 5. *§.* 1.)

335 *Dotes quæ conceduntur corpori*, sunt, IMPASSIBILITAS, omnem passionem, & dolorem excludens; SUBTILITAS, quæ corpus reddit penetrabile, diaphanum, & ex animali, & terreno, in spirituale, & cœleste convertit; quod confirmat Paulus *1. ad Corint.* 15. 44. dicens: *Seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale.* AGI-

LITAS, qua à naturali pondere, & gravitate absolutum, ut cumque voluerit summa agilitate moveri poterit. Denique, CLARITAS, qua remanet formosum, & splendens tanquam Sol, juxta illud: *Fulgebunt Justi sicut Sol in Regno Patris eorum* (*Matth.* 13. 43.)

336 Omnes prædictæ Dotes, tam animæ, quàm corporis, quæ ad consummandum æternum illud, & perfectum matrimonium in Cælo conceduntur, omnes oriuntur, emanant, & redundant (ut docet Augustinus *Epist.* 56. *ad Dioscor.*) ex visione, & dilectione Beatifica: „ Tam „ potenti natura (inquit) Deus fecit „ animam, ut ex ejus plenissima Beatitu„ dine, quæ in fine temporis Sanctis pro„ mittitur, redundent etiam in inferiorem „ partem, quæ est corpus; non Beatitu„ do, quæ fruentis, & intelligentis est „ propria; sed plenitudo sanitatis, id est „ incorruptionis vigor. Quod confirmat „ D. Thomas *In* 4. *contr. Gentes* dicens: „ Sicut anima divina visione fruens, qua„ dam spirituali claritate replebitur, ita „ per quandam redundantiam ex anima „ in corpus, ipsum corpus in suo modo „ claritatis gloria induetur.

337 Hujus cœlestis matrimonii arras recipit anima in hac vita, Divino Spiritu mediante, ut expresse tenet Chrysostomus *Hom. in Matth.* 22 per hæc verba *Hic autem quasi arras futuri conjugii Spiritum Sanctum accipimus*. Unde si matrimonium imperfectum quod in hac vita Deus cum suis amicis celebrat, non est al ud nisi inchoatio matrimonii perfecti, quod ipse cum eisdem perficiet, & consummabit in Patria; cujus quidem perfecti matrimonii, quasi in arras ejus securitatis, tribuit animabus Deus suum Divinum Spiritum, valde congruenter inferre possumus, quòd hæc elevatio quæ fit cum his quibus sibi copulavit per matrimonium inchoatum, sit quædam ostensio arrarum, & dotium matrimonii perfecti, quas nunc mediante suo Divino Spiritu eis respective communicat.

338 Quod manifeste conjicitur ex eo quòd in hac elevatione, vel arrarum, vel dotium ostensione, reperiuntur (licèt imperfecte) omnes animæ, & corporis dotes, quæ in illo perfecto matrimonio Patriæ perfecte videbuntur; nam primo quoad animam reperitur VISIO, quandoquidem in hac mirabili elevatione anima adeo altissimam habet Dei cognitionem (licèt intra limites fidei) quòd Deum suæ divinitatis velum reserare videatur. Adest COMPREHENSIO, quia per realem, & actualem possessionem ita apprehendit speratum bonum, quòd ex vi certitudinis comprehensionis putet illud in æternum possessurum, ut credebat David, cum dicebat: *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum* (*Psalm.* 29. 7.) Et Sponsa Sancta: *Tenui eum, nec dimittam* (*Cant.* 3 4.) Demum viget FRUITIO, siquidem æterno bono diu sperato, tanquam animæ præsenti, incomparabili suavitate, & dulcedine perfruitur. Hæ Dotes reperiuntur in anima sic elevata; quæ licèt imperfectæ valde respectu illorum cœlestis Patriæ, longe tamen perfectiores sunt, his quæ communiter in quolibet alio unionis actu hic haberi possunt.

339 Videmus etiam in hac elevatione quasi Dotes corporis, quandoquidem reperitur (licèt imperfecte) IMPASSIBILITAS, siquidem neque pœnam, neque molestiam patitur, nec acus punctum dolet: SUBTILITAS, quia redditur quasi diaphanum, & crystallinum, & potius videtur cœleste, quàm terrenum: AGILITAS, nam à terra in altum extollitur, ibique elevatum diu perstat, & ad tenuissimum flatum (amissa omnino ejus gravitate) circunducitur: CLARITAS, quia manet formosum, rubicundum, & splendens.

340 Nunc igitur sic argumentari possumus: Si in matrimonio perfecto Patriæ ex visione, & dilectione Beatifica redundant, & effluunt hæ Dotes perfectæ, & completæ; non incongrue dici poterit, quòd in matrimonio imperfecto, & incompleto hujus vitæ, in quo dantur animæ Arræ securæ matrimonii perfecti, & completi, ex supernaturali luce, & amore, quibus anima abstractive Deum videt, & seraphice comprehendit, confluant, & redundent in corpus elevati ipsæmet Dotes, licèt imperfectæ, & incompletæ Fatemur ingenue ejusmodi congruentiam intellectui nostro maximam vim inferre: Quamobrem verosimilius judica-

dicamus, hanc elevationem ab hujuscemodi causa procedere; non verò quòd spiritus humanus sua virtute post se corpus rapiat, & extollat, ut communiter habetur.

341 Neque ullius obstaculi est doctrina Angelici Præceptoris *In supplemen. q.* 84 *art.* 1. asserentis, quòd anima Beata, non solum corpori unitur tanquam forma, sed tanquam suus specialis motor; utroque enim modo corpus subest animæ; Ideoquam per Dotem Agilitatis subjicitur tanquam motori; unde redditur habile, & expeditum ad omnes motus, & actiones animæ: Propterea deduci posse videtur, quòd spiritus possit corpus attollere, & elevatum diu conservare; quia respondetur, quòd hæc doctrina intelligenda est de anima, & corpore jam Beatis, & gloriosis; non verò de mortalibus, & passibilibus.

342 Et si forte instes ad hominem: Quod sicut nos corpus passibile particeps facimus Dotum Beatitudinis, licèt imperfecte, & incomplete; etiam debemus fateri, corpus ita elevatum particeps fieri (licèt imperfecte, & incomplete) ejusdem subjectionis sequendi spiritum, quam habebit perfecte, & complete in Beatitudine; quamobrem hoc imperfecto motu poterit spiritum sequi, & cum eo sursum elevari; ac per consequens dum ipse manet elevatus, corpus pariter elevatum permanere: quia respondemus, quòd spiritus ut prædicto modo Deum videat, & perfruatur, non indiget localiter elevari, cum in se ipso spiritualius Deum habeat, & possideat, unde non ex motione spiritus procedit elevatio: Præterquamquod absque participatione Dotis Agilitatis, non potest corpus spiritum obsequi, neque ei subjici tanquam speciali motori; per hanc enim Dotem illi sic subjicitur in Beatitudine: Proinde sequitur, quòd causa sequendi spiritum ex ipsa doctrina Angelici, sit participatio Dotis agilitatis, quam comitantur cæteræ, sicut experientia probatur. Unde manifestum videtur hujusmodi elevationem corporis, non à spiritu ex propria virtute procedere, sed ex imperfecta participatione Dotium, quas quasi Arras perfecti matrimonii Patriæ, in hoc matrimonio imperfecto hujus vitæ per Spiritum Sanctum lumine, & amore infusis recipit. Et confirmatur experientia, quia interdum corpus plus, aut minus elevatur, & elevatum plus, aut minus durat, plusve, aut minus Dotes participat; quod provenire potest per majorem, vel minorem intensionem infusi luminis, & amoris, juxta quos respective Deum participat spiritus, & intuetur.

CAPUT XXXI.

De practica instructione Directoris circa hanc corporis elevationem.

343 HÆc mira corporis elevatio à quocumque principio, & causa bona procedat, certissimum est, quod extra accipientis arbitrium sit illam habere, vel impedire, sicut etiam in ejus spiritus substantiali elevatione nihil agendum restet Directori, cum illius communicatio altior, & perfectior sit cæteris omnibus, quæ in antecedentibus favoribus fiunt, & animæ sic elevatæ, quasi jam in spirituali matrimonio constitutæ, Dei spiritu aguntur, ut superius *Cap.* 28. *num.* 275. dictum est.

344 Circa ejus externam communicationem, & virtutum operationem, & cætera quæ exteriora sunt, dirigenda est principaliter actio Directoris, & primo debet curare, quòd ejusmodi animæ in humilitate, & paupertate spiritus conserventur: Propterea debet eas frequenter increpare, & omnia opera sua vilipendere, & quasi imperfectissima, & mala corrigere, & increpare; quia dum in hac mortalitate vivunt, obnoxiæ sunt peccatis, ut vidimus Davidem, Salomonem, & alios ex altissimo perfectionis statu collabisse; unde necessarium omnino est, eas semper humiliare, corrigere, atque in intima dejectione conservare.

345 Secundò, nunquam eis vultum exhibeat humanum, sed rigidum, & austerissimum, & elevationes quas patiuntur, non laudet, quinimo eis dicat, ut paveant, & contremiscant, ne à Dœmone illudi possint, quia licèt ipsæ securæ sint, illam elevationem esse à bono spiritu (Deus namque illis hanc securitatem infundit, de qua nullatenus possunt ambige-

bigere (servit tamen ut ipsæ putent, quòd earum Director non eis credit, neque favores earum æstimat, neque eas tanquam perfectas reputat, & hoc modo in humilitate conservantur.

346 Tertiò, curet semper quòd hujusmodi animæ mortificationem omnimodam, & exercitia virtutum colant, à Deo humiliter petant æternam salutem, & orent pro Ecclesia, pro Principibus Catholicis, pro Animabus Purgatorii, & pro cæteris omnibus, pro quibus Sancta Mater Ecclesia docet nos orare, & omnes quas possint indulgentias lucrari, & consequi procurent; ne forte aliqua mala doctrina ductæ putent, in adeo altissimæ perfectionis statu esse constitutas, quòd nullo prædictorum indigeant; cum nullus status in hac vita adeo excelsus sit, quòd ab his, & similibus animas absolvat, neque à periculo labendi penitus auferat.

347 Quartò, curet scilicet ejusmodi homines abscondere, ne forte eis in aliorum conspectu hæ elevationes contingat, & dum aliis loquuntur, omnino vitent illas confabulationes, quibus ad hanc moveri elevationem experti sunt, & dum cognoscunt spiritum moveri, velociter fugiant, & in secretum cubiculum se retrahant. Si verò adeo velox sit elevatio, quòd nullum eis fugiendi tempus indulgeat, jubeat eis quòd aliquem postem teneant, vel columnam, aut aliquid immobile amplectantur, ne corpus cum aliorum admiratione in altum elevetur.

348 Quintò, quod à Deo enixe postulent, quòd omnia exteriora, quæ possint esse admiratione digna, ab eis auferre dignetur, quandoquidem ipse Dominus adhuc in tam ordinaria actione, ut est orare, publicitatem fugere consulit per Matthæum, dicens: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito (Matth. 6. 6)* Quanto ergo magis in quantum possibile sit, debet in publico vitari res adeo rara, & mirabilis?

349 Sextò, & ultimò, debet omnes circunstantias prædictas in elevatione mature considerare, ne forte facili credulitate decipiatur; quia scire debet, quòd licet Dæmon nequeat hanc elevationem spiritus effingere, nec imitari, potest tamen corpus extollere, & externis splendoribus circumvestire, ut olim visum fuit in illis famosis Magis, Simone, Hermogene, & Phileto, ut testatur Abdias in vitis Sanctorum Apostolorum Petri, & Bartholomæi; quamobrem debet Director interiorem animæ occupationem examinare: Si enim cognoverit, quod simul cum corpore elevatur spiritus in illam altissimam Dei cognitionem, & fruitionem, erit proculdubio vera, & legitima elevatio, à jurisdictione Dæmonis prorsus immunis: Si autem exigua, vel nulla sit spiritus elevatio, erit profecto astutia, & fallacia Dæmonis, vel ad inferendam animæ vanitatem, vel ad aliquod damnum consequendum.

350 Una est generalis regula ad discernendos omnes favores supernaturales, qua debet uti Magister, ut plenius de omnibus fiat satis, maxime de his in quibus sensus perduntur, & alienantur, quæ nimirum est, ut interius, & intra se ipsum præcipiat animæ, quòd ab elevatione, raptu, extasi, vel deliquio statim cesset, atque in sensus suos revertatur: Quæ si illico præcepto paruerit, absque dubio erit à bonó spiritu occupata; nullus quippe (Deo excepto) potest pure interna cognoscere, qui solus scrutator est cordium, & ipse mavult obedientiam, quàm victimam, & animæ statim injungit, quòd præcepto sui superioris pareat. Dæmon verò cum pure internum non percipiat, nequit monere animam, ut saltem ad majorem dissimulationem imperio Magistri obedire satagat.

351 Sed hæc generalis regula aliquas habet limitationes, scilicet, in deliquiis materialibus, quatenus in eis simul patitur spiritus, & caro, & quamquam ad obediendum sit promptus spiritus, caro autem est infirma; quapropter nequit illico ab alienatione, & deliquio ad sensum reverti, sicut potest spiritus, qui nullo corporali impedimento detinetur. Itaque non statim damnandum est deliquium, si illico homo ab eo per præceptum non revocetur; debet tamen (& hoc notet Director) statim ad minus quasi qui excitatur à somno expergisci, & aliquo modo in se redire: Quod si nullo modo per præceptum moveatur, poterit tutò ejusmodi

modi deliquium damnare. In ectasi autem, raptu, & hac elevatione corporis, cæterisque favoribus ubi sensus non patitur, debet anima statim in sensum redire, & integre præcepto Directoris parere, ut colligitur ex Theresia *In vita sua, cap.* 29. & communiter tenent Mystæ.

352 Pro coroinde omnium supernaturalium favorum monemus omnes Directores, atque per viscera Jesu Christi humiliter obsecramus, quòd ejusmodi extraordinariis rebus non sint affecti, sed potius ament viam securam, tritam, & ordinariam, utpote per exercitia virtutum, per mortificationem, & divinæ cognitionis, & amoris respect vam occupatione; fugiant penitus horum mirabilium desiderium; ament in filiis suis humilitatem, subjectionem, puritatem vitæ, & morum integritatem, potius quàm elevationes, revelationes, raptus, & his similia; in quibus valde timere tremere, & invigilare procurant, quatenus magna nimiis est humana fragilitas, & Dœmonis astutia, & cavillositas, & audemus dicere, quòd plus optare debeat inermi pectore armatorum militum copiam aggredi, vel cubile fame icorum Leonum, aut sævientium Struthionum introire, quàm animas hujusmodi rebus constipatas regere, & gubernare.

353 Fœminas (qualescumque illæ sint) in supernaturalibus valde suspectas habeant, quatenus sunt ex natura sua imaginativæ, acuminosæ, faciles, debiles, amicæ novitatum, propriæ voluntati, & appetitus delectationi deditæ, mendaciis infectæ, & denique Dœmonis illusionibus nimis aptæ, & dispositæ, ut nos per experientiam didicimus. Et si bene advertant Directores, fere omnes fœminæ vix limen orationis attingunt, cum jam revelationes, & desvelationes, impetus, & alia similia affirmant habere, & perpeti; quæ raro in viris reperiuntur, quandoquidem isti fortiores, & capaciores sunt ad ea quæ sunt virtutis, & perfectionis: Quod quidem provenit, (ut ait D. Thomas 1 *epist. ad Thimot* 2 *lect* 3) ex facili earum natura, & ex defectu rationis in eis; quamobrem passim in supernaturalibus fallunt, & falluntur, & interdum cum magno virtutis ludibrio, & maximo dedecore, & confusione Directorum.

354 Nullo igitur pretextæ eis permittat (& omnibus generaliter) quòd visiones, revelationes, & alia supernaturalia scribant, atque chartarum farraginem componant, & multo minus proprias vitas, neque aliis favores suos narrent, neque his exempla aliis præbeant; hæc quippe plena sunt periculis, erroribus, & illusionibus: Poterunt tamen res suas scribere, ut majoris expressione Ductori patescant, qui mellius faciet hujusmodi relationes igni tradendo, quàm apud se reservando, & hoc licèt anima affirmet habuisse inspirationem, vel præceptum divinum scribendi, aut hujusmodi scripta conservandi. Cum enim ad proximorum utilitatem, aut ædificationem vult Deus quòd mundo innotescant, non ipsis regulariter animabus, sed earum Directoribus inspirat; quæ si vere humiles sint, potius optare debent quòd omnia sua peccata illis præcipiatur omnibus detegere, quàm virtutes, divinosque favores manifestare, & scribere.

355 Hujus veritatis optima testis est Seraphica, & Divina Theresia à Jesu, quæ repetitis Confessariorum, & Prælatorum mandatis summo cum dólore obtemperans, sic in præfatione suæ Vitæ scripsit: „ Cuperem ego, quòd sicut mihi præceptum est, & largissime permissum, ut „ meæ orationis modum, atque favores „ à Domino receptos scribam, mihi potius permitteretur, quòd scriberem clare, & minutatim omnia mea peccata, „ meæque vitæ vilitatem, quia hoc maximam mihi consolationem affert, sed „ optatis meis votis nullatenus annuerunt, quinimo & in hoc casu multum „ me constrinxerunt suis præceptis. Hæc Sancta Mater, & hi sunt veri spiritus fructus; ex quibus dignoscere poterunt Directores, non solum utilitatem quam Deus ex Vita, & scriptis hujus mirabilis Heroinæ, & Mysticæ Doctoræ volebat comparare; sed etiam magnam rationem, qua ducti sunt ejus Prælati, & Directores, qui tale, tamque strictissimum scribendi mandatum imposuerunt, & quandoquidem (ut nefas erit dubitare) divina inspiratione ducti sunt: Nihilominus tamen

mes magna penſitatione, & mora proceſſerunt, antequam Thereſiæ hoc præceptum imponerent.

356 Igitur ſi anima indicaverit Directori quòd à Deo monita eſt, ut vitam ſuam, vel revelationes ſcribat, eam acriter reprehendat, atque ut ſuperbam nimis arguat, & humiliet; indignum quippe eſt, & lamentabile quod paſſim conſpicimus; ſcilicet quòd ferre nulla Monialis eſt, aut Beata, quæ farraginibus revelationum, aut hallucinationum non ſit onuſta; nec deſunt aliqui Magiſtri ſpirituales ita faciles, quos de hujuſmodi fœminis adhuc viventibus vitas, & revelationum volumina concinnare non pudeat, contra monitum Eccleſiaſtici dicentis: *Ante mortem ne laudes hominem quemquam* (*Eccli.* 11. 30.) Cui addit Ambroſius: „ Quia „ unuſquiſque quandiu vivit obnoxius eſt „ lapſui, nec ſenectus immunis à crimi- „ ne: Ideo legis quia Abraham mortuus „ eſt in ſenectute bona; ideo quia in bo- „ nitate propoſiti ſui permanſit: Mors igi- „ tur vitæ eſt teſtimonium, nam ſi lauda- „ ri ante Gubernator non poteſt quàm in „ portum Navim deduxerit; quomodo „ laudabis hominem priuſquam in ſtatio- „ nem mortis ſucceſſerit? Et ipſe ſui eſt „ gubernator, & ipſe vitæ hujus jactatur „ profundo, quandiu in ſalo iſto, tandiu „ inter naufragia: Dux ipſe niſi confecto „ prælio non ſumit lauream, nec Miles „ arma deponit, nec ſtipendii merces adi- „ piſcitur, niſi hoſte ſuperato. Mors igi- „ tur ſtipendiorum plenitudo ſumma mer- „ cedis gratia miſſionis eſt „. Hactenus Ambroſius. (*apud Liram in hunc loc.*)

357 Noſcant ergo tales Directores ſuam nimiam facilitatem, aut ſimplicitatem; ſcripta hujuſcemodi comburant, quandoquidem ad exemplum, & ædificationem ſtatuum perſonarum, tot Sanctorum canonizatorum vitæ jam ſcriptæ ſufficiant, quin neceſſarium ſit de aliis, qui ab Eccleſia non ſunt approbati, neque de eorum agitur approbatione, vitas, & revelationes contexere; ſufficiunt quippe ad Catholicam inſtructionem tot utriuſque teſtamenti ſententiæ, tot exhortationes, & exemplaria Sanctorum; tot denique de doctrina, & exemplis conſcripta, & approbata volumina, ut à materia tam periculoſa abſque urgentiſſima cauſa, & neceſſitate abſtineant.

358 Imo prædictas animas quæ per hujuſmodi ſupernaturalem viam, & res adeo periculoſas gradiuntur, penitus abſcondere, mortificare, humiliare, vilipendere, & in terram ſuæ fragilitatis conglutinare ſatagant; ne popularis auræ, & vanitatis flatibus impetitæ, omnes earum virtutes, & perfectiones quaſi pulvis evaneſcant. Doceant, hujuſmodi non in ſuis favoribus gaudere, ſed in ſuis infirmitatibus, & humiliationibus cum Apoſtolo, & quod earum nomina ſcripta ſint in libro Vitæ: *In hoc nolite gaudere* (ait Dominus) *quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur; gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in Cælis* (*Lucæ* 10. 20.) Hoc eſt tutius, & melius, & quandoquidem non damnemus eos, qui bene perpenſo, & conſulto negotio, ad majorem Dei gloriam, Illuſtrium virorum, & fæminarum jam è vita functorum hiſtorias evulgant; viventes tamen laudare, atque eorum viſiones, revelationes, & miracula ſcribere, aut magni facere, plenum eſt periculis, deceptionibus, erroribus, fallaciis, & vanitate, & multoties pallio gloriæ Dei, & ædificationis proximorum, ſibi, & filiis, & filiabus ſpiritualibus, humanam quærunt laudem, & æſtimationem.

TRA-

TRACTATUS SEXTUS.

De Purgationibus Passivis Animæ.

VAstissimus, ac spumosus Oceanus, in quo omnes pene Directores fluctuant, passivarum est status purgationum, quandoquidem per eas absque Æolo, & absque Pixide nautica prorsus velificatur; in eis namque terra perditur, Cœlum absconditur, & circumquaque tribulationum tumentes fluctus, miseram animam impetunt, & invadunt. Quod quidem optimè comparari potest Rati illi, sive Arcæ, quam Dominus Noe fabricare præcepit, cujus lævigatam undequaque carinam procellosi aquarum gurgites verberabant: Illius pariter tegumentum, ruptæ atque in proluviem erumpentes catharactæ Cœli, diris crystalli lanceis oppugnabant. Latera similiter circumactæ puppis ad procellosos uracanis flatus titubantia, passim arenarum profundum, tanquam fatale sepulchrum minitabantur; navisque sine ursa, sine clavo, sine velis, utrobique convulsa, & navigando fluctuans, undarum quilibet impulsus stragem offerebat: Aquilonis concutiens impetus, vocabat periculum, & unaquæque Ratis nutatio imminebat naufragium: Solùm denique in divina providentia, atque stabilitate verborum Altissimi, tota ejus securitas fulciebatur. Idem profectò Naviculæ animæ in his horribilibus purgationibus contingit, quatenus ex terra suæ naturæ sensibus, nihil nisi effrænes, tumentesque passionum undas sentit: E Cælo aliud quàm indignantes undique sagittas (suo videri) non recipit; diris undique, & furentibus persecutionibus circumagitur; pixis nautica, id est fides, spei polum quem ferè amisit, tenere non potest; orationis clavus frangitur, & deperditur; vela fervoris procellosis, aridisque laborum flabris discinduntur: Propterea in quolibet opere stragem timet; in quacumque persecutione eversionem horret; & in unaquaque nutatione naufragium æternæ damnationis formidat: desolatiori omninò quàm Navis Noe fluctuat salo, quandoquidem illa lucis, & tenebrarum potita intercapedine navigabat, nec autem assiduè per tenebrarum palpabilium abyssum undecunque consitam procellis, cui Altissimi providentia à longè tantùm videtur collucere: Quid in tam turbulenta tempestate aget Nauclerus, sive spiritualis Magister: Plane dicimus, quòd hic (quo se vertat, nesciens) confusionibus, & horroribus obscuratur. Ut igitur tam tenebrosum pelagum exiguo saltem collucenti primo ingredi valeat, regulas gubernandi navim in hac tempestate proponere necessarium duximus, animadvertentes tamen, scopum nostrum non esse purgationes depingere aut explanare, maximè cum hoc elevatè actum sit à B. Joanne à Cruce in suis mirabilibus libris noctis obscuræ, sed id solum quod ad instructionem Directoris in casibus practicis proficere valeat.

CAPUT I.

De Purgationibus passivis in communi.

1 DIfficilis admodum, & arcta est via quæ ducit ad vitam, ut per Matthæum 7. 14. testatur Dominus; sententia utique pro omnibus prolata; sed quàm arctior, & difficilior sit pro his qui ad intimam Dei unionem anhelitus aspirant, cuilibet facile erit judicare: Est etiam unio divina negotium prorsus arduum naturæ lapsæ, & peccatis infectæ, maximè cum ad duorum extremorum conjunctionem valde difficilem ordinetur: Cum autem Deus sit ipsa puritas, & sanctitudo, indiget homo ut cum eo uniri possit, in sanctimonia, & sanctificatione respectivam procurare similitudinem; ad quam profectò non omnino sufficit gratia sanctificans, quatenus scilicet est causa sanctitatis, & principium meriti ad vitam æternam, ut tenet Schola Thomistica; (*Gonet Manual. Thom. tom. 2. part. 1. tract. 8. cap. 7.*) sed etiam quatenus dicitur

tur, justitia originalis; hoc est, in quantum est radix triplicis subjectionis; nempe, corporis ad animam, appetitus inferioris ad superiorem, & superioris ad Deum.

2 Et licèt post peccatum, & restaurationem ad gratiam hic status prædictus non habeat rationem originalis justitiæ, tamen proportionabiliter debet habere similitudinem, ut possit anima cum Deo perfectè uniri: Et cum anima miserè vulnerata mansit per originalem culpam, siquidem (Doctore D. Thoma 1. 2. *quæst.* 85. *art.* 3.) „ Sicut in humano corpore „ vulnus dicitur plaga illa quando inter „ partes contiguas, & unitas fit aliqua „ ruptio vel divisio; ita in anima me„ritò appellatur vulnus illa ruptio, vel „ divisio quæ per peccatum in ejus poten„tiis facta fuit dum ab ordine rationis „ cui per justitiam originalem, & donum „ integritatis erant perfectè unitæ, fue„runt divisæ, & separatæ per destitu„tionem prædicti ordinis.

3 Unde per peccatum originale quatuor præcipuæ potentiæ ordine ad proprium objectum destitutæ sunt; nimirum intellectus, qui destituitur in ordine ad verum, voluntas, quæ destituitur in ordine ad bonum honestum, & rationi consonum; concupiscibilis, quæ destituitur in ordine ad delectabile moderatum ratione, & irascibilis, quæ destituitur in ordine ad arduum, & difficile, ne promptè, & expeditè feratur in illud.

4 Ex hac potentiarum deordinatione, quatuor sunt homini inflixæ plagæ, nempe, PLAGA IGNORANTIÆ, qua hebetatur ratio ad cognitionem veri: PLAGA MALITIÆ, qua voluntas retardatur à prosecutione boni honesti; Plaga CONCUPISCENTIÆ, qua appetitus concupiscibilis exardescit, & immoderatè fertur in bonum delectabile contrarium rationi, & PLAGA INFIRMITATIS, qua irascibilis ad prosecutionem boni ardui languet, & torpescit.

5 Has quidem, & alias plagas cum amissione gratiæ, & originalis justitiæ contraxit homo per originale peccatum, & quas (in quantum ei possibile sit) sanare, & reparare debet, ut suo ultimo fini simpliciter uniatur: Quamobrem Dominus dixit, arctam esse viam quæ ducit ad vitam, & quòd pauci sunt qui inveniunt eam; quandoquidem valde pauci sunt qui eam non solùm non adipiscantur, sed etiam neque qui eam recto corde solicitè quærant.

6 Hi autem paucissimi qui velut thesaurum effodientes viam vitæ ardenter consectantur, possunt adhuc parum operari sua propria virtute, & gratia ordinaria ad assequendam divinam unionem, & quodammodo reparanda vulnera per peccatum inflicta, quousque Deus ipse ad nostrum opus perficiendum applicat manum, & potentiam suam; quod quidem ab eo exposcebat Hieremias, dicens: *Converte nos Domine ad te, & convertemur; innova dies nostros sicut à principio.* (*Hierem.* 5. 21.) Tum quia supras vires nostras est hoc negotium, quandoquidem in perfecto sui ipsius dominio consistit; unde scriptum est: *Melior est patiens, viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore Urbium.* (*Prover.* 16 32) Quod fit per assiduam propriæ voluntatis, & appetitus coertionem: Tum etiam quia proprius amor sui ipsius impedit hominem à perfecta castigatione sui corporis, & à recta ordinatione appetitus; quamobrem necesse est, quòd ipse Deus flagellum sumat, atque in verberibus inordinatas ejus passiones corrigat, & castiget, vulneraque corruptæ naturæ in quantum possibile sit, sanet, & reparet.

7 Igitur postquam anima ad Deum per gratiam, & sanctum desiderium conversa est, & per aliquod tempus exercitium orationis solicitè coluit, in qua Deus tanquam parvulæ in Christo ubera dulcedinis exhibendo lacei potum dedit, ut suaviter allecta possit eam ab uberibus terrenæ consolationis avellere, cujus quidem tenerum divinæ consolationis alimentum (malè voluptatibus assuefacta) nimis imperfectè sumendo in plura spiritualia vitia prolabitur, quæ latè refert B. Joannes à Cruce *lib* 1. *noct. obscur. à cap.* 1. *usque ad* 6. *inclusivè*. Propterea Dominus per has pœnosissimas purgationes, ejus actus, & habitus evacuare, & eradicare procurat; ut non solùm ordinet ejus partem inferiorem ad superiorem, sed etiam superiorem ad se ipsum, ut cum ea se uniri possit;

quod

quod fieri debet per labores, afflictiones, & ariditates, quibus immoderatio appetitus, corrigatur, & deordinatio potentiarum reguletur, ut anima tam in esse naturali, quàm supernaturali renovata, possit suum ultimum finem perfectè attingere, ut probat Illuminatus Taulerus: *Instit. cap.* 11. *& ferm. de Martyr.*

8 Principale hujus operis instrumentum idem est ac illud cum quo diximus supernaturales Deum componere favores; ipso enim quo mortificat, vivificat, utpote per spirituale lumen infusum, & fervidam flammam charitatis (ut bene notat Idem Taulerus *ferm. de Martyr.*) sed quomodo hoc fieri possit, faciliter explicabimus. Ad quod scire oportet, quòd Deus dupliciter lumen hoc in anima infundit: Primus modus est purgativus, & ita infusum lumen palpabiles in spiritu ob duplicem rationem tenebras gignit: Prima est propter summam, & superexcedentem luminis activitatem, fortitudinem, & splendorem; & propter imbecillitatem, inferioritatem, & incapacitatem potentiæ recipientis. Quod probatur per rationem Philosophi dicentis (verba sunt B. Joannes à Cruce *Ubi supra cap.* 5)
,, Quod quantò res divinæ in se sunt magis claræ, & manifestæ, tanto amplius sunt animæ naturaliter obscuræ, & occultæ; sicut lux quantò clarior est, tantò magis pupillam Noctuæ cæcat, & obscurat. Quod manifestè patet in lumine Solis, quod tantò plus oculos cæcat, quantò magis est clarum, & splendens: Cum igitur lumen infusum sit nimis validum, clarum, & superexcedens potentiæ facultatem, gignit in anima, non solùm tenebras obscurissimas, sed etiam magnopere pœnosas, & graves; sicut etiam lumen Solis, non solùm oculos cæcat, sed torquet, & destruit: Unde de hoc purgativo lumine cecinit Psalmista: *Præ fulgore in conspectu ejus Nubes transierunt. Grando, & carbones ignis ---- Misit sagittas suas, & dissipavit eos; fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.* (*Psalm.* 17. 13. 15.)

9 Altera ratio est quia Deus per hoc lumen infusum tollit ab intellectu omnem reflexionem ipsius luminis, quatenus solam, tribuit cognitionem directam, & negat reflexam, quandoquidem ad videndum divinum lumen indigeat anima alio lumine ei proportionato, secundùm illud Psalmi: *Et in lumine tuo videbimus lumen.* (*Psalm.* 35. 10.) Utpote quod per aliud lumen fiat capax potentia ad videndum lumen infusum. Propterea evenit animæ quædam luminis ignorantia, subindeque caligo, & tenebra palpabilis, ut confirmat Henricus Arpius: *Theolog. Mystic. lib.* 2. *part.* 5. *cap.* 49.

10 Idem respectivè efficit in voluntate amor vehemens, & infusus, quatenus ex forti, & ardentissima ejus excitatione, quæ nimis superexcedit capacitatem potentiæ, multum illa patitur, angitur, & dolet, & cum in intellectu reflexio communicationis deficiat, non potest voluntas aliud in se percipere, præter intimam anxietatem, & inexplicabile martyrium; & eo crudelius torquetur, quo causam sui tormenti ignorat, ut similiter docet Arpius *Ubi supra*.

11 Secundus modus infundendi lumen, & amorem est illuminativus, & nihil aliud est, nisi quòd Deus lumen coaptat potentiæ, vel potentiam accommodat lumini, ex quo anima non solùm eruitur è tenebris, verùm etiam illustratur, & delectabiliter objecta intuetur, sicut contingit ei quem nimium lumen offedit, quod si juxta potentiæ virtutem temperetur, delectabiliter omnia conspicit. Etiam tribuit Deus animæ præter lumen infusum, aliud lumen, quo primum lumen agnoscat; sive hoc fiat infundendo novum lumen supernaturale (ut aliqui volunt) sive fit concedendo potentiæ naturalem reflexionem (ut putant alteri) quod quidem nobis superfluum est investigare; solùm tamen dicimus, quòd anima habet claram cognitionem suæ operationis, tam in ordine ad occupationem intellectus, quàm ad exercitium voluntatis, quamobrem à labore, & dolore, à tenebris, & obscuritatibus ex carentia reflexionis subortis penitus liberatur, & hoc est quod Mystici vocant, Deum aggredi animam modo purgativo, & illuminativo.

12 Utrumque modum explicat Psalmista sic personans: *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes*

bestiæ sylvæ; catuli Leonum rugientes, ut rapiant. (*Psalm.* 103. *a vers.* 20.) Hic explicat modum purgativum, quandoquidem his tenebris non solùm animæ facta sint nox, verum etiam bestiæ sylvæ (quæ inordinatæ passiones sunt, latentes in potentiarum sylvis, suntque effrænes, & crudeles, ut infrà patebit) foras prosiliant: Et similiter catuli Leonum (qui Dæmones intelliguntur) exeunt, & rugientes circuunt, quærentes quem devorent. (*S. Laur. Justinian. de cast. connub. cap.* 14.)

13 Prosequitur David modum illuminativum, dicens: *Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperum.* (1. *Petris* 5) Quia nimirum cessavit lumen purgativum, & illuminativum translatum est, & tunc oriente Sole, & clarescente luce, bestiæ in sua cubilia redierunt, id est passiones, quæ purgativæ noctis causa effrænes exilierunt, nunc in cubilibus suis, id est in radicibus, & habitibus iterum occultantur, quatenus scilicet in prima purgatione non prorsus occiduntur, ideoque dum lumen irradiat, quasi in abscondito latent, & consopiuntur; videatur Laurentius Justinianus. *Ubi supra.*

14 Sequitur: tunc homo exibit ad opus suum usque ad vesperum, quia nimirum per claritatem luminis manifestè cognoscit fructum, & profectum intimæ suæ operationis, quam eadem satisfactione prosequitur usque ad vesperum; hoc est, quousque iterum redeat nox purgativa, utpotè quia Deus in hac purgationis caliginosa nocte tenebras lumini, & lumen tenebris alternativè immiscet, ut confirmat Taulerus *tom.* 2. *serm. de S. August.* licèt tempus tenebrarum prolixius sit, & diuturnius: Conceditur tamen interdum lumen illuminativum, ut anima se reficiat, & ad ulterius procedendum in nocte vires sumat. Propterea Psalmista de hac purgativa nocte loquens in *Psal.* 138. *Domine probasti me, & cognovisti me*, subjunxit: *Ex dixi forsitan tenebræ conculcabunt me? Et nox illuminatio mea in deliciis meis, quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Quæ verba in sensu mystico profundissima sunt, & ad intentum valde propria.

15 Aliis etiam Deus utitur instrumentis ad purgandas animas, de quibus infra erit nobis sermo, tametsi præ cæteris omnibus hoc lumine, & amore infusis opus istud mirabile perficiat, sine quibus hic scopus impossibilis redderetur, & quia diximus duas esse hominis partes, nempe inferiorem, & superiorem: materialem, & spiritualem, quibus homo ad suas operationes utitur, & in quibus habitus virtutum, & vitiorum subjectantur, necesse est ambas purgare, & ad divinam unionem ordinare, inferiorem utique, ne obstaculum sit superiori; superiorem verò ut suo ultimo fini perfectè uniri valeat. Quamobrem duplex debet esse purgatio, una sensus, sive inferioris partis hominis, & altera, spiritus, sive partis superioris, & demum alia quasi consummativa purgatio, quæ solet esse dispositio prævia ad spirituale matrimonium, & potest purgatio amoris dici, utpotè quod per purgativum amorem perficitur: De singulis (Deo dante) tractabimus.

CAPUT II.

De purgatione passiva sensus, ejusque signis, & de primo ejus instrumento, quod est lumen infusum.

16 INchoat Deus purgationem passivam sensus, ut amicos suos ab uberibus sensibilibus immodicæ spiritualis delectationis, quas in suis exercitiis requirebant, penitus ablactet, ut tenent Gregorius *lib.* 34. *Moral. cap* 1. Taulerus *Serm. de Martyr.* & omnes Mystæ; quandoquidem in eis irretito, vel potiùs elevato spiritu, nec scientiam intimam Dei capere, nec subtilissimo ejus Magisterio possunt aures præbere; unde dixit per Prophetam: *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus.* (*Isaiæ.* 28. 9.) Quia nimirum dum lacte consolationis sensibilis gaudent, parvuli sunt, & velut parvuli sapiunt, cogitant, & loquuntur: Quos quidem necessarium est evacuare, & purgare, ut ad spiritualem viri-

virilitatem pervenire possint: *Cum essem parvulus* (ajebat Apostolus), *loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus: Cum autem factus sum vir, evacuavi quae erat parvuli* (1. *ad Corint.* 13. 13.).

17 Quibus profectò Deus non potest loqui quasi spiritualibus per puram intelligentiam, neque sibi (qui supra sensum est) copulari, dum sensibilibus delectationibus spiritum praepediunt; neque ad capessendum solidum perfectorum cibum apti sunt, sed ad suave tantum delectationis lac, juxta illud ejusdem Pauli dicentis: *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum quidem poteratis* (1. *ad Corint.* 1. 2.). Et infra: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; adhuc enim carnales estis.*

18 Ad percipiendum igitur Deum purè spiritualem in puro spiritu, ubi mystica, & divina unio efficitur, necessarium est animę se abstrahere à materialium sensificationum, & delectationum commercio, atque in solitudinem spiritualem per mentis apicem se conferre, ut loquentis Dei verba, quae in tenuissimae aurae sibilo involvuntur, audire, & percipere valeat. Cum autem primò debeat informari naturali modo, nempe per imagines sensibiles, & discursus, cum benè in eis instructa est, atque jam comparatum habet habitum meditationis, & faciliter ad ejus terminum accedit, ibique conquiescere assecuta est; tunc, & non antea inchoat Deus purgationem passivam sensus; subindeque in quibusdam prius, in aliis tardius incipit, secundum earum dispositionem, & acquisitionem habitus meditationis, ut tenet Richardus *In Cant. cap.* 1. colligitur ex Gregorio *Lib.* 18. *Moral. cap.* 17 *& libr.* 13. *c.* 15. & latè probat B. Joannes à Cruce *Libr.* 2. *noct. obscur. c.* 18.

19 Haec inchoatio purgationis fit paulatim, animae subtrahendo gustum, & sensibilem devotionem in meditationibus in quibus antea delectationem comparabat; quae ariditas breviter vertitur in insaporem, & impotentiam meditandi, & discurrendi, ita ut nulla diligentia, & curà possit sicut antea discurrere, & considerare, & si forte per nimium conatum aliquam meditationem, vel discursum exprimat, nullam exhaurit devotionem, nec suavem motionem voluntatis; imo insaporem, & ariditatem, perinde putat se esse perditam, & à via orationis recalcitrasse; quod pulchre describit Laurentius Justinianus *Lib. de disciplin. Monast. cap.* 18. *& in fasciul. amor. cap.* 14. per haec verba:
„ Solet quidem interdum divina bonitas
„ ab orantis affectu se subducere, cum-
„ que totum aridum, totumque reddere
„ indevotum: Tunc quidquid meditanti
„ offertur, desipit; quidquid cogitare dis-
„ ponit, indiscussum prae ariditate spiri-
„ tus derelinquit: Nihil sapit, nihil de-
„ lectat, nihil repetitur quod pascat affe-
„ ctum, quin potius, ubique tenebrae
„ densissimae palpantur, ubique sterilitas
„ sentitur, quasi prius nihil gustatum sit
„ dulce: fiunt quoque intus fragores, to-
„ nitrua, coruscationes, & immissiones
„ per Angelos malos, &c.

20 Hoc fit per quoddam lumen infusum modo purgativo: quo mens animae ad mysticam, & spiritualem Dei cognitionem, quae penitus ei occulta, & abscondita est, reducitur; tum quia Deus aufert ab ea reflexionem; tum etiam quia formis materialibus, & discursibus assuefacta, illud spiritualissimum idioma non intelligit: Quamobrem revertere cupit ad meditationem, & formas imaginarias; sed minime potest, utpote quia spiritus delicatiori cibo contemplationis (licèt occulto) pascitur, & crassiorem meditationis fastidit: Cum autem hoc non intelligat, & gustum meditationis amittat, magnopere angitur, & perditionis suae infoelicitatem deplorat: Sed valde providè à Deo efficitur, ut spiritus paulatim illi intimae vacuitati assuescat, & per sensibilium formarum privationem à sensu recedendo ad intimum sui spiritus fundum colligatur: Ita B. Joannes à Cruce *Lib.* 2. *noct. obscur. c.* 3. *in fin. & c.* 5.

21 Hoc est procellosum mare, ubi anima jactata, jam per communes, jam per extraordinarios modos exercitiorum, ut portum devotionis sensibilis iterum teneat, totis viribus remigando laborat; sed frustra quidem, quia in hoc mari turbulento viae, & semitae meditationis omnino confusae, & deperditae sunt; aliter enim

spiritus externæ sensationi occurrens, fundum hoc ubi mystice à Deo instruitur penitus dimitteret: Propterea si Director per signa statim dicenda cognoverit animam esse in hac purgatione, curet quòd nimios meditandi conatus prætermittat, ut docet B. Joannes à Cruce *Lib. 1. noct. obscur. c.* 10. & probat Philippus à SS. Trinitate *Theol Myst p.* 1. *tract.* 3. *disc.* 1. *art.* 6. neque aliud extorquendæ devotionis medium procuret, nisi pacificam illam spiritus amatoriam occupationem conservare, atque ad modum auscultantis se disponere, ut agebat Psalmista Regius, cum dicebat: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad cor.* (*Ps.* 84 9.) Si enim anima non ad materiales formas, sed ad cor suum spiritaliter convertatur, atque in formam auscultantis se disponat, utique Deus, cujus locus in pace factus est, ei verba æternæ vitæ loquetur, ut manifeste à posteriori cognoscat.

22 Triplex est hujus passivæ purgationis signum, ut tenet B Joannes à Cruce *Lib.* 1. *noct. obscur. cap* 9. Primum est, quòd anima sicut ex rebus spiritualibus nullam capit devotionem, ita similiter neque ex sensibilibus, & terrenis nullum capiat oblectamentum, quia hæc purgatio æque arescit appetitum circa spiritualia, quàm circa temporalia, & ratio est; quia Deus totaliter aufert omnem delectationem à sensu, subindeque neque in bonis, neque in malis potest delectari. Quod si anima quæ in spiritualibus non delectatur, in sensibilibus, & malis delectari percipiat, non erit in purgatione sensus, sed in relaxatione, negligentia, vel culpa.

23 Sed quamvis generaliter hoc signum proponitur à Mysticis, debet in eo advertere Director, quòd hæc rerum sensibilium inaffectio, & ariditas, non consistit in hoc quòd nullo modo ad hujuscemodi res inclinationem sentiat, sed quod dum in eis (si spirituales sint) delectationem, vel devotionem habere procuret, potius insaporem, quàm gustum, & ariditatem, quàm devotionem inveniat, ut tenent Taulerus *Tom.* 2. *Serm. de Martyrib* & Philippus à S. Trinitate *Ubi supra art.* 4. Tunc enim clare cognoscitur, hac sensus purgatione affici.

24 Secundum signum est, quòd anima valde solicita sit eorum, quæ sunt divini obsequii, & propriæ perfectionis, ita ut propter nullum dolorem, laborem, vel insaporem ea prætermittat; imo avidius, & solicititus se habeat, ut testatur idem Taulerus *Ubi supra* & quanto plus laborat, tanto amplius arescit, & angitur; sed nihilominus tamen solicite se gerit semper; hæc proculdubio in hac purgatione consistit. Si autem cognoverit Director, quòd nihili, aut parvi æstimat profectum suum, nec divinum colit obsequium, sed in his negligenter se habet; non in purgatione, sed in relaxatione, aut culpa constituta est.

25 Sed hoc etiam est ita intelligendum, scilicet, quòd anima, quamvis ei videatur, quòd parvi, aut nihili æstimat perfectionem propriam, vel Dei cultum (ex vi enim obscuritatis, semper illi ita videbitur) Magister tamen cognoscit, quòd nimis de improfectu suo dolet, & quòd de illius reparatione solicite curat; ac demum sibi violentiam inferens, arreptam viam strenue prosequitur, hæc anima absque dubio est in purgatione; secus verò si de sua perfectione parum solicita sit.

26 Tertium signum est, quòd non possit meditari, nec uti imaginatione ad exercitium orationis, sicut antea poterat, ut confirmat idem Taulerus *Ubi supra.* Verumtamen hæc impossibilitas meditandi non debet esse ita continua, quòd semel, aut iterum meditari non valeat, hoc enim non hominis, sed statuæ proprium esset; sed sufficit quòd valde difficulter, & violenter meditetur, vel saltem ex meditatione nullam devotionem, vel fructum, sed improfectum, & insaporem eliciat, quamvis frequentius per hanc purgationem omnino tollitur facultas meditandi.

27 Denique animadvertendum est cum B. Joanne à Cruce *Ubi supra* Philippo à SS. Trinitate *Ubi supra* & aliis, quod primum, & tertium signum possunt ab aliquo humore melanchonico, & gravi procedere; quandoquidem prædicti humores hominem reddunt, tam ad spiritualia, quàm ad temporalia tediosum, & ad quamlibet laboris operationem ineptum: Quamobrem

obrem poterit falli Magister, putans hujusmodi hominem esse in purgatione passiva sensus: Unde recurrere debet ad secundum signum, nempe ad curam sollicitam proficiendi, quam non habebit qui humore melancholico laborat. Demum recurrat ad permanentiam ariditatis, & ineptitudinis meditandi; nam si ex hac purgatione proveniat, semper in dies crescet, quia Deus est in operibus suis constans, & immutabilis, donec opere compleat, quod incepit: Humores verò naturales passim variantur, & eorum impedimenta tolluntur.

CAPUT III.

De secundo instrumento purgationis, nempe de appetitibus, & passionibus naturalibus.

28 SEcundum purgationis instrumentum (ut tenet Taulerus *Inst. c. 11. prope finem* & late probat Henricus Arpius *Theol. myst. lib 2. p. 3 cap. 49. in medio*) sunt appetitus, & passiones naturales, quæ veluti Tigrides furentes, aut catuli Leonum, animam prorsus destitutam invadunt, & dilaniant; quod quidem potest naturaliter contingere, quia cum hujusmodi appetitus sint brutales, & à delectationibus sensibilibus rapiantur, dum se ab omnibus abstrahi, & privari conspiciunt, effrænes ad quærendam delectationem prosiliunt, & quasi famelici Canes latrantes circumeunt Civitatem animæ, juxta illud Psalmi: *Famem patientur ut canes. & circuibunt Civitatem* (*Psalm. 58. 7.*) Et oblata delectationis occasione, illico illam (quamvis turpis, & peccaminosa sit) amplectuntur; unde anima tenebris purgationis obcæcata putat, in omnibus consentire, & in infinita peccata proiabi; maxime dum conspicit, nulla diligentia posse effrænes appetitus compescere; quamobrem veretur suam perditionem esse infallibilem. *Comprehenderunt me iniquitates meæ*, ait Psalmista (*Ps. 39. 13.*) *& non potui ut viderem: Multiplicati sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.*

29 Magna prorsus est animæ afflictio, quandoquidem ex vehementi appetitus passione interdum membra movet in executionem inflictæ suggestionis; quia ut docet Dionysius Rikelius *In Hect. 15.* „ Concupiscentiæ, atque quilibet inordinati affectus ministerio membrorum „ ducuntur ad opus inquietum, & juxta illorum inclinationem, & impetum membra moventur in actum, „ quamvis sint subjective in appetitivis „ potentiis. Ex qua violenta passionum motione, involuntaria membrorum sequitur motio; quæ solet esse instantanea, & tantum inchoativa operis peccaminosi, non verò consummativa (quòd valde animadvertendum est) & ratio est philosophica; quia motus membrorum immediate fit per potentiam locomotivam, quæ secundum aliquos, est pars sensitivi appetitus, & secundum omnes, appetitui sensitivo subjecta est, & cum omnes inordinati affectus sint subjective in hoc appetitu, & ad ejus imperium membra moveantur, ratione superiori interdum reluctante, quæ indiget hoc appetitu ad rectam ordinationem membrorum, ut visum est *Supr. tract. 2. cap. 14. num 136.* & cum in hoc casu appetitus sit effrænis, & rectæ rationi contrarius, secundum suum effrænem motum membra movet, quod quidem magnopere notare debet Magister ad hujusmodi animarum afflictarum consolationem, quæ dum membra movere conspiciunt in executionem operis suggesti, putant indubie assentire peccato, cum re vera sit primus motus, & indeliberata actio appetitus.

30 Igitur inveniet Magister animas, quas sæpiùs adeo vehemens ira, aut desperatio invadit, quæ ex vehementi passione obcœcatæ, puteum, aut præcipitium adeunt, ut exinde præcipites ruant. Aliæ cultrum, vel gladium, quibus se jugulare possint, quasi furentes arripiunt, & aliquando in secreto abscondunt, ut tutius eis se occidere valeant (*Bonavent. de proces relig 4. c 10.*) Aliæ se ipsas unguibus, & pugno lacerant, & collidunt: „ Aliquando tanta ira venit in me (ait „ B. Angela de Fulgino *In vita sua c. 19*) „ quod vix possum me tenere, quin me „ totam dilaniem; aliquando vero non „ possum me tenere, quin horribiliter

„ me

„ me percutiam, & percutiendo me ipsam „ tumefeci, aliquando caput meum, & „ alia membra. Utpote quia talis vehemens passio solet interdum rationem præoccupare, quòd illæ se ipsas percutiant, & dire contorqueant.

31. Tamen nunquam ullum vidimus in hac purgatione consistentem, qui usque ad consummationem operis peccaminosi perveniret, licèt multos hac vehementi passione affectos conspeximus; imo dum arriperent gladium, quo se occiderent, cum actu se ferire volebant, illico Deus eorum obcœcatam rationem clarigabat, irritationemque sedabat appetitus; tumque illi quasi à somno excitati, non solum ab incepto opere cessabant, verumetiam eliciebant plures actus contritionis, resignationis, & humilitatis; statimque eos contorquere incipiebat scrupulus, & anxietas, se in hujusmodi motibus peccavisse, quia nimirum Deus per sui divini luminis claritatem, impediendo operis executionem, iterumque illud auferendo, memoriam tantum præcipitis actionis in anima relinquebat ad sui tormentum, & anxietatem; quæ quidem ei ex defectu luminis provenire dubium non est.

32 Ut ergo Director eruditionem capiat, & possit ejusmodi animas consolari, quia afflictis non est danda afflictio, scire debet, quòd hæc vehementia deordinatarum passionum, licèt interdum ope Dœmonis fiat, sæpe sæpius provenit ex causa supradicta, utpote ex famelicarum passionum præcipiti motu, quo in hac purgatione appetitus laborat: Et si vera sit purgatio, raro, aut nunquam anima in his, & similibus peccatum lethale committet, ut affirmat Arpius *Ubi supra*, neque ad consummationem operis perveniet; quandoquidem hoc difficillimum sit cognoscere, nisi per signa sequentia.

33. Primum sit quod affert Apostolus *Ad Rom. 7. 22. 23.* dicens: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: Video autem alium legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Manifestum igitur signum dissensus in his actibus erit, si in superiori animæ parte adsit condelectatio, aut appetitus divinæ legis; si vigeat amor virtutis, si percipiatur desiderium placendi Deo, licèt tunc pars inferior in affectum pessimæ delectationis rapiatur: Consensus enim debet esse partis superioris animæ, ut sit imputabilis, & peccaminosus.

34. Sed quia ex Apostoli doctrina potest circa hujusmodi purgatos oriri aliquis scrupulus, scire oportet, quod licèt videatur Paulum significare, quod eodem tempore, quo exterius à lege repugnante oppugnabatur, ipse in interiori homine condelectabatur legi Dei; quod quidem ita fuit in Apostolo; sed valde difficile verificari potest in animabus consistentibus in purgatione, ob duplicem rationem.

35. Una est, quia Apostolus non erat in hac purgatione sensus, in qua homo interior videtur quasi extinctus, obscuratus, & ad nihil consolationis reflexus, ut testantur omnes Mystæ, & probat Arpius *Ubi supra* imo nec in aliqua purgatione passiva constitutus, utpote jam perfectissimus, & illuminatus, atque confirmatus in gratia, à quo nunquam abscedebat sui operis interioris clara cognitio: Alia est ratio, quia nimirum Apostolus satis superque sciebat discernere, & distinguere inter operationem spiritus, & carnis; propterea clare poterat cognoscere, quòd in eodem tempore spiritus suus condelectabatur legi Dei, & sua caro in lege peccati, quæ erat in membris suis: Secus autem contingere potest in anima, quæ hac sensus purgatione torquetur, utpote quia adhuc carnalis est, & puri spiritus ignara, quinimo & operationibus sensuum omnino tradita, & tunc ex causa purgativi luminis penitus obscurata, & confusa; tantummodo percipit illam vehementissimi sensus præcipitationem.

36. Quamobrem Director per antecedentia, & subsequentia tentationis debet hoc signum investigare: Si enim his temporibus anima habeat æstimationem legis divinæ, & firmissimum propositum non peccandi; potest moraliter sibi persuadere, quòd in illo luctaminis intermedio resistit tentationi, & superior voluntas

luntas non consentit; quia ut bene notat Rosell In practic. depon. conscient. cap 48. num 17. „ Non tam subito, & facile mutari solet hominis voluntas, ut ea quæ multoties odio habemus, facile postea diligamus. Et cum adest aliqua negligentia, aut non plene deliberatus consensus, non est tamen sufficiens ad culpam lethalem.

37 Secundum signum superioris dissensus animæ est, si prætermissa tentatione reperitur stabilis, & firma in Dei timore, & quantum in se est millies mori est parata, antequam voluntarie ad eandem, & similem tentationem redeat, quia hoc est magnum signum dissensus: „ Quod si peccato consensisset (ait ipse Auctor Ubi supra num. 22.) remaneret voluntas per peccatum depravata, deordinata, in virtute debilis, & infirma, à Deo aversa, & ad creaturam conversa, & homo sentiret in se propensionem animi majorem, & intensiorem affectum ad peccatum.

38 Tertium signum est cura, & diligentia animæ in divino obsequio, quæ semper, & ubique Deo placere desiderat, & omnia quæ illi displicere possunt dolet, & contristatur. Hæc est ingens conjectura dissensus, ut tenet Richardus à Sancto Victore Lib. de differ. peccat mort. & venial loquens cum anima sic afflicta: „ Imo (inquit) times Deum, & ejus offensam, quia de tentatione tristaris: Ergo mortaliter non deliquisti; imo quia tibi displicet, imputatur ad meritum, propter molestiam, & tristitiam quam sustines.

39 Quartum signum est, quòd anima ad operis peccaminosi consummationem non accedat; sed dum fervescente furore præceps ruere incipit, illico lumen illud supradictum irradiat, quo ab opere peccaminoso, & ab insania appetitus resilit. Hæc quidem non tam est dissensus conjectura, quàm moralis èvidentia: Voluntas quippe (ut bene notat Arpius Ubi supra) si libere consensisset, difficile ab incepto opere cessare posset; tum ob deliberatum capessendæ delectationis propositum, tum ob suam debilitatem ex pleno consensu generatam, tum ob vehementiam appetitus, cujus motum libere promovit; tum denique propter Dæmonis suggestionem, qui male affectam voluntatem, ad operis peccaminosi complementum pertrahit.

40 Si igitur per hujusmodi signa cognoscat Director, deliberatum consensum tentationis non adfuisse, curet animam sic afflictam, & desolatam suadere, quod amicitiam Dei non amisit; quinimo & quasi validum militem sibi eum in strictiorem amicum assumpsisse; ac demum quòd per multas tribulationes oportet eam ad fœlicissimum unionis statum pervenire; cujus tranquillæ suavitatis memoriam, ad sustinendos hujus purgationis horrores, ad mentem animæ revocare, necesse est. Excitet insuper eam per spem obtinendæ victoriæ, si legitimæ in luctaminis arena decertaverit, & quòd transacta tribulationis hyeme, floridus ver contemplationis apparebit.

41 Præterea quòd dum impetus passionis furere incipiat, se muniat firmissima dissentiendi protestatione; & quantumcunque indevotus, & aridus sit, plures actus amoris eliciat; ad Deum clamet, & Beatissimam Mariam Matrem nostram, & suum Angelum Custodem, & ad præliandum prælium Domini accingatur, suaque membra decenter componat; & firma teneat, ne ad passionis vehementiam moveantur, & in quantum ei possibile sit, mentem suam ad Deum firmiter erigat.

42 Quod si hæc non sufficiant, præcipiat ei quòd foras exeat, & bonorum hominum honestam adeat conversationem (ut bene suadet Henricus Suson Ser. 1. de tentat.) atque omnia instrumenta, quibus se ferire valeat, à se amoveat, in Domino confidens, nullam ei spiritualem jacturam permissuro, quandoquidem animas non venit perdere, sed salvare, & dare animam suam in redemptionem pro multis: Et denique omnia, quæ illi in tentationibus contingant, faciat ad cautelam clavibus Sacramenti Pœnitentiæ submittere; raro enim, aut nunquam, hujusmodi tentationes culpis saltem venialibus vacare solent.

CAPUT IV.

De tertio instrumento hujus purgationis, quod est Dæmonis astutia.

43 Adeo difficile, & arduum est opus quod per hanc purgationem agendum est, quòd jure possumus dicere, nihil esse minus quàm animas è terrenis reddere cœlestes; quandoquidem sensibilibus delectationibus mortuæ, & spiritu tantum viventes, in illud quod supra naturam est divinum objectum, omnium virium suarum efficacia habitualiter debeant assurgere, in illo assidue inhabitare, & cum illo mystice, & perfecte uniri: Ad quod necessarium est tendere per omnimodam negationem, & abstractionem ab omni materialitate, & sensibilitate, & à modo ordinario tendendi erga exercitium cognitionis divinæ, ut expresse docet Dionysius *Theol. Myst. cap.*1. per hæc verba: „ Quapropter qui contemplatur, „ ab omnibus liberatur (intelligitur symbolis, & discursibus) & caliginem ignorationis ingreditur, vere mysticam, in qua denegat omnia, quæ cognitioni subsidio esse possunt, & in omnimoda intangibilitate, & invisibilitate fit ejus „ qui omnia superat, totus existens, & „ nullius equidem sui ipsius, nec alterius, „ sed ei utpote qui omnino ignoscibilis sit, „ omnis cognitionis indifferentia præsentius unitus, & nihil cognoscendo supra „ naturam, & captum mentis cognoscens Quàm ergo arduum sit hoc, omnibus manifestum est.

44 Sunt tamen nonnulli adeo rudes, & divino scalpro rebelles, quòd ad hujusmodi transformationis dispositionem regularis purgatio non sufficit; quapropter indigent severiori instrumento ut disponantur. Cum autem Dominus ita benignus, & misericors sit, quòd (si ita dici potest) quasi doleat per se ipsum horribilem hanc purgationem infligere; ipse enim dicit per Hieremiam 29. 11. *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis*. Ad quod Theophilatus *In epist. ad Rom.*8. „ Neque enim „ iram, indignationem, tribulationemque & angustiam dixit à Deo inferri; vivificandi à Deo inest facultas; nobis verò pro nostra ignavia cruciatus, & supplicia alienum opus ab eo. Videtur quidem juxta viscera misericordiæ ejus, non posse sustinere per se ipsum, horribilia animabus tormenta infligere.

45 Propterea sævissimi hostis manibus eas per dirissimos cruciatus torquere permittit, ut tenet B. Joannes à Cruce *Libr.* 1. *noct. obscur. cap.*14 *in princ.* & veluti charissimus pater qui filii sui resecationem brachii, vel cruris videre non sustinens, permittit quòd se absente Chirurgus sectionem exequatur; eodem modo permittit, Dæmonem per durissima tormenta carnalis hominis putridam naturam resecare: Quamobrem (ut ait quidam doctus) Jobum Sanctum torqueri à Sathana permisit, ibique dicitur, quòd egressus est Sathan à facie Domini: *Ut solet* (inquit Speranza *In select. sacr. punct* 26. *fol* 69.) *qui videre sectiones non sustinet, aut discedit, aut Chirurgo dicit, ut seorsim ad secandum vadat*. Quandoquidem ex naturali sua benignitate ad misericordiam potius quàm ad rigorem convertitur: Quod Seneca *Libr.*2. *de ira cap.*27. licèt Gentilis cognovit, dicens: „ Sunt „ quædam quæ nocere non possunt, nullamque vim nisi beneficam, & salutarem habent, ut Deus immortalis qui „ nec vult obesse, nec potest; natura „ enim in illo mitis, & placida est, „ tam longe remota ab aliena injuria, „ quàm à sua.

46 Constituit igitur Dæmonem hujus purgationis Ministrum, quatenus suo odio implacabili omnibus quibus potest mediis eas mortificat; propterea tametsi crudelius, brevius purgatio perficitur, ut bene notat Philippus à SS. Trinitate *Part.*1. *tract.*3 *discurs.*2. *art.*2. & confirmat Laurentius Justinianus *De discipl. Monast. cap.* 12. *num.*14. Quod interdum (ex divina permissione) Dæmon agit per se ipsum, & interdum per satellites suos; de utrisque ea quæ rariora sunt, ad instructionem Directoris adducemus.

47 Per se ipsum solet Dæmon hujusmodi animas perturbare visionibus horribilibus, mæstissimis spectris, & horrisonis vocibus, blasphemiis, & minis; simulque acerbissimos dolores, nervorum contra-

tractiones, & obscuritates illis infligendo: Interdum illas quasi pilas jactat, & adeo violento impulsu, quòd non solum strepitum ictus corporis clare percipiatur, sed etiam totam patientis cameram tremere, & titubare faciat: Sæpissime quasi arcum oppressum ad mittendam sagittam earum caput cum pedibus per dorsum injungit, & repente solvit, ut ambobus extremis, nempe capite, & pedibus, pavimentum violenter concutiat: Aliquando ignitis gladiis, & lanceis summo cum dolore corpus confodit, easque quasi in equuleo stridet, & eis videtur, quòd earum corpora minutatim dividat, & ferri penetrantis in visceribus, & membris dolorem percipiunt (*S. Augustin de Civitat. Dei lib* 19. *cap*. 4. *& lib. de Eccles. dogmat. cap* 8 *S. Chrysost. homil* 3. *de patient. Joh. Tolet. in Luca cap* 4. *num*. 93. *& deinceps. Lanuz. Patroc. Angel. part* 3 *lib*. 2 *cap*. 15. *& deinceps*.) Varia referuntur exempla in vita B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis apud Blascum de Lanuza *Ubi supra cap*. 24. *per totum* & multa videri possunt in Laurentio Justiniano *De inter. confl. cap* 5 Hieronymo Spert *Select. myst part* 5 *cap* 14 *&* 15. Philippo à SS. Trinitate *Ubi supra per tot.* Novariano *De occul. Dei benefic. cap*. 32. *&* 35. Alvarez de Paz *De vita spirit. tom*. 2. *lib* 8. *part*. 2. *cap*. 8. & aliis.

48 Ad has omnes Dæmonis fabulationes potissimum remedium est perseverare in patientia, & resignatione (ut docet Ignatius de Loyola *De regul. ad mot. anim. reg* 8.) sustinentes rabiem, & amaritudinem, aut dolorem incussum, Deumque intimis clamoribus invocando, se seque signo Crucis muniendo, obrestantes Dæmonis fallaciis dissentire, & providentiæ altissimi in omnibus, & per omnia se submittere, & in Domino confidentes superbi hostis machinationes despicere, quia est maximum medium ad profligandam Dæmonis fortitudinem: „ Dictum „ sufficiat (ait Theresia *In vita sua cap*. „ 31. *in medio*) ut verus Dei servus parvi „ pendeat hæc terriculamenta, ad incu„ tiendum timorem oblata, & pro cer„ to sciant, quòd semper ac illa contem„ nimus, remanent Dæmones viribus „ confracti, & anima redditur domina„ tior & fortior.

49 Si autem anima tunc possit tranquillo spiritu in Deum assurgere, ibique permanere, gaudens pro eo tribulationem pati; absque dubio statim Dæmon fugiet, quia ille unionem animæ cum Deo sustinere non potest, & anima ex divino consortio consequitur miram, & invincibilem fortitudinem, quam Dæmones horrent, & formidant; quia (ut ait Augustinus *Lib. de mor. Eccles.*) „ Non est Angelus „ cum inhæremus Deo mente nostra po„ tentior; nam si potestas virtus est in „ hoc mundo, toto mundo sublimior est „ mens Deo inhærens. Verumtamen non facile poterit anima ejusmodi unionem adipisci, maxime si prædictorum inexperta sit, quandoquidem communiter ejus materiales potentias caligine densa tunc obruat, & ipsa tristissima tædio, & hebetudine ponderosa spiritus ad omnia operanda inepta, & gravis sentiatur, & tunc nullum aliud remedium suppetit, nisi in patientia, & resignatione propter amorem Dei perseverare, seseque Signo Crucis munire, & aqua benedicta circumaspergere.

50 Nullo modo permittat Director, quòd anima Dæmonem lacessat, aut in prælium vocet, neque similiter quòd ejus fabulationibus attendat, nec satisfacere procuret, cum eo argumentando, & respondendo; efficacior quippe in illum syllogismus erit contemptus, & vilipendium illius; quod fieri debet humiliter, non in propria virtute innixa, sed in Domino, à quo omnis fortitudo, & robur procedit; audacter tamen, & absque formidine quasi muscam, aut contemptibilem formicam despiciat (*S. Theres. in vita sua cap* 25. *&* 31.) alioquin (ut testatur Ignatius de Loyola *De regul. ad disc. spirit. reg*. 12.) fiet fortior, & potentior: Speret firmiter in Domino, ac cum silentio præstoletur salutare ejus, quia scriptum est: *In silentio, & spe erit fortitudo vestra* (*Isaiæ* 30. 15)

51 Quod si videat ædificium, aut cubiculum in quo orat, quòd à cardine usque ad verticem scinditur, conquassatur, & ruit, vel quod tigna domus, aut cameræ super caput ejus cadere incipiunt, locum orationis non deserat, neque foras exeat, ut bene suadet Henricus Suson *De*

 occult.

occult. tentat. serm. 1. omnis quippe illa conquassatio est apparens, & oculorum fascinatio, ut arenam relinquat, & cum Dæmonis cachinno (si ruinam timendo fugiat) confusionem, & improfectum sustineat. Credat firmiter quòd nihil ei continget mali, & quòd Dæmon citra divinam facultatem (quam nefas est impedire) in nullo ei valet nocere: Sufferat itaque tentationem, quoniam cum probatus fuerit, & fidelis inventus, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

52 Multoties Dæmon ut domos eorum qui purgantur inquietet, strepitus horrisonos, & pavorosos efficit in mediæ noctis silentio, aut circum circa, quibus totam familiam terret, atque mille imaginationibus implet, ut variis exemplis confirmant Ubierius *De præfug. Dæmon. lib.* 3. *cap* 9. & 12. & Mayolus *In dieb. canic. part.* 1. *collo.* 14. & *de Sagis.* Detegat eis tunc Director ejus fallacias (tacendo tamen personam cujus causa efficiuntur) Sed illis prudenter suadeat, esse Dæmonis astutiam, ut eos possit perturbare; propterea non timeant, neque magni æstiment rumores, sed securi conquiescant, domumque aqua benedicta aspergant, & Evangelium Sancti Joannis in charta scriptum, vel symbolum Apostolorum cum signo Crucis in cameris collocent, & quotidie recitent, attente investigando si veri sint hujusmodi strepitus; sæpe enim contingit esse imaginationes, vel Felium, aut Murium, aut aliorum animalium corrosiones, vel grunnitus, & interdum (quod pejus est, & multoties visum) aliquod inhonestum commercium cum famulabus, aut aliis familiaribus, ad cujus faciliorem consecutionem hujusmodi strepitus Larvarum, & Lemurium confinguntur: Communiter quippe cum fiunt propter alicujus animæ purgationem, ab ea, & non ab aliis percipiuntur, quasi ad ejus tantum exercitium à Deo permissi, & hæc est consuetudo divinæ providentiæ, quam in praxi ostendit Dominus in Gethsemanæ horto dicens: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire* (*Joan.* 18. 8.)

CAPUT V.

De aliis cavillationibus Dæmonis per se ipsum actis ad purgationem animæ.

53 Solet etiam Dæmon in familia animæ purgandæ magnam adversus eam aversionem, & fastidium generare, ita ut ejus singulos quasi ad nauseam provocet, & aliquando vasa, & aliqua supellectilia domus confringit, ut adversus eam Dominorum iracundiam commoveat; qui si famulus sit, nimis angitur, maxime si illic eum perseverare oporteat, quia absque dubio exponitur expulsioni, & incommoditati. Quod si forsan actu expellatur, curabit Dæmon ne iterum illuc redire possit, & similiter quòd in alia domo non recipiatur; quo in casu non parva difficultas adest Directori, qui si muneri suo satisfacere cupit, debet primo animam hortari ad patientiam, resignationem, & firmam spem in Deo, qui eam non patietur ultra vires tentari, & dum illud hospitium ei abstulit, commodius aliud conferre potest; quamobrem in Deo suo omnem spem collocare studeat, quia scriptum est: *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet; non dabit in æternum fluctuationem Justo* (*Ps.* 54. 23.)

54 Secundò eam moneat, quòd diligentius, & hilarius solito heris, & domesticis famuletur, atque eorum humores, & aspera verba studeat tolerare, mitissimaque semper responsa dare; quia ut ait Sapiens: *Responsio mollis frangit iram* (*Proverb.* 15. 1.) Forte enim, quia amabilis est virtus, poterit familiam illam in meliorem sensum, & humaniorem conversationem mutare: Propterea necessarium est, quòd sine murmuratione, aut excusatione omnia speret, omnia sufferat, & omnia propter Dei amorem toleret, & si quid querimoniæ, aut molestiæ habeat, ad eum pro levamine, & consolatione accedat. Curet igitur Director eam consolari, & exemplo Christi, & Sanctorum ad sustentandam persecutionem dirigere.

55 Tertiò, si videat Magister quòd supradicta non proficiant, sed quòd effectu famulum illum, vel famulam è domo ejicere

cere

cere tentant, debet heros ejus adire (casu quo oporteat illic permanere, quia sæpius non oportebit) & hortari, ut apud se illam famulam retineant, affirmando esse virtuosam, & bene affectam familiæ, cujus sustentatio, & protectio erit Deo beneplacens, illisque ad eleemosynam, & meritum reputabitur. Quodsi neque hoc proficiat, debet Magister aliquas personas pias, & devotas juxta sexum patientis habere paratas, ut eam in suis domibus hospitio recipiant, donec ille de alio provideat, ubi tutius possit famulari; quas quidem devotas personas indiget Magister præparare ad hos, & similes eventus, qui in Ministerio animarum passim occurrunt.

56 Quodsi Director hujusmodi personas pias non habeat, debet suis propriis expensis eam in aliquo decenti hospitio reponere, donec de alia honesta domo provideat: Hæc quippe sunt lucra Magisterii spiritualis, quæ optimus Director debet reportare; à Domino enim pro egregio facinore, & eleemosyna centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit: licèt male sonet Directoribus (si forte sint) qui ex sua directione non modicum quæstum requirunt, atque officium, & ministerium hoc onerosum prorsus, & formidandum; pro solo asportando lucro arripiunt: Debent igitur perfecti Directores exequi monitum Domini per Isaiam dicentis. *Discite benefacere; quærite judicium; subvenite oppresso; judicate pupillo; defendite viduam, & venite arguite me, dicit Dominus (Isaiæ.1.17.18)* Hoc est Directorum munus; hoc est lucrum, quod ex ministerio asportare debent, & dum pretiosarum margaritarum exercent mercimoniam (si eas ita habere oporteat) vendere debent omnia quæ habent, & comparare eas.

57 Veruntamen in hujusmodi casu debet caute procedere, maxime si hoc evenire contingat cum puellis, aut fœminis gratiosi vultus, quia cum à Dœmone purgationis causa hæc sit tempestas excitata, poterit mundo suggerere aliquam inhonestam, vel fœdam Magistri suspicionem, & propterea diximus, necessarium esse habere paratas aliquas pias personas, quibus tuto possit Director negotium, & causam manifestare: Quodsi ipsis caruerit, debet absque ullo timore, & malæ suspicionis formidine opus Dei agere, quandoquidem veri Christi Discipuli, & animarum Magistri munus suum obire debent, docente Apostolo: *Per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam; ut seductores, & veraces (2. Ad Corint. 6. 8.)* Deus quippe erit eorum refugium, & virtus, gloria & honor; qui eos, licèt hic contemptos; in æternum coronabit.

58 Procurat etiam Dœmon, quòd aliqui imposturam, vel fœda crimina animabus purgandis imponant, ut tanquam hypocritæ, vitæque perversæ ab omnibus reputentur, ut confirmant Bonaventura *De process. relig. process. 4. à c. 1. & deinc.* Fr. Philippus à SS. Trin. *ubi sup.* & alii, & interdum cum dedecore, & confusione suorum Directorum; in quibus nullum aliud est remedium præter patientiam, & resignationem, quin ullo modo curent se excusare, neque hominibus satisfactionem præbere, nisi in casu, quo ministerio directionis nimis inficiat calumnia, vel si adversus fidem versetur, vel contra veritatem doctrinæ, quam docent; in quibus casibus ipsa divina veritas nos ducit respondere, ut per Evangelistas constat, & expresse docet Hieronymus *Epist. ad Rufin.* dicens: *Non est patientia beata, contra doctrinam, aut Catholicam fidem sustinere calumniam; neque Christi Discipuli dissimulare.* In cæteris verò cum silentio, & patientia procedendum esse arbitramur, Deo soli negotium committendo, quia scriptum est: *Mihi vindicta, ego retribuam dicit Dominus (Ad Rom. 12. 19.)* Quinimo & debemus pro persecutoribus, & calumniantibus nos Deum exorare, ut simus filii Patris nostri, qui in Cœlis est, scientes, quòd juxta sententiam Domini per Matthæum: *Beati eritis cum nos oderint homines, & persecuti nos fuerint, & dixerint omne malum adversum nos mentientes....... Gaudeamus, & exultemus, quoniam merces nostra copiosa est in Cœlis (Matth. 5. 11.)*

59 Insuper solet Dæmon animas perturbare per aliam perniciosam suggestionem, in eis inferendo odium, aversionem,

nem, vel contemptum erga earum Magistrum; quæ quidem suggestio est valde nociva, quia exinde provenit sui interioris occultatio, quæ ad recipiendas diabolicas fallacias disponit. Si hæc tentatio manifestatur Directori, statim evanescit: Si autem anima ex verecundia tacere incipiat, multa mala gignit. Poterit Director cognoscere in ea hanc tentationem, licèt illam studiose celare procuret, quando videat quòd ex suis monitis, & doctrina non consolatur, sicut heri, & nudius tertius; imo cum sui interioris rationem reddit, tepide se gerit; atque dum aliquid manifestare intendit, aliquantulum retrahitur, & conturbatur; quia cum Deus fidelis sit, ei inspirat, quòd internum suum integre Directori manifestet; quæ dum interiorem impulsum sequi tentat, statim eam Diabolus per hujusmodi suggestionem impedit, & obcludit; quamobrem vultu concidit, ac rubore suffusa silentio se committit.

60 Tunc Director absque hæsitatione ei affirmet, illam esse adversus eum aliqua tentatione affectam, & hoc subito, & ejus vultum consideret, nam si verum sit, proculdubio erit in vultu subita mutatio, & verecundia, & tunc eam humaniter arguat, & à concepto errore eruere satagat: Si autem nulla sit in ea mutatio vultus, poterit esse à tali suggestione libera: Veruntamen sunt nonnulli sic simulare scientes, quòd in nullo eventu vultum mutent. In his ergo si observet, quòd cum antea aperti essent, nunc penitus fiunt taciturni, indubie credat, aliquam adversus eum habere tentationem, & tunc eis ad cautelam incommoda, & pericula hujus pessimæ taciturnitatis latius exponat.

CAPUT VI.

De aliis modis, quibus dæmon per se ipsum cooperatur huic purgationi, & agitur de Energumenis, & eorum signis.

61 INhumanum prorsus, atque ferinum est tormentum, quo per se ipsum Dœmon (permittente Deo) animas torquet, & dilaniat; in earum scilicet corporibus ingrediendo, ad eas tantummodo exercendas, & probatur ex Dialogis Sancti Severi, Discipuli Sancti Martini, & confirmant Ambrosius *Libr. de Cain, & Abel cap.* 2 Augustinus *In Ps.* 26 & 148. Gregorius *Lib* 40. *Moral. cap.* 13. Paulinus *Epist* 16. *ad Delphin.* Petrus Damianus *Serm* 2 *de S Vital mar* Bonaventura *In* 2. *dist.* 8 *q.* 1. Birgitta *In revel. lib* 1. *cap* 32. & alii: quibus adstipulantur Jacobus Spenge us *In mall malef part.* 2. *q* 1. *c* 10 & Henricus *Ibidem* Inquisitores Germaniæ. Joannes Nider *In formicar c.* 7 & Mengus Vitaliensis *In fust Dæmon. cap* 11. *& in compen lib.* 2. *cap* 11 & latissime probat Abbas Vincentius Blasco de Lanuza in suo Patrocinio Angelorum *Par.* 3 *lib* 2. *c.* 18 *per tot.*

62 Et quamquam ipsius Dœmonis testimonium omnino falsum reputari debeat, à posteriori tamen cognoscitur in aliquibus, eum non ex maleficio datum, sed ex divina permissione ad exercitium, & purgationem concessum esse, quia ad eum expellendum nulla ex usitatis diligentia sufficit, ipseque gemens conclamat, se nullatenus egressurum, licèt hoc ardenter desideret quousque in illa creatura facta sit integra purgatio, ut colligitur ex revelationibus Sanctæ Birgittæ *Lib.* 3 *revel. c.* 31 & vere facta purgatione, ipse ultro, & absque exorcismo exit, ut in quadam spirituali persona observavimus. Vidimus etiam in ea, quòd Dœmon nimis ægre ferens magnum illius animæ profectum, quem ex tormentis ab eo inflictis comparabat, ille quasi rabidus canis insolitis latratibus de Deo acriter conquerebatur, quòd illum compelleret in creatura ad illius profectum perseverare, dum ei suavius millies esset in carceribus Inferni detrudi, quàm ipsius causa conspicere, animam justam mirabiliter mereri, & reformari. Infra adducere oportet signa, quibus Director conjiciat, quando ad exercitium animæ permissum est.

64 In his Energumenis clavum, & cælum perdunt spirituales Naucleri; nullum quippe adeo procellosum mare est, quòd eorum mentibus possit comparari: Ibi enim adest confusio, obscuritas, ambiguitas, illusio, & talis complicatio fabulationum,

quòd

quòd ibi nullus videatur spiritualis ordo, sed ingens confusionis horror inhabitat, ut tenet Lanuza *Ubi supra par.* 3 *lib.* 2 *cap* 15 § 1. *num.* 2. Sed difficultas, & hæsitatio Directoris in duplici tempore solet haberi, nempe antequam spiritus manifestetur, & postea.

64 Ante ejus manifestationem summe difficile est, & impenetrabile negotium, utpote quia Dœmon cavillose se dissimulat, ne tormentis exorcismorum verberetur, ut probat idem Lanuza *Ubi supra c.* 16. *num.* 4. unde nisi per revelationem, aut gratiam discretionis cognoscatur, proculdubio Magister in animæ illius directione desipiet, quia nimirum Dœmon non solum species imaginationis perturbat, & confundit, verum etiam eas complicando, & obscurando Imaginationem infatuat: ita ut sæpius judicet, animam esse lunaticam, quia plerumque eam inveniet obedientem, humilem, & devotam, & repente, & sine causa vertitur in superbam, inobedientem, & dissolutam (*S. Hieron. in Matth. capit.* 4. *S. Ignat. de Loyol. de* 2. *oran. mod. regul.* 13.)

65 Interdum etiam affirmabit, se Angelorum visionem vidisse, vel tetra ei phantasmata minitari; Nubes, columnas, & vapores atros conspicere, sæpiusque per ejus os, aut nares ingredientes, & egredientes: Aliquando dicet, quòd Imagines Sanctæ ei rident, vocant, & ad aliquod arduum opus suadent: Quod si forte Director eam per communes regulas spiritus juxta suum statum dirigere tentat, in majorem incidet confusionem, quia multoties putabit, visiones ejus esse veras, eamque in altissimo perfectionis gradu constitutam & breviter non solum de sua perfectione, sed de sua gratia, & justitia dubitabit, quia adeo à suis passionibus præcipitatur, quòd interdum blasphemias, interdum graves detractiones, & interdum magnas inobedientias, & contumelias proferat (*Lanuza ubi supra cap.* 25. *num* 6 *& seqq. & cap.* 22.)

66 Aliquando etiam eam reperit melancholicam, & mania affectam, ut con firmat Joannes N der *Ubi supra* Lanuza *ubi supr* Quod si debita remedia apponat, plus tristatur, atque ad rabiem, & desperationem movetur. Interdum Dœmon ita lente incutit rabiem, & impatientiam, quòd Magister poterit putare, non esse Dœmonis astutiam, sed animæ negligentiam, aut culpam; quibus dum occurrere certat, nullum fructum consequitur, quinimo & anima magis dissoluta, & inobediens redditur.

67 Sæpe dum eam interrogat, si ea quæ illi injunxit executa sit, resolute respondebit, non habere gustum, vel voluntatem parendi, & hoc in eodem tempore, quo altissimas intelligentias, vel visiones habuisse affirmabit; quamobrem putabit esse illusam, vel prorsus deperditam (*Lanuza ubi supr. num.* 3.) Denique tot inconsequentias passim reperiet, quòd nec regulas spiritus observare, nec indicationes sumere, nec probabile de ejus perfectione judicium agere valebit.

68 Si ergo in aliqua animarum prædicta observaverit, & scire voluerit, an sit à Dœmone possessa; primo vultum ejus consideret, & dum eam increpat, & corrigit, attendat, si aliquam in ea novitatem inspiciat, ut pote si ostentet iracundiam; si oculos reddit torvos, obscuros, & conturbatos; si immodeste cachinnet, & breviter ejulose plorat; si loquitur superbe, & elate, & interdum voce crassiori, & obscuriori quàm naturali; si dum aliquid loqui incipit, non absoluta sententia præcipite in aliud transit (*Lanuza ubi sup cap.* 20. *à num* 2.) Si dum ambulat habet motus, vel gestus dissolutos, & superbos; si ei habitualiter, & citra morem fœteat anhelitus; quia hæc omnia, unà cum confusione spiritus, dæmoniacæ possessionis sunt signa; quia nimirum Diabolus, quasi Rex inter omnes filios superbiæ, suam immodestiam, elationem, & iracundiam omnino dissimulare non potest.

69 Observet deinde, si dum anima opus bonum interius, vel exterius incipit operari, ad aliud non ita bonum violenter ducitur, & aliquando ad impatienter movetur: interdum etiam dum bonum agere incipit, repente ei evenire solet exanimatio, & virium deliquium; & statim aliud ind ferens, aut non ita bonum convertatur, illico reficitur, & sanatur. Sæpe continget eam ægrotare, & languere, quin ullo modo remedia medicinæ proficiant; ejusque languor, vel ægritudo fal-

lit

lit omnes regulas, & modos ordinarios infirmitatum, & fynthomata, & indicationes sunt raræ, & extra ordinem naturalem: Tunc à remediis medicinæ abstinendum judicamus, & ad remedia Ecclesiæ recurrendum, quia plus nocent, quàm proficiunt, & Dœmon nihil aliud quærit, nisi vires illius debilitare, ut eam melius, & facilius turbet, & ut mortificationem, pietatisque exercitia penitus prætermittat; quamobrem à medicinæ remediis (nisi in gravissima necessitate) abstinendum est. Circa omnia prælibata de Energumenis videantur D. Franciscus Torreblanca *In pract. jur. spirit. lib. 3. c. 8. à n. 45 & lib. 12. cap 3 per tot.* & Abbas Lanuza *Ubi supra à c. 16. & deinceps.*

70 Energumeni, qui per maleficium à Dœmonibus possidentur, habent alia signa præter supradicta, quæ videri possunt apud Isidorum *Lib. 8. etimolog. cap. 9.* & libros exorcismorum Ecclesiæ; quæ regulariter sunt nauseæ frequentes, provenientes ex quodam quasi involucro, quod ex ventriculo usque ad guttur ascendit, & descendit, & quasi acubus consitum latera esophagi lacerat, & pungit. Demum in variis corporis partibus, quasi quemdam formicarum motum, & pruritum sentiunt, & interdum quidam aer, jam frigidus, jam calidus inter eorum carnem, & cutim velociter circumcursat, & continue verticem capitis habent frigidum, & cum manu Sacerdotis tangitur, illico incalescit. In his frequentiores sunt infirmitates, languores, & cordis palpitationes, aliaque accidentia, quæ subjectum reddunt macidum, pallidum, rarisque infirmitatibus consitum Hæc sunt potissima signa maleficii, quæ in libris exorcismorum approbatis debet videre Director, ut cognoscat, vel saltem conjiciat, an ex maleficio, vel purgatione animæ Energumenæ constituantur (*Torreblanc. ubi sup. Lanuza ubi supra*)

71 Cum igitur timeat Magister, quòd illa sit ab spiritu malo possessa, debet secreto, & apud se tantum submissa voce exorcizare, vel quando ea confitetur, vel dum cum ea colloquitur; caute tamen ne ipsa cognoscat exorcizari, & præcipiat Dœmoni sub gravibus pœnis, quòd se illico manifestet; & præcipue debet in oratione; & jejunio Deum enixe deprecari, quòd ipsum in veritatis cognitionem adducat: Quodsi penitus non indubius manserit, debet eam juxta Romanum ritum exorcizare, licèt non in publico, quousque omnino manifestentur; quia tunc debet eam exorcizare in Ecclesia, ut in Manuali dispositum est.

72 Si verò nihil horum sufficiat, ut manifestentur, non ideo angatur Director, nec desistat: sed quotidie imponens ei manus, quatuor solita Evangelia recitet, & pœnas, atque præcepta Dœmonibus augeat, & quandoquidem (ut tenent Bonaventura *In 2. dist. 6. q ult.* Magister sententiarum *Lib. 2. dist. 6.* Fr. Richardus de Mediavilla *In mag. sent dist. 7. art. 3. quæst. 1.* & alii) inter ipsos Dœmones sit ingens odium, & inimicitia, & aliqui eorum sint, qui aliis præsunt, & dominantur; injungat in dulcissimis, & tremendis nominibus Jesu, & Mariæ, quòd viliores eorum adversarii, qui corpus Energumeni possident, eos dirissime torqueant, & flagellent, donec manifestentur, quia mirum in modum proficiet, siquidem eorum adversarii (hac occasionem arrepta) suæ inimicitiæ crudelem vindictam sumunt, ut tenet Fr. Hieronymus Mengo Vitaliensis *In fust. Dæm. cap. 6 per tot.*

73 Non minor adest difficultas cum Dœmon jam manifestus est (casu quo datus sit ad animæ purgationem) quia ejus mens quasi Babilon magna innumeris linguarum generibus confunditur: Propterea necessarium est, nihil eorum quæ ei interius contingunt æstimare, neque internis motibus attendere, neque eis ullam fidem præbere; omnia quippe sunt mendacia, & fabulationes Dœmonis; sed animam tantummodo moneat, quòd in tempore tranquillitatis explicite detestetur omnia quæ adversus Deum, Sanctos, & Catholicam veritatem sibi offerantur, obtestando, quod si per vehementiam passionis, aut Dœmonis suggestionem, vel violentiam aliquid contrarium admittat, agat, vel proferat; non à sua voluntate libera (quæ semper in vera fide, & sanctitate permanere cupit) sed Dœmonis operatione, & impulsu procedet.

74 Curet præterea, quod Sacrosancta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta fre-

frequentissime sumat; hæc enim adversus Diabolum fortiora præsidia, & arma validiora exhibentur, ut confirmat Augustinus *De Civitate Dei lib.* 21. *cap.* 14 *& lib* 22. *cap.* 22. & Cassianus *Colla.* 1. & tenet Malleus maleficarum *Par.* 2 *quæst.* 2. *c.* 5. Quodsi Dœmon eam ab accessu Ecclesiæ, & Sacramentorum per infirmitates, exanimationes, & interdum per nervorum contractiones impedire procuret, præceptis, & pœnis horribilibus contorqueat, & ad solvenda illa membra compellat. Quodsi hæc non sufficiant, faciat illam aliorum manibus, vel sella aliqua innixam in Ecclesiam deferre; non enim oportet quòd Dœmon, vel in magno, vel minimo victor evadat; præsertim cum necessitas sumendi ejusmodi Sacramenta, longe major sit in prædicta, ubi infirmitas spiritus multum superat corporis infirmitatem.

75 Similiter curet quòd nulla excusatione exercitium orationis, & mortificationi relinquat, etiam si corporali indispositione laboret, dummodo non sit gravis ægritudo; nam solet dumtaxat esse indispositio repentina, debilitas, vel deliquium virium, aut impedimentum membrorum, quibus Dœmon tentat ab exercitiis pietatis avertere: Quamobrem sub pœnis supradictis præcipiat Dœmoni Director, quòd eam relinquat liberam, & ad solita pietatis opera aptam.

76 Præcipuæ disponat animæ, quòd virtutes humilitatis, & obedientiæ præ cæteris colat, & pro quolibet earum defectu ei injungat, quòd pedes alicujus mendici, vel leprosi exosculetur, & per aliquot temporis expansis brachiis ad modum crucis persistat; quia hæc frangunt Dœmonis vires, & potestatem, cui nunquam permittere debet, quòd suum intentum assequatur; quandoquidem si in re adhuc minutissima sui compos voti evadat, difficile deinceps poterit subjugari (*Blosius in marg. spirit part.* 4 *§* 4 *n* 8 *& in specul. spiri. c* 9. *§.* 3. *n.* 3)

77 Non sit curiosus interrogando Dæmonem de rebus non necessariis, sed tantum interroget, an per maleficium, aut per exercitium ingressus sit; quomodo vocentur qui creaturam inhabitant, qui sit eorum Princeps, & cætera quæ in Rituali Romano disponuntur; omnibus verò aliis omnino abstineat, quia mille fallaciis, & illusionibus exponentur; præterquamquod nullatenus licitum est Dœmonem sine necessitate interrogare, & per ordinem supernaturalem secreta percipere, ut cum multis probat P. Thomas Sanchez Societatis Jesu *Tom.* 1. *in decalog. lib.* 2. *cap.* 42. *à nu.* 25.

78 Hortetur animam ad patientiam, & fortitudinem in fide, & spe divinæ veritatis, & bonitatis, & ad nihil credendum de his quæ interius, vel exterius audiat, vel videat, quantumcunque ei bona videantur, ut visiones Christi, Beatæ Virginis, & Sanctorum, revelationes per verba exteriora, vel interiora, & alia quæ apparenter videntur communicationes quæ quidem sensibus tantum communicantur, & maxima suspicione non carent, quia communiter sunt fallaciæ Dœmoniacæ, ut melius animam decipere possint, & expedit ei, ut omnibus resistat, signo Crucis se muniat, eas aqua benedicta aspergat, & aliquando oportebit eas expuere, & contemnere; quia experientia docuit, quòd in Energumenis hujusmodi visiones non Dei veritates, sed Dœmonis cavillositates existunt: Et si forsitan aliqua ex Deo sit, non ægre feret quòd anima de omnibus se exuat, ne per aliquam earum decipi possit: Præterquamquod magis Domino placet obedientia quàm victima; & in paupertate Spiritus fidem tantum, & spem firmam retinere (*Lanuza ubi sup. c.* 25. *n* 6.)

79 In cæteris omnibus sequatur manuale Exorcistarum, quia omnia ibi contenta proficient, etiam his Energumenis, qui propter purgationem, & exercitium possidentur, & nullo modo ab exorcismis desistat, licèt sibi persuasum habeat, non egressurum Dœmonem, quousque perfecte facta sit purgatio, quatenus semper per ea multum torquetur, sicque melius permittit animam sua exercitia prosequi, & eò fortior, & validior efficitur, quò Dœmon per exorcismos, & castigationem redditur debilior, & moderatior.

80 Denique Director orationibus, & jejuniis à Deo lucem, & fortitudinem postulet, ut in tam difficili, & irretito nego-

negotio ſe exhibere poſſit tanquam Dei Miniſtrum, & fidelem diſpenſatorem myſteriorum Dei; quia neque libri, neque conſilia ſapientium, neque longa experientia aliquando ſufficient ad tot, & tam difficiles eventus, qui in hac lubrica materia quotidie occurrunt; propterea neceſſe eſt ſemper, illum totius ſapientiæ fontem adire, quia ſcriptum eſt: *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei (Jacobi 1. 5.)*

81 Solet præterea Dœmon multimodis ſuggeſtionibus, ſtimuliſque luxuriæ animas exercere, & colaphizare; de quibus plurima, quæ in libris habentur, ad praxim reducere poteramus, à quibus nunc merito abſtinere decrevimus, quandoquidem pro caſibus evenientibus poterunt Directores occurrere ad ea quæ circa hanc materiam ſcripſerunt *Hieronymus* lib 6. in Iſaiam cap. 16 *Auguſtinus* lib.15.de Civitate Dei cap. 23. *S Gregorius* lib.2. Dialogor. cap.2. *Divus Thomas* 1 part.quæſt.51.art.3. ad 3. *Sixtus Senenſis* in Biblioth. lib. 5. annot. 77. *Pontanus* in Hiſtor. de ſtat. Relig. *Thomas Babantius* in lib. de Apibus. *Guillielmus* de univerſ. cap ultim. *Don Franciſcus de Torreblanca* in ſua pract. jur. ſpiritu. lib. 5 cap 1 *Vincentius Blaſcus de Lanuza* in patrocin. Angelor. part. 3. libr. 2. cap. 14. per totum. *Joannes Nider* in Formicar. cap. 2. *Malleus Maleficarum* tom. 1. part. 2. quæſt. 2 cap. 1. *Ludovicus Bloſius* inſtit. ſpirit. cap. 8 §. 3. *Baldelus* de conſc. errone. diſput. 4. *Jacobus Alvarez de Paz* de vita ſpirituali tom 2. lib. 5. cap. 8. *Claudius Roda* in vit. Sancti Andreæ. *Fr Thomas à Jeſu* de orat. divin. lib. 3. cap. 10. §. 1. *Fr. Philippus à SS. Trinitate* Theolog. Myſt. p. 1. tract. 3. diſcur. 2. art. 1. per tot. & fere omnes communiter. In prædictis tamen rata, & valde difficilia reperient: Multa etiam circa hujuſmodi materiam extant exempla in vitis Catharinæ Senenſis, Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Angelæ de Fulgino, & aliarum, valde enim neceſſarium erit Directoribus pro ſolvendis innumeris difficultatibus, quæ paſſim illis occurrere poſſunt. Alia etiam Deus ſolet adhibere hujus purgationis inſtrumenta; nempe, perſecutiones hominum, jacturam rerum ſenſibilium, & privationem bonorum corporis, ut docent Bernardus *Serm.* 21. & 54 *in Cantic.* Bonaventura *De proceſ. Relig proceſ.* 4. *à cap.* 1. *uſque ad* 10. *incluſive*, & *proc.* 7. *cap.* 21. Thomas à Jeſu *De orat. div lib.* 2 *à cap.* 11. *uſque ad* 18. *incluſive* Philippus à SS. Trinitate *Theol. Myſt. part.* 1. *tract.* 3. *diſcurſ.* 1. & 2. *per tot.* & alii; in quibus videri poſſunt: Nos verò in tribus prædadductis inſtrumentis ad quæ cætera referuntur, omnia collegimus; in his quippe pro Directoribus poteſt eſſe ambiguitas, & difficultas, quibus ſolum occurrere fuit noſter ſcopus.

CAPUT VII.

De commodis hujus purgationis paſſivæ.

82 Recte ait Auguſtinus *In epiſt.* quòd *Sicut eſt miſericordia puniens, ita & crudelitas parcens.* Quia licèt Deus de nulla perſonarum acceptione argui poteſt, omnibus enim juxta eorum diſpoſitionem occurrit, nihilominus noſtro loquendi modo dicere poſſumus, minus animæ ſavere, quam non corripit, quàm ei quam miſericorditer caſtigat: *Quis enim filius, quem non corripit Pater* (*Ad Hebr.* 12.) Et alibi dicit: *Ego quos amo, arguo, & caſtigo* (*Apocalypſ.* 3. 19.) In virga igitur hujus purgationis viſitat dilectos ſuos, ut ab eis miſericordiam obtinendæ ſuæ Intimæ converſationis, & unionis non auferat, & dum verberibus cedit, meritis cumulat, atque ultra multitudinem dolorum, poſtea eorum animas conſolationibus lætificat. Jobum Sanctum in filiis, bonis, & ſalute jacturam perpeti permiſit, ut deinceps multiplicatis his quæ amiſerat, majori gaudio, & fœlicitate potiretur (*Job.* 24. 12.) Tobiam Juſtum cæcitatis calamitate prævenit, quaſi ad reficiendos oculos, quibus filium ſuum proſperum, atque digna uxore deſponſatum alacrius ſolito conſpiceret (*Tobiæ* 4. 2.) Et Saram piiſſimam ab Aſmodeo Dœmone toties permiſit viduitate contriſtari, ut deinde in juvene Tobia digniori perfrueretur conjugio (*Tobiæ* 8. 3.) Denique Deus mortificat, ut vivificet; deducit ad Inferos, ut ad ſuperos reducat, purgat,

ut illuminet; illuminat, ut perficiat; perficit, ut in hac vita mystice ei uniatur anima, & unit temporaliter, ut in æternum eam sibi completo matrimonio copuletur; & hæc est misericordia puniens.

83 Hoc propemodum conspicitur in hac sensus passiva purgatione; quantuncunque enim illa pœnosa sit, atque horribiles sint in ea divinæ permissiones, tanto amplius anima in fortitudine crescit, & passionum suarum quoddam quasi dominium assequitur, quo eas compescit, ordinat, & ad regulam rectæ rationis reducit. Demum efficitur cauta, prudens, ad divinam unionem aptior, & ad aliorum eruditionem doctior: Propterea dicit Ecclesiasticus: *Qui non est tentatus, quid scit* (*Eccles.* 34 9.) Cui Rabanus *Apud Liram hic*, „ Quanto enim quis tribulationis experitur labores, si in fide „ perstiterit, & patientiam servaverit, „ tanto circa alios labores in virtute to- „ lerantiæ fortior erit, & qui multa didi- „ cit, ipse aliis verbum sani intellectus, „ & spiritualis consolationis rite enarrare „ valebit.

84 Secundum commodum est, quòd per hanc purgationem disponitur anima ad aliam purgationem passivam spiritus, quæ est immediata dispositio ad unionem divinam, & supernaturalem, ad quam accedere absque hac sensus purgatione non potest (*B Joannes à Cruce lib* 2. *noct obsc. cap.* 1. *in princ. p.*) hæc quippe deponit calceamenta, quæ necessario tollenda sunt, ut anima ad videndum Deum accedat, & in ea mystice dicitur animæ illud Exodi 3. 5. *Solve calceamentum de pedibus tuis*. Quia sicut homo per calceamenta innititur, & adhæret terræ; ita per partem sensibilem terrenis delectationibus, & sensibilibus objectis glutinatur; quæ nimirum necesse est deponere cum Moyse, & sicut ille depositis calceamentis cœpit spinarum aculeis pungi, ut ad visionem Dei perveniret; sic similiter anima per hanc purgationem depositis calceamentis, in sentibus, & spinis alterius purgationis incipit lacerari, ut tandem in viridi, & ardenti rubo contemplationis passivæ ad videndum Deum accedere valeat.

85 Tertium commodum est, quòd per hanc purgationem ingreditur anima in illam habitualem, & amatoriam notitiam Dei, quæ active solet, & potest comparari, ut tenet B. Joannes à Cruce *Libr.* 1. *noct. obscur. cap* 12. *num* 4. utpote absque materialibus phantasmatibus, & formis imaginariis (quæ improprie divini objecti sunt) subtilius, intimiusque cum eo confabulari assuescit, quod quidem absque hac sensus purgatione minime habere potest ex habitu quatenus sensibilibus delectationibus sensuum, & materialibus formis assuefacta, nequit introire interiora velaminis, id est puri spiritus, ubi Deus clarius, & purius eam erudit, & illustrat, juxta illud Isaiæ: *Quem docebit scientiam?* (ait Dominus) *& quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus* (*Isaiæ* 28 9.) Lac quidem, & ubera sunt materiales formæ, & sensificationes corporeæ; quas dum anima penitus non relinquit, neque parili auditu vocem Dei loquentis percipit; neque plenam recipit scientiam spiritus: Cum autem per hujusmodi purgationem gustus sensuum omnino arescat, & anima per labores, & dolores à sensibilibus, & terrenis delectationibus abstrahatur, quia nimirum dum in eis nihil præter laborem, & dolorem considerat, ad interiora, & spiritualia fugit, à quibus ne iterum eis torqueatur, exire formidat; subinde ibi manere spiritualiter discit, ubi à Deo intime docetur, & illustratur.

86 Quartum, & ultimum commodum est, quòd anima ab immediata Dęmonis jurisdictione liberatur, ut tenent Augustinus *Libr de moribus Ecclesiæ* & Joannes à Cruce *Libr* 1 *noct obscur cap* 13 *num* 9. quandoquidem (ut sæpius diximus) nequit ille spirituales potentias immediate invadere, nisi mediis sensibus, & materialibus formis, quas dum anima non transcendit, in proxima Dęmonis jurisdictione versatur; quod egregie concinuit sponsa sub hac metaphora: *Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallium, & inspicerem si floruisset vinea: Nescivi, & anima mea conturbavit me, propter Quadrigas Aminadab* (*Cant* 6. 10) Quia nimirum anima, quæ jam à sensibilibus, & materialibus delectationibus abstracta, ad eas iterum descendit, ex immoni præsidio spiri-

tualis exercitii, ad hortum, & vineam materialium sensuum conversa, illico (ut ait B. Joannes à Cruce *Lib. 2. noct. obscur. cap. 23.*) à Quadrigis Aminadab; idest à Dœmonis oppugnationibus impetita, turbatur, confunditur, ejusque jurisdictioni exponitur: Cum autem ex vi istius purgationis sensibilis anima à senibus sciat recedere, & ad interiora spiritus converti, ubi strepitus Quadrigarum Aminadab timere non potest, proculdubio ab illis fabulationibus liberatur. Demum alia plurima oriri animæ commoda ex hac sensibili purgatione affirmat idem Ecstaticus Doctor; scilicet, profundam humilitatem debitam conversandi cum Deo reverentiam, ejusque sedulam recordationem, atque ad expugnanda vitia mirabilem fortitudinem & alia quæ videri possunt apud ipsum (*B. Joannes à Cruce lib. 1. noct. obscur. cap. 12. 13. & 14.*)

87 Tempus, quo hæc purgatio durat, non est in omnibus æqualis, ut docet. B. Joannes à Cruce *Lib. 1. noct. obscur. cap. 14.* per hæc verba „ Neque certus durationis „ ejus terminus præscribi potest, quatenus non in omnibus eodem modo, neque eisdem tentationibus agitur, quia „ hoc à Deo disponitur, & juxta majorem, vel minorem imperfectionem animæ purgandæ, & similiter juxta gradum unionis, & amoris, ad quem elevanda est, magis, aut minus intense, „ & diuturne eam humiliat, & purgat: „ Debiles verò remisse, & morose, parvisque tentationibus per hujusmodi purgationis noctem diuturno tempore conducit; eis plerumque concedendo sensibiles consolationes, ne quasi pugiles, „ & ad labores sustinendos impotes terga „ vertant, aut recalcitrent; quamobrem „ in hac vita sero ad purum spiritum perveniunt, & aliquæ nunquam. Hæc Ecstaticus Doctor.

88 Hæc purgatio solet esse vorago spirituum, & stagnum animarum, ab ea siquidem paucissimæ resiliunt; tum propter earum ignaviam, & desidiam, quatenus scilicet purgationem sustinere nolunt, aut nequeunt; quapropter consolationes sensiles, & materiales gustus, quos devotiones vocant, quæsitare non cessant: Tum propter inscitiam Directorum, qui ad labores, & tenebras animæ cæcutientes, & semitas puri spiritus ignorantes, ab intima, & spirituali arrepta via, ad sensibilem, & jam prætermissam viam revocant: Tum denique (ut bene notat Arpius *Lib. 3. par. 2. cap. 13. num. 4.*) propter debilitatem, aut velleitatem animarum, quandoquidem hæ, vel horroribus, & tentationibus conterritæ, vel à persistentia tam duri itineris defessæ, illud penitus relinquunt, vel saltem per illud passim recalcitrantes incedunt: Quamobrem fere omnes in hac purgatione vitæ suæ cursum consumant; interdum laboribus attritæ, & interdum consolationibus affectæ, quæ juxta augmentum gratiæ, & incrementum virtutum, magis, aut minus mereri consequuntur.

89 Sed quia Dominus electis suis, & Discipulis suam crucem quotidie tollere præcipit; hoc est, labores, & ærumnas, tam naturæ, quàm hominum tolerare; propterea fere nullus est qui non variis laboribus, & doloribus exerceatur, ut in fine hujus tractatus fusius explicabimus; sed non ideo est in hac purgatione, si prædicta ejus signa non habeat; quamobrem ad illa recurrere debet Director; pariterque ad modum quo anima patitur, & torquetur; præsertim in illis consolationibus quæ ad reficiendam animam inter labores, & pœnas intercalantur; quia si vere sit anima in hac purgatione, illæ non erunt omnino sensibiles, sed magis spirituales, & simplices quàm antea, ita ut in eis spiritualitas semper crescat, & sensibilitas minuatur. Demum animam dum in illo pacifico amore conquiescit, sentit utique quandam formidinem, aut suspicionem rediturae tempestatis; quam veluti à longe conspiciens, dulcedinem amoris cum amaritudine timoris immiscet, & hoc est evidens purgationis signum.

90 Si verò illæ consolatoriæ intercapedines sint omnino sensibiles, & palpabiles, & exercitium mentis sit penitus imaginarium, & voluntas valde affecta ad illam consolationem sensibilem, seclusa omnino suspicione, aut formidine tribulationis venturæ, signum est evidens, quòd anima non est in hac purgatione, sed quòd à Domino exerceatur propter alios suæ divinæ providentiæ altissi-

altissimos fines. Sed de hoc fusius infra.

CAPUT VIII.

De purgatione passiva Spiritus.

91 DE hac passiva purgatione spiritus nobis visum est pauca loqui, maxime cum elevatus spiritus B. Joannis à Cruce latissime per totum librum secundum Noctis obscuræ, ejus causam, proprietates, & effectus descripserit, quem necessarium erit Directori attente legere, & considerare. Nos verò ea tantum quæ ei practice occurrere poterunt, pro consueto more adducere contenti sumus.

92 Hæc purgatio spiritus validior est purgatione præterita; quia (ut bene notat Fr. Philippus à SS. Trinitate *Part.* 1. *tract.* 3. *discurs.* 3. *art.* 1) prima purgatio sensus efficitur, ut pars inferior proportionetur superiori, eique perfecte subordinetur: Purgatio verò spiritus efficitur, ut pars superior disponatur ad unionem animæ cum Deo. Unde cum sit infinite major distantia inter creaturam rationalem, & Deum; quam sit inter partem inferiorem, & superiorem ejusdem naturæ, & suppositi, ut ex se patet; Ideo purgatio spiritus necessario debet esse major, & fortior, quàm sit purgatio partis sensitivæ: Propterea igitur hæc purgatio spiritus, tanto horribilior, & fortior est præterita, quanto distat Cœlum à terra; caro ab spiritu, & afflictio corporis, ab intima, & subtili afflictione animæ: Nam licèt verum sit quòd ex dolore, quo in prima purgatione afficitur sensus, ingens etiam in spiritu dolor resultet; est tamen longe inferior illo quo plene, & immediate spiritus vulneratur, ut ocularıter inspicitur in homine laborante gravi corporis ægritudine, ex cujus morbifico dolore, & labore animus dolet, quia in eo magis quàm in illo dolor consistit. Sed longe acrius dolet (& sine comparatione) homo qui honoris jacturam, amissionem facultatum, mortem uxoris, liberorum, vel Parentum. patitur, quandoquidem hujusmodi dolores sæpe sæpius homines subito interemerunt; quod quidem non efficit dolor ægritudinis, siquidem æger, non ex dolore interit, sed ex humore naturam superante, vel ex debilitate naturam extinguente. Dolor verò secundus immediatus homicida est; ipse per se ipsum vitam extinguit; ipse est gladius quo filium animam, & corpus nectens secat; quamobrem longe crudelior est, utpote immediate percutiens animam: Proinde omnis schola cum D. Thoma docet, longe acerbissimam esse pœnam damni, quàm pœnam sensus, non obstante quod ambæ animam contorquent (*D. Thom.* 1.2. *quæst.* 87. *art.* 4)

93 Purgatio spiritus non statim ac perfecta, & absoluta est purgatio sensus initium sumit (ut docet B. Joannes à Cruce *Ubi supra cap.* 1.) sed magis, vel minus procrastinatur secundum majorem, vel minorem animæ dispositionem, & comparatam fortitudinem ad sustinendos labores venturos; in cujus temporis intervallo, manet anima tranquilla, pacifica, quieta, & ad simplicem, atque amatorium Dei intuitum (seclusis sensibus, & phantasmatibus) habilis, & prompta; quæ interdum ex brevissima meditatione, & interdum ex levissima tantum Dei memoratione ad hujusmodi activum exercitium fidei, & charitatis simpliciter, & faciliter assurgit: Hic merito omnis sensus imaginarias operationes fastidit, quia cognoscit specialius, & purius Deum intueri in suo interiori fundo, ubi experimentali securitate cum illo conversatur.

94 Sensus quoque & deordinati appetitus plerumque quasi sopiuntur, quandoque autem (licèt mitius solito) reviviscunt; dum enim hæc purgatio spiritus non perficitur, sæpe animam oppugnare non cessat; quia ut docet B. Joannes à Cruce *Lib.* 2. *noct. obscur. cap.* 3. „ Omnes imperfectiones, & inordinati affectus partis „ sensitivæ vim habent, & radicem in „ spiritu. Propterea dum mali habitus non „ purgantur, pervicaciæ, & improbi „ mores non possunt bene purgari. Sed nihilominus tamen post factam purgationem sensus faciliter anima ab eis liberatur, quatenus illis egredientibus ipsa ad interiorem sui fundum se recipit.

95 In hac intercapedine curare debet Director, quòd anima brevibus meditationibus utatur, nec sensui, aut ejus exercitio

cælo vacet, sed per discursum, & pondus rationis statim in termino meditationis conquiescat, & per species fidei edocta, & ducta, in simplicem, & amatorium divinæ veritatis intuitum consurgat; facilliter namque, & interdum per solam Dei memoriam in eo ocius conquiescet: Quod-si diu ibi permanere non valeat, brevissimam meditationem, vel aliquam amatoriam, & fervidam jaculatoriam eliciat, & illico ad requiescendum in termino aspiret.

96 Exercitium virtutum, & omnimodæ, & solicitæ mortificationis, studiosius hoc tempore colere debet; alioquin breviter retrorsum revocabitur, quia hæc oratio quæ ad casus particulares non descendit, licèt det intensionem in virtutum radice, facilitatem tamen non præstat; quia hæc ex repetitione actuum, & ex remotione impedimentorum gignitur, ut visum est *Supra tract. 3. num. 25.* Unde in earum exercitio sentiet difficultatem, & oratio absque mortificatione parum, aut nihil proficit, nec sine his duabus alis mortificationis, & orationis (ut docet S. Bernardus *Serm. 4. super Isaiam 6.*) poterit spiritus in Deum elevari; sicut enim passer, qui utramque pennam non movet, nequit perfectè volitare; ita anima, quæ utramque alam mortificationis, & orationis æqualiter non exercet, à terra suæ naturæ corruptæ, in elevatam divinæ cognitionis sphæram consurgere non poterit: Quamobrem licèt in exercitio orationis ocium sanctum colat, debet in actione de mortificatione, & exercitio virtutum solicitius curare.

97 In hoc tempore solent esse visiones, deliquia, lachrymæ, & revelationes; quia ut bene docet B. Joannes à Cruce *Ubi supra cap. 1.* „ Hujusmodi res fiunt quando com„ municationes animæ non sunt pure spi„ rituales, hoc est, non pro solo spiritu, „ sicut illæ quæ fiunt perfectis, & jam „ secunda spiritus purgatione purgatis, „ in quibus omnino cessant hæc deliquia, „ corporisque tormenta, quatenus jam „ gaudent libertate spiritus: Quamob„ rem nullo modo eorum sensus obscu„ ratur, nec patitur alienationem. Quia igitur animæ non sunt omnino à sensibilibus solutæ, sed multum adhuc de sensibilitate formarum participant; proinde earum communicationes non sunt pure spirituales, sed cum aliqua materialitate permixtæ; propterea sensus ex divini luminis infusione patitur, & deliquiis, atque alienationibus laborare solent; unde eveniunt visiones, & revelationes sensibiles, quæ tot periculis obnoxiæ sunt, ut visum est *Supra tract. 5. num. 57. & 92.*

98 Hinc oritur, quod passim videmus, scilicet complures animas, quæ in hominum conspectu nimium collucent, & propter hujusmodi favores (prorsus periculosos) in maxima æstimatione habentur; quæ forsan si per peritos, & valde expertos viros examinarentur, proculdubio in hoc intermedio statu constitutas esse cognosceretur, & quia ab habitibus imperfectis non sunt omnino purgatæ, plura habent vitia spiritualia, & modicam virtutem; proinde aliquando miseros lapsus, & deplorabilia scandala earum causa experiri solent.

99 Igitur reputare debet Magister, tanquam vere spirituales, eos nimirum, qui per viam virtutum, mortificationis, & puritatis, in paupertate spiritus, & terrenarum omnium abnegatione, Christum consectantur, atque in se ipsis induere concertant; nec eos qui extraordinariis rebus & sensibilibus visionibus onusti sunt, propter eas æstimet, maxime si virtutibus heroicis careant, quas solum magni facere debet; quinimo & timeat hujuscemodi animas sua authoritate tueri, vel extollere, vel palam facere; potest enim in magna incommoda incidere: Videatur Bonaventura *De proces. relig. proces. 7. cap 20.*

100 Denique (ut tenet Taulerus *Inst. cap 11. & tom. 2. serm. de Martyr.*) post aliquod tempus, aut annos, quibus prædictæ animæ interdum laboribus exercitæ, & interdum consolationibus refertæ, iter suum fervide obsequuntur, si tamen in eis sit dispositio, & in earum directoribus diligentia, cum suo videri fœliciter, suaviterque cum divino suo Sponso cubant in meridie (ut affirmat Henricus Arpius *Theol. myst. lib. 3. part. 2. cap 13. num 3.*) repente eis supervenit horribilis, & atra nox; atque subita quasi violentia ablato lumine, palpabili tenebra, & densa caligine

gine obteguntur; adinstar illius qui dum Solis splendorem conspicit in suo auge, aut meridie, improvise ei absconditur lux, & profundæ noctis umbris circum volvitur, ut deplorat Hieremias, dicens: *Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion? Projecit de Cœlo in terram inclytam Israel* (*Tren. Hier.* 2. 1.) Hic Propheta late describit hujus densissimæ noctis labores, & afflictiones sub metaphora Arcis Sion, quæ est animæ sanctæ figura.

CAPUT IX.

De primo instrumento hujus purgationis, quod est lumen infusum modo purgativo.

101 PRinceps instrumentum hujus obscurissimæ noctis est lumen infusum modo purgativo, de quo sermonem fecimus *Supr. cap.* 1. *à numer* 8 *& deinceps* quò in hac purgatione valde efficaciùs animam torquet, & aliquos effectus diversos ab alia purgatione parit; quia non solum in ea inducit caliginem, cæcitatem, & interiorem, & irreflexam conversionem ad ejus fundum, unde arescunt sensus; & mortificantur, simulque obcæcatur potentia per excessum infusi luminis; verum etiam (ut ait Taulerus *Inst. cap.* 12) eam quasi per immensam molem, & ponderosum plumbi talentum, ita assidue onerat, & opprimit, quòd quasi viribus suis confracta succumbit, & quasi suffocari, vel crepari videtur; ut contingeret ei qui alicujus ponderis mole oppressus, in terram concideret; quodsi loco levandi oneris, amplius ei adjiceretur, proculdubio crepari, & disrumpi necesse erit: Sic similiter (quamvis comparatio infirma est) anima ob suam incapacitatem à pondere infusi luminis oppressa, loco levandi eam per illius suspensionem, constanter à Deo majori luminis onere opprimitur; quamobrem si ab eo non reficeretur, indubie vitam cum morte commutasset; ideo ajebat Jobus: *Nolo multa fortitudine contendat mecum ne magnitudinis suæ mole me premat* (*Job* 23. 6.) Et Sancta Sponsa flagitabat, quod quasi capra, vel cervorum hinnulus ab ea discederet: *Fuge* (inquit) *dilecte mi, assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum* (*Cant* 8. 14.) Hic quippe luminis impulsus quasi immensum pondus premit spiritum; qui simul ab eo obscuratus, & densa caligine circunseptus angustiam mortis, atque imponderabilem pœnam patitur (*S. Greg. lib.* 16. *moral. c.* 14 *B. Joan. à Cruc lib.* 2. *noct. obscur. c.* 5. *prop. fin.*)

102 Præterea hoc lumen in anima parit dolorem intimum, & profundissimam annihilationem, ut confirmat Philippus à SS. Trinitate *Ubi supra*, *art.* 2. quatenus animam componit Deo, utpote demonstrando ejus altissimam Majestatem oppositam nimiæ dejectioni, & miseriæ animæ, & simul quàm dignus sit omnium creaturarum obsequio, & quàm ingratissime peccata pro cultu retribuit: Exinde divinam justitiam, Deique vultum, quasi vindictam sumere volentem, in pauperculæ animæ oculos exponit; quæ nimio horrore perculsa, Baratri potius cavernas eligeret, quàm iratum Dei vultum intueri: Quem affectum explicat Job, dicens: *Quis mihi tribuat, ut in Inferno protegas me, & abscondas me donec pertranseat furor tuus?* (*Job* 14. 13.)

103 Ex hujusmodi contrapositione nimis depauperatur anima, quandoquidem nihil in se boni considerans, divinæ sanctitati composita redditur quasi squallida, & polluta menstruis: *Vere scio* (ajebat Job) *quod ita sit, & quod non justificetur homo compositus Deo: Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere unum pro mille* (*Job.* 9. 2.) Et Psalmista irradiante hoc purgatorio lumine ita annihilari videbatur, quòd neque se ipsum scire, neque invenire poterat: *Quia inflammatum est cor meum* (inquit) *& renes mei commutati sunt, & ego ad nihilum redactus sum, & nescivi* (*Psal.* 72. 22.) Videatur Gregorius (*Lib.* 8 *moral. c.* 2.)

104 Amplius depauperatur anima: „ Quia sentit in se (ait B. Joannes à „ Cruce *Lib.* 2 *noct obscur cap.* 6:) quod„ dam profundum vacuum, & pauper„ tatem ex triplici bonorum genere, „ quæ ad animæ gustum ordinantur; vi„ delicet, naturalium, temporalium, & „ spiritualium, quandoquidem se conspi„ cit

„ cit in manus adversariorum traditam; „ hoc est, miseriarum IMPERFECTIONIS, quæ in comparatione sanctitatis divinæ, quasi maximæ pravitates videntur: ARIDITATIS, quia lumen omnino arefacit omnes delectationes sensuum: „ CARENTIÆ APPREHENSIONUM, quia lumen infusum in nullo „ naturalium discursuum inniti permittit: „ Denique DESOLATIONIS SPIRITUS IN CALIGINE, quia hęc profunda caligo ab infuso lumine procedens, unà „ cum pręconcepta Dei severitate, adeo afflictam generat desolationem, quod (teste „ Jobo c. 23 8.) anima circumquaque conspiciendo, nullum invenit auxiliatorem: „ *Si ad orientem iero* (ait) *non apparet:* „ *Si ad occidentem, non intelligam eum.* „ *Si me vertam ad dexteram, non videbo illum: Probavit me quasi aurum quod per ignem transit:* Quod pulchre „ Psalmista comparat jacentibus in sepulchris: *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris* (ait) *quorum non est memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt: Posuerunt me in lacu inferiori in tenebrosis, & in umbra mortis;* „ *Super me confirmatus est furor tuus, &* „ *omnes fluctus tuos induxisti super me* „ (*Ps.* 87. 6.)

105 Hinc evenire solent animæ (ut ait Henricus Arpius *Lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 13. *num.* 4.) non solum mortis angores, & desperationis affectus, qui vere dolores Inferni à David vocantur: *Dolores Inferni circumdederunt me; præoccupaverunt me laquei mortis* (*Psal.* 17. 6.) Quia ei sicut olim Hieremiæ videtur, quòd suæ salutis via omnino præclusa est: *Conclusit* (inquit) *vias meas lapidibus quadris* (*Hier. Tren.* 3. 9.) Unde obscuritate teterrima oppressa dicit cum Isaia: *Non videbo Dominum Deum in terra viventium* (*Isaiæ* 38. 11.) Sed etiam ex hujusmodi caligine oritur ei spiritus vertiginis, qui adeo animam in suis operationibus obscurat, quòd trepidando timore, ubi non erat timor, in omni opere peccare lethaliter timet; nam sicut advesperascente lumine omnia quanquam exigua ad umbram conspectam apparent magna; ita in hac caliginosa purgatione, ubi crepera, & dubia ad afflictionem animæ lux infunditur, bona opera ad umbram ejus conspecta; quasi sordida, & menstruata intuetur.

106 Tot denique sunt angustiæ, dolores, scrupuli, & horrores, quos in anima efficit hoc lumen purgativum, quòd eos impossibile est referre, & ad numerum reducere (*Arpius ubi supra*) ex quibus plures refert B. Joannes à Cruce *ubi supra*; ubi videri possunt, & fiunt à lumine dupliciter: Uno modo per vim infusionis, qua anima immenso divinitatis pondere premitur, concutitur, deficit, & obscuratur; alio modo per ablationem reflexionis, qua omnium quæ bene egit, & agit, & quæ ei offerre poterant consolationem, penitus obliviscitur, & eorum tantum, quæ male egit, & suo obscuro videri male egit, & quæ ei magnam afferunt afflictionem, tantummodo recordatur; perinde desolata amaritudine oppressa, de sua salute pene desperat, ut tenet Philippus à SS. Trinitate *Ubi supra*.

107 Hæc omnia sapientissime molitur Deus, ut occulte animas erudiat, & à rubigine vitiorum in fornace tribulationis emundet; inter fumosam caliginem abscondens flammam, tetram animam reddit, ut nec bona videat quæ agit, ne immoderato amore sibi complaceat, & ut mala quæ egit per fumum defluentibus oculis dolorose conspiciat, & eorum radices penitus evellat; unde nec in sua justitia valet consolari, neque de sua injustitia non horribiliter timere (*S. Greg. lib.* 7. *moral à c.* 31 *usque* 34. *inclus. D. Tho in lib* 10. *lect.* 2.) Hunc affectum exprimit Sanctus Job 10. 14. hisce verbis: *Si peccavi, & non ad horam pepercisti mihi; cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris? Et si impius fuero, væ mihi est, & si justus, non levabo caput: Saturatus afflictione, & miseria, & propter superbiam, quasi leæna capies me; reversusque mirabiliter me crucias* Hæc omnia efficit prædictum lumen, ubi ipse Deus occulte inhabitat, qui solum ibi ad dolorem, & confusionem animæ intuetur, ut ipse Job 23. 15. testatur dicens: *Id circo à facie ejus turbatus sum, & considerans eum timore sollicitor. Deus mollivit cor meum, & omnipotens conturbavit me.* Videatur Gregorius *Lib.* 16. *mor. c.* 18. & 19.

CA-

CAPUT X.

De secundo instrumento hujus purgationis, quod est amor infusus modo purgativo.

108 INseparabilis comes luminis purgativi, & infusi est amor vivus, & ardens, similiter infusus, & purgativus; qui duplicem (ut tenent S. Bernardus *Ser. 67. in Cant.* & Taulerus *Sermone de Martyrib.*) parit in anima pœnosissimum effectum. Primus est dirissime torquere, & opprimere potentiam, propter suam exuberantem fortitudinem, & potentiæ debilitatem, & indispositionem, ita ut merito affirmare possimus, quòd licèt hic ignis non sit materialis, neque elevatus ut ignis Purgatorii, tamen torquet animam superiori, & excessiva activitate, utpote ex ejus violenta, & abundanti fortitudine spiritum angit, cremat, & suffocat; hoc est, adeo opprimit, quòd omnes ejus motus ad ea quæ concupiscit, & appetit, destruit, conflagrat, & consumit, ita ut ei videatur amandi virtutem penitus amisisse, & oculorum mentis obcæcato lumine, cor infuso igne consumptum perdidisse: *Cor meum* (ait David) *conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* (*Psal.* 37. 22.)

109 Hoc intelligetur per exemplum illius, qui dum cibum quem appetit in os immittere tentat, repente alia manus ab ejus ore violenter eripit; unde manet appetitus dolenter mortificatus, & illusus (*Tauler. ubi sup.*) Ita similiter contingit voluntati, quæ cum ad ea quæ concupiscit extenditur, vel moveri incipit, illico per infusi amoris flammam ejus motus extinguitur, & quasi à voluntatis faucibus revocatur, & illa hujus amoris involuta flammis dolet quòd ita illusa sit, nec quidquam appetere audet, quamobrem omnes vitiosi habitus evelluntur.

110 Secundus effectus amoris purgativi est, causare in anima dolorosam pœnam eorum quæ antea concupivit, & dilexit; itaque potitum bonum fit ei quasi gladius biceps, qui corpus, & animam confodit, & ratio est; quia cum omne quod naturaliter dilexit, immoderate amavit, cujus speciem apud se retinet, contra cujus deordinationem amor iste purgativus dirigitur; quot sunt species imperfecti amoris, tot habet contrarios, quos destruere debet amor purgativus; quod quidem fieri non potest absque ingenti dolore voluntatis, in ea quippe divinus amor quasi in luctaminis campo cum amore humano belligeratur; hujus indicantis prælii buccina intimum animæ ignito clangore conturbat; quod optime pinxit Hieremias; dicens: *Sensus cordis mei turbati sunt in me; non tacebo quoniam vocem buccinæ audivit anima mea clamorem prælii, contritio super contritionem vocata est, & vastata est omnis terra; repente vastata sunt tabernacula mea, subito pelles meæ* (*Hierem.* 19.) Vide Ricardum *De grad. violent. charit.* & Arpium *Ubi sup n.* 3.

111 Deinde præterita gaudia voluntatis, quæ in bonis spiritualibus habuit, quasi omnino deperdita, & irrevocabilia offeruntur, quorum ablata spe remanet voluntas in omnimoda paupertate, & desolatione, dolenter plangendo antiquam illam opulentiam, qua nunc privari in æternum conspicit (*B. Joannes à Cruce ubi sup. cap.* 16. *Arpius ubi supr.*) quod bene dolebat patientissimus Rex inquiens: *Ego ille quondam opulentus repente contritus sum; tenuit cervicem meam; confregit me, & posuit me sibi quasi in signum: Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, & effudit in terra viscera mea. Concidit me vulnere super vulnus; irruit in me quasi Gigas* (*Job* 16. 13.) Hoc est, non solum oppressit cor meum altissimus, irruens in me quasi Gigas; verum etiam ita convulneravit voluntatem meam, quòd omnia desideria mea in terram veluti deperdita effuderit, suisque ignitis lanceis circundans me, non solum opulentiam quam habui sustulit, verumetiam tenuit cervicem meam, & confregit, ne in antiquam opulentiam redirem. Et Hieremias incipit his verbis lamenta sua: *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus, me minavit, & adduxit in tenebras, & non in lucem* (*Tren.* 3. 1.) Quia acrius deploratur amissa prosperitas, quàm paupertas nativa: Potita fuit olim voluntas amplexibus Dilecti, sed repente ob-

te obtenebrata, & ab ulnis sponsi avulsa amissas delicias acrius dolet, quàm si unquam eas possedisset, atque sponsi amorem (suo videri) in odium conversum implacabili odio ingemiscit.

112 Circumcursitat voluntas varia objecta, ut aliquod solatium capiat; sed dum in omnibus laborem, & dolorem experitur, nullis se se tradere audet; omnia formidat, quod durius est, Deum quem iratum concipit, non solum adire perhorrescit, sed etiam de illo loqui, & recordari formidat (*B. Ioannes à Cruce ubi sup.*) quamobrem in se ipsa præcluditur, ubi crescente flamma, & æstuante purgativo igne, quasi in calcaria fornace inclusa crudeliter dolet, comburitur, & suffocatur, ut de se fatetur Hieremias, dicens: *Et dixi non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius, & factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens.* (*Hie* 20 9)

113 Hic effectus quem ignis ante Deum præcedens, vel potius ipse Dominus quasi ignis conflans in voluntate producit, eam reddit quasi temulentam, aut titubantem; propterea (ut merito tenet Bernardus *Ser* 67. *in Cant*) hinc, atque illinc circumducitur, quin in ullo objecto pedem figere valeat; sed in omnibus trepidat, titubat, & cadere videtur; ossa corporis contremiscunt, & pavent, & quasi à vino madidus, qui interno ejus ardore incalescens, in nullo se valet tenere, & conquiescere, sic similiter anima, neque divini Verbi fulcris, neque terrenæ fœlicitatis deliciis sustentari potest; quamobrem quasi amens, aut ebria hinc, atque illinc trahitur, & reducitur Quod mire depinxit Hieremias cum dixit. *Contritum est cor meum in medio mei; contremuerunt omnia ossa mea; factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo madidus à vino à facie Domini* (*Hier.*23 9.)

114 Denique purgativus amor ita voluntatem dolorose consauciat, quod quasi sitibundus languens, qui ardenter cupit guttis aquæ frigidæ linguam refrigerare, sic anima amoris adustione conflagrata, illius, cujus caput plenum est rore, & cincinni ejus guttis noctium; id est cœlestis sponsi cupit ardenter favoribus irrorari: Sed dum labia ejus stillare dulcissimam confectionem putat, & vehementer sitim mitigatura perquirit, labia ejus, non dulcem aquam, sed myrham amarissimam styllare experitur; quamobrem amor ipse quo illum desiderat, in majus ei tormentum vertitur, quatenus amor amplexus Dei inire compellit, & ita quam in illo conspicit, eam severissime rejicit: Itaque jam tracta jam retracta, quasi à contrariis funibus raptata dirissime torquetur (*B. Joannes à Cruc. ubi sup c* 7)

115 Ex hoc affectu oritur in anima quædam obscuritas, & impedimentum potentiarum, quibus adhuc clamare ad Deum non potest; Putat enim preces ejus despicere, minimeque eam auditurum, quinimo & purgentium sentium muris se conclusisse, ne voces ejus audire valeat, eamque simul septu ignis impenetrabili circumsepisse (*B Joannes à Cruc ubi supra caput* 8) unde Hieremias (*Tren* 3 7.) dixit: *Circumædificavit adversum me, ut non egrediar: aggravavit compedem meum; sed & cum clamavero, & rogavero exclusit orationem meam.*

116 In hac hebetudine potentiarum ita immergitur anima, quod nec actioni, nec contemplationi apta redditur, & continuo eam occupant quædam obliviones, & profundissimæ absorbitiones, quibus ubi sit, ignorat, quandoquidem neque Cœli, neque terræ, neque ipsius suæ occupationis reminiscitur; sed tota abiorta tristis, & immersa, potius marmorea statua, quàm vivens homo videtur, & hoc quidem evenit, quia Deus eam adeo intensissime occupat, quod ad nihil aliud, nisi ad illam intimam, & dolorosam pœnam, & afflictionem spiritus potest attendere, & hoc mirabili artificio Deus animæ memoriam, non solum ab omnibus speciebus contrariis divinæ unioni purgat, verumetiam novis, & supernaturalibus erudit, & illustrat (*B. Joannes à Cruc. ubi sup.*)

CA-

CAPUT XI.

De tertio instrumento hujus purgationis, quod est commercium creaturarum.

117 Tertium instrumentum hujus purgationis est creaturarum commercium, à quo non pauca animæ eveniunt tormenta, ut pulchre affert Laurentius Justinianus *In fasc. amor. cap.* 16 tripliciter enim eam molestant, & affligunt: Primo in ipsa pia affectione, qua eam consolari intendunt; illæ siquidem quasi artificii Domini ignaræ, veluti amici Job, tribulationem quam vident, non exercitio, & purgationi, sed culpis, & peccatis referunt; quamobrem mirum in modum augent animæ afflictionem, quandoquidem consita obscuritatibus, jam apud se putat, pro suis peccatis ita dirissime contorqueri: Unde firmius in suo erroneo sensu (per consolationum sententiam) confirmatur; subindeque ejus dolor, & afflictio multiplicantur; (*S. Greg lib. 5 moral. c.* 10.) propterea eis poterat dicere cum patientissimo viro: *Consolatores onerosi omnes vos estis* (*Job.* 16. 2.)

118 Si verò meliori pietate, vel sensu ducti de animæ afflictione condoleant; non quod illa exoptat, sed quod odio habet contuadent; utpote quasi carnales, & spiritum nescientes, putant, per diversionem, & terrenarum occupationum voluptatem, dolorem ejus esse levandum; unde vehementer suadent, quòd orationem saltem ad tempus relinquat, quòd sibi delectationem honestam quærat, & interdum quòd ludis, & voluptatibus tristitiam suam eliminare procuret: Et dum per eorum suasionem potius eam desolari quàm consolari conspiciunt eam quasi amentem, & fatuam reputant, & spernunt, & ex amicis facti sunt ei inimici: Quod quidem in hac purgationis nocte in metaphora Arcis Sion congemuit Hieremias, dicens: *Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus; non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. Omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt ei inimici* (*Tren.* 1. 2.) Videatur Anselmus 1. *ad Corint.* 1. *vers.* 23. *in fin.*

119 Secundò; quia creaturæ fiunt ei obstaculum ad assequendam tranquillitatem spiritus; in eis siquidem nihil aliud reperitur nisi labor, & dolor: Et si interdum levandi sui doloris causa aliquantulum faciem ad eas convertat, vel eis congaudere procuret, ita illicò conturbatur spiritus, quòd interius sentiat, affectus suos crudelius solito venire ad arma: Exinde conspiciens omnia sibi esse nociva, vitæ suæ tædere incipit: *Idcirco* (ait Ecclesiastes) *tæduit me vitæ meæ videntem mala universa esse sub Sole, & cuncta vanitatem: & afflictionem spiritus* (*Eccle.* 2. 17.) Et cum in hac mortalitate degens vivere absque creaturis impossibile sit, angitur, & ultra id quod dici potest affligitur spiritus, qui in nullo quiescere concupiscit nisi in Deo; quem ex defectu reflexionis, & teterrima obscuritate nequit invenire (*Tauler. epistola* 8.)

120 Tertio; quia regulariter animæ quæ sic purgantur, à creaturis patiuntur dirissimas persecutiones, & testimonia: (*Fr. Philipp. à SS. Trinit. par.* 1. *tract.* 3. *discurs.* 2. *art.* 3.) Cum enim ad unionem divinam, quæ hanc purgationem consequitur, requiratur exactissima purgatio, & omnium virtutum eximia radicatio, quæ per labores, & dolores facienda est, ut anima exuat veterem hominem cum actibus suis, & novum induat, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis; ad hoc magnopere juvant persecutiones, & falsa testimonia; quia præ cæteris laboribus superbiam domant; qua vetus homo fuit affectus, & mansuetudinem, & humilitatem gignunt; quibus novus homo præditus fuit, ipso dicente: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde* (*Matth.* 11. 29.)

121 Propterea permittit Deus, quòd hujusmodi animæ variis persecutionibus, & testimoniis falsis à creaturis inficiantur (ut probat Augustinus *De verb. Apost. ser.* 10. & tenet Blosius *Psysag. lib.* 1. *cap.* 18. & *lib.* 3. *cap.* 8. *numer.* 5 & *inst. spirit. cap.* 8 §. 3. *per tot.*) ut quasi lapides vivi, qui uniendi sunt illi lapidi offensionis, & petræ scandali, qui tandem factus fuit in caput anguli, tunsionibus, & pressuris expoliti deinceps, suis locis per divini Artificis manum possint coaptari; quod quidem

Et

dem in seipso expertus fuit S. Job 16. 11. cum dixit: *Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam, saturati sunt pœnis meis*. Et idem lamentatur Hieremias, inquiens: *Audivi opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes eorum adversum me; labia insurgentium mihi, & meditationes eorum adversum me tota die* (*Hier. Tren.* 3. 16.) Idem etiam experiebatur Psalmista cum à suis derelictus, & calumniis infectus concinebat: *Longè fecisti notos meos à me; posuerunt me abominationem sibi; traditus sum, & non egrediebar* (*Psal.* 87. 9.)

122 Per hujusmodi persecutiones, & testimonial crescit in anima tolerantia, & patientia, quarum habitus magnopere intenduntur, ita ut sibi superior effecta, quasi puerorum ludos, aut culicis punctiones eas æstimet, ut tenet B. Joannes à Cruce *Ubi supra cap* 16. quia nimirum dum interius intensioribus pœnis occupatur, & delicatiori dolore torquetur, exteriores pœnas, & calumnias despicit, & contemnit; ex quarum contemptu habitus fortitudinis, & temperantiæ quibus irascibilis, & concupiscibilis ordinantur, mirum in modum crescunt, & radicantur.

123 Propter eandem rationem contemnit Dœmonis fallacias, & deordinatos motus appetitus; non quia ab utrisque non sentiat invasiones, & stimulos; sed quia in suo obscurissimo dolore tota immersa, cætera quasi longe minora contemnens, veluti incus ferreum, malleos malleatorum propulsat, & excutit. Hac proculdubio ratione, cùm B. Joannes à Cruce *ubi supra cap.* 16. 22. & 23. de hac purgatione agit, nullam de tentationibus, & Dœmonis suggestionibus mentionem facit, sed tantum de lumine, & amore purgativis, quasi de principalibus hujus purgationis instrumentis; quia licèt homo dum vivit semper à Dœmone, Mundo, & Carne impugnetur; sed quia majori, ac profundiori pœna in hac purgatione immergitur, & occupatur; propterea cætera ita despicit, & contemnit, quasi ab eis non oppugnaretur; quamobrem nullam de eis mentionem fecit.

124 Longè abest ab hac purgatione immediata Dœmonis astutia, ut tenet Philippus à SS. Trinitate *par.* 1 *tract* 3 *disc.* 1. *art.* 4. utpote pure interna, & spirituali atque in animæ fundo operante: Verumtamen propter externa signa, atque profundam animæ immersionem, & tristitiam, maxime cum suas fallacias conspicit despectas, hujusmodi purgationem conjicit. Cumque eam consideret quasi hortum suis insidiis conclusum, & virtutum floribus perornatum; ut callidus insidiator murum circuit, & deforis nequissima desperationis tela intus immittit; quandoquidem scit, unum ex effectibus purgationis esse ingratitudines, & peccata animæ considerata ut opposita Divinæ Majestati, & puritati, à qua oppositione spiritus deficit, confunditur, & desperationis stimulis agitatur. Propterea hic callidus hostis per alias species imaginationi oblatas, curat etiam peccata animæ adeo gravia repræsentare, quòd ei quasi penitus irremissibilia offerat, ut illa de sua desperans salute, in ultimum desperationis præcipitium labatur: Quæ dum hoc affectu jam per infusum lumen præoccupata est, per hanc Dœmonis suggestionem maximum incurrit periculum: Perinde à Directore indiget solicite consolari, & fulciri.

125 Denique magnopere torquetur anima per Magistri spiritualis conversationem, & provenit ex pauca consolatione, & satisfactionem quam ex ejus directione, & monitis consequitur, quatenus existimat eam non intelligere, nec veritatem rei cognoscere, & hoc est maximum animæ tormentum, quandoquidem nulla alia ei remanebat consolatio, neque aliud laborum suorum levamen, nisi Directoris sui præsentia, & commercium; quo deficiente omnem prorsus desolationem incurrit: „ Cum enim illa (verba sunt B. „ Joannis à Cruce *Lib.* 2. *noct. obscur. c.* 7.) „ in illo malorum, & dolorum pelago sit „ inbibita, & immersa, in quo quasi in „ clarissimo speculo suas miserias intuetur, putat quòd ea quæ illa clare inspicit, cæteri non vident, nec sentiunt; „ quamobrem absque illarum intelligen„ tia eam consolari procurant; unde loco „ consolationis, majorem dolorem recipit. Quàm magna sit hujusmodi pœna? dicant experti.

CA-

CAPUT XII.

De aliquibus Requiſitis, & ſignis hujus purgationis.

126 SÆpius videmus nonnullos Magiſtrorum confundi in dignoſcenda hac paſſiva purgatione ſpiritus, & dum animam conſpiciunt obſcuritatibus, laboribus, & tentationibus circumactam, putant in hac purgatione eſſe conſtitutam: Sed frequenter male, quia ad eam pauciſſimi accedunt, ob eorum indiſpoſitionem, & rari ſunt, qui eam attingant, cum fere certum ſit, quòd purgati in ea ſtatum fœliciſſimum ſpiritualis matrimonii aſſequerentur, & rariſſimi ſunt, qui ad hunc ſtatum accedant, ſubindeque nec ad hanc ſpiritus purgationem.

127 Non igitur omnes, qui laboribus, & obſcuritatibus atteruntur, ſunt in hac purgatione, maxime cum Deus nunquam deſiſtat exercere Juſtos; utpote omnes corripit ad eruditionem; caſtigat ad ſatisfactionem; & torquet ad meritum, ut latius in fine hujus tractatus manifeſtum fiet: Paucos tamen ad Myſticam Theologiam, ſive ad ſui intimam unionem eligit; unde rari ſunt, qui hac obſcuriſſima purgatione, quæ immediate ejuſmodi unionem præcedit, purgentur Propterea ne in re tanti momenti errare poſſint Directores, neceſſarium eſt aliqua requiſita ad hanc purgationem prælibare, ac demum ſigna illius offerre, quibus cognoſcere valeat Magiſter animæ labores, & obſcuritates, non ex alio exercitio, ſed ex hac purgatione procedere.

128 Primum requiſitum eſt, quòd anima de ſua perfectione valde ſolicita, & in ſuis operationibus fervida, tranſgreſſa jam ſit ordinatum curſum viarum purgativæ, & illuminativæ, atque in mortificationibus, meditationibus, & virtutibus multum profecerit; ita ut non ſolum ea quæ lethaliter opponuntur perfectioni, & ſanctitati vitet; & horreſcat; ſed etiam ea quæ tantum venialiter, & imperfecte adverſantur, & quod in communi perfectorum ſtatu diu conſtituta, & exercitata ſit, quia nimirum hæc purgatio ordinatur ad diſponendam, & perficiendam immediate animam ad unionem paſſivam, & Myſticam Theologiam; quam utique diſpoſitionem præcedere debent omnia prædicta, ut labores, & dolores, quos nunc anima perpetit, ad hanc ſpiritus purgationem referri poſſint (*B. Joannes à Cruce lib. 2. noct. obſcur. c. 1.*)

129 Secundum requiſitum eſt, quòd anima ſuo tempore tranſgreſſa etiam ſit purgationem paſſivam ſenſus; omnis namque operatio hominis incipit à ſenſu; unde omnis ejus perfectio, & operationis purgatio, debet incipere à ſenſu, ut deinceps ſuo ordine ſpiritus perficiatur, quatenus hic indiget morigeratos habere ſenſus, ne ordinem rectum ſpiritus perturbent, ut ipſa purgari poſſit, & perfici: Alioquin inconſequens eſſet, & difficilimum, ſpiritum ordinare, & perficere, relicto ſenſu inordinato, & rebelle (*B. Joannes à Cruce; ubi ſupr.*)

130 Tertium requiſitum eſt, quòd anima ſimiliter tranſgreſſa ſit illam intercapedinem conſolationis mediantem inter paſſivam purgationem ſenſus, & ſpiritus; in ea enim diſponitur anima ad aſſequenda requiſita ſtatim dicenda, & conſequenter diſpoſitionem immediatam ad purgationem paſſivam ſpiritus, & neceſſarium eſt, quòd per eam dignoſcatur opus, quod in ſenſu actum eſt, & aſſueſcat anima ſenſum relinquere, & purgatio ſpiritus plene, & integre in purum ſpiritum ordinetur; quod fieri non poſſet, ſi anima diu per hujuſmodi intervallum relinquere ſenſum non aſſuefecerit (*B. Joannes à Cruc. ubi ſu; præ cap 3. in princ.*) Præterquamquod ad ſuſtinendam hanc horribilem purgationem indiget anima per illam conſolatoriam intercapedinem refici, & roborari, & nunquam vidimus quòd illa prætermiſſa immediate Deus à purgatione ſenſus in purgationem ſpiritus animam transferat, ut ex auctoritate B. Joannis à Cruce viſum eſt *Supr cap. 8. num.* 93. Quamobrem ſi hoc intervallum factum non eſt, labores, & obſcuritates quas anima patitur, referendæ ſunt potius ad purgationem ſenſus, quàm ſpiritus.

131 Quartum requiſitum eſt, quòd licèt anima non ſit à ſenſibilibus delectationibus penitus abſoluta; quinimo, & eis ad ſatietatem uti procuret, ſpiritus tamen aliquo modo (quaſi paſtus delicatiori cibo)

bo) eadem sensibilitates quas appetitus concupiscit, fastidiat, & sæpissime in intima solitudine, & paupertate consistat, ut bene notat Henricus Suson *Epist* 10. *in med.* quia nimirum ex vi antecedentis purgationis remanet spiritus simplicior, & purior ad percipiendam in sui fundo divinam unionem; quæ eo efficacius spiritum ad se trahit, quo anima efficitur purior, & simplicior; quamobrem gustato spiritu, delectationes appetitus fastidire necesse est.

132 Quintum requisitum est, quòd anima nullatenus de sua sensibili, & delectabili fruitione sit secura; sed quod dum abundantia spiritus congaudet, profundam in se sentiat amittendæ dulcedinis suspicionem; latet enim intrinsecus quasi delicatissimus dolor, qui est præsagium venturæ tribulationis, ut dictum est *Sup. num.* 89.

133 His suppositis requisitis, signa hujus purgationis spiritus, quæ solicite, & attente debet considerare director, hæc sunt. Primò, quod anima nullo modo possit per sensibilia phantasmata, & meditationes Deum invenire, quia hæc purgatio adeo animam absorbet in illa intima, & densa caligine, ubi spiritus delicatissime, & irreflexe Deum gustat, quod omnia sensibilia, & materialia additamenta horret, despicit, & fastidit. (*B. Joannes à Cruc. ubi supra cap.* 17, & 21.) Præterquamquod ei impossibile est alio divertere, quia in sui fundo quasi in obscurissimo carcere ita inclusa est, & tradita, quòd nullo pacto ab eo egredi potest, ut fatetur David, dicens: *Traditus sum, & non egrediebar, oculi mei languerunt præ inopia* (*Psal.* 87. 10.). Et Hieronymus: *Clausum, & non prodeuntem posuisti me.* Alii legunt apud Lorinum: *Carceratus sum, & non exibo, vel conclusus sum, & non egrediar.* Item alii: *Ut exire nequeam; vel in carcere inclusus sum, ut non videam quomodo explicem me.* Et idem expertus fuit Job cum dixit, *Si expavi ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum terruit me, & non magis tacui, nec egressus sum ostium* (*Job.* 31. 34.). Quasi dicat: Ad nimiam multitudinem dolorum expavi, & suspendium sensibilium elegi, & à tumultu eorum quasi propinquorum conterritus sum, & intra me metus, & tacens, ad ampliuscura illis conversandum non sum egressus. Videatur Gregorius *Lib.* 22. *moralium, c.* 12. & 17.

134 Secundum signum est, quòd anima illa caligine circumsepta sentiat, se vehementissimo amore comburi, & vulnerari; ac si in ardenti fornace inclusa, densoque ejus fumo obcæcata, nihil præter ignis ardorem perciperet; cujus effectus causa est, quia ut ait B. Joannes à Cruce *Ubi supra cap.* 10. „ Omnes animæ vires in amo„ re coacervantur, & colliguntur, quia „ dum intellectus caligine involvitur, to„ ta vis animæ in amorem declinat; sub„ indeque necesse est, quòd magna amo„ ris flamma excitetur, quia anima vehe„ menter conflagrata, in dilecti desiderio „ inalescat. Quod quidem experiebatur Isaias, cùm dicebat: *Anima mea desideravit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis* (*Isaiæ* 26 9.)

135 Tertium signum est, quòd anima habeat æstimativum Dei amorem; hoc est, quòd solum doleat, & angatur, quatenus judicat in omnibus Deo displicere; non autem quatenus illa tormentis afficitur, ut multis rationibus probat B. Joannes à Cruce *Ubi sup. cap.* 13. ita ut si de complacentia dilecti esset secura suam totam voluptatem, & gloriam constitueret in tormentis, & hoc est quod dolebat Job, dicens: *Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in pulvere dormiam* (*Iob* 7. 20.).

136 Quartum signum est: „ Quòd non „ obstante ariditate. (verba sunt B. Joan„ nis à Cruce *Ubi supr. cap.* 16. *in fin.*) „ caligine, & dolore, valde solicita sit „ anima, non solum in vitandis peccatis, „ & imperfectionibus, sed etiam in per„ quirendis omnibus, quibus magis pos„ sit dilecto placere „ Quod nimirum provenit ex ejus ardentissimo, & appretiativo amore, & omnia quæ dilecto suo placere possunt, operari non renuit, etiam, quocumque laboris, & doloris pretio.

137 Quintum, & ultimum signum est, quòd anima in hac purgatione nullam molestiam sentiat tentationum, suggestionum

rum, aut persecutionum, ut multis rationibus probat B. Joannes à Cruce *Ubi supra cap.* 16. 21. & 23. non quia earum non agitetur stimulis, sed quia longe majori pœnæ attenta, minoribus attentionem non præstat; quinimo in sua caligine immersa, tela nequissimi quasi in longinquo manere, & configi intuetur: Itaque si anima, vel ardore libidinis, vel persecutionibus, aut aliis tentationibus angitur, & turbatur, absque dubio purgationem hujusmodi non attingit, quandoquidem nullum istorum signorum deficit animæ sic purgatæ. Ex quibus poterit conjectari Director, an labores, quibus anima affligitur, sint ex hac purgatione, aut ex alia divina permissione.

CAPUT XIII.

De practica instructione Directoris circa hanc purgationem spiritus.

138 OMnibus prædictis mature perpensis, si cognoscat Director, quòd vere anima sit in hac horribili purgatione spiritus, debet cum illa se gerere compassive, & humaniter, quia afflicto non est danda afflictio: Quamobrem caveat proferre ei verba inconsolatoria, minusque nullo eventu, vel causa affirmare, illam esse deperditam, aut illusam; poterit enim eam in desperationem adducere, sed quasi infirmam, & gravissima ægritudine laborantem curet eam mulcere, & consolari: Deinde nullo prætextu ei permittat confessionem generalem facere, neque vitæ anteactæ, aut præsentis scrupulos admittat, sed omnes ejus phantasias despiciat, quandoquidem longe absunt à libera cooperatione voluntatis; sed procul dubio oriuntur ab spiritu vertiginis, citra animæ consensum: Curet etiam, quòd frequentius solito (facta prius brevi peccatorum confessione) ad Sacrosanctam Eucharistiam accedat, quia regulariter talis anima propter suum phantasticum timorem, & divinæ magnitudinis conceptum, tentationi non communicandi affecta erit, quam utique fovet, & auget Sathanas, ne in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei Oreb, idest, usque ad altitudinem unionis, possit pervenire: Præterquamquod etiam anima indiget hac divinissima refectione, ut possit induere fortitudinem ad tolerandos hujus pœnosissimæ noctis labores.

139 Si Discipulum hunc videat corporaliter ægrotare (multoties enim contingit, tam ex naturali, quàm ex supernaturali causa) ei humaniter, & affabiliter assistat, atque ab eo damnationis timores auferre procuret; solent enim aliqui in hujusmodi casu animam nimis torquere: Si prospera valetudine potiatur, eum non oneret pœnitentiis, & rigoribus, quinimo & solitos temperet; aut si casus exegerit, omnino auferat; pœna enim qua interius torquetur, longe superat omnes exteriores pœnitentias; quamobrem indiget interdum aliqua honesta recreatione, ut bene consulit Joannes à Jesu Maria *In schol. orat. tract. de tentat. numer.* 3. & 11. nisi forte talis sit illa caliginosa absorbitio, quòd recreatio ei in majorem pœnam, & dolorem convertatur, ut regulariter contingit.

140 In tantæ obscuritatis offuscatione solet Deus lumen purgativum in illuminativum convertere, ut tenet Richardus *Part.* 1. *de grad. viol. charit.* utpote coaptando potentiam lumini, vel lumen accommodando capacitati potentiæ, & tunc illico anima ab omnibus suis afflictionibus liberatur, & oriente veritatis Sole, fugientibusque tenebris omnia clare ut sunt, conspicit; nempe omnes suos timores fuisse umbras, & phantasmata purgativæ noctis, subindeque vanos, & nullius momenti, Deumque habere Patrem, Amicum, & Sponsum: Insuper manifeste cognoscit bona, quæ in illa obscuritate assequuta est, & opus mirabile quod in ea operatur, dignum solius manus Divini Artificis.

141 Tunc ei ardens amor conceditur adeo suavis, sapidus, & dulcis, quòd in illa Sponsi vinaria cella, quasi ebria superabundat gaudio, & exuberat consolatione, ut confirmat Taulerus *Serm. de Martyr prop. fin.* & ita secura dilecto gaudet, ut vere putet, quòd jam tribulationum hiems transiit, & imber caliginum abiit, & recessit, & ver floridus nunquam marcescen-

cessendum fœliciter advenit, ejus quippe consolationis abundantia sæcula omnia transigere videtur, ut in simili eventu credebat Psalmista, concinens: *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum.* (*Psalm* 29 7.)

142. Si autem purgatio non sit consummata, licèt animæ videatur præsentem fœlicitatem metas temporalis durationis pertransire: „ Nihilominus tamen (ait „ B Joannes à Cruce *Ubi supra cap.* 7) nón „ omnino tollitur ab anima aliquid (licèt „ nesciat quid sit), quod latet intrinsecus, „ & animæ fœlicitatem cum aliqua cala „ mitate permiscet, utpote intus sentien- „ do quendam inimicum, qui licèt quie- „ tus, & quasi soporatus videatur, timet „ tamen quòd aliquando à somno excite- „ tur, eamque in majorem calamitatem „ inducat: Et vere ita contingit, quia „ dum magis secura judicatur, iterum eam „ deglutit, & absorbet in alio caliginis „ gradu plus obscuro, duro, lamentabi- „ li, & diuturniori, quàm præterito. Quod similiter post suam abundantiam expertus fuit idem Psalmista; propterea subjunxit: *Avertisti faciem tuam à me & factus sum conturbatus* (*Ps.* 29 8);

143. In hoc igitur afflictionum parenthesi debet Director sui muneris ostendere peritiam, quatenus debet ita animæ delectationem mensurare, quod ad reficiendam eam sufficiat, & nihil supersit ad immoderatam delectationem appetitus: Insuper debet ejus affectus ita ordinare, quòd neque extinguat hoc levamen à Deo misericorditer concessum, neque gaudio ejus perfrui usque ad satietatem animæ permittat, eamque debet per illuminativam consolationem ita dirigere, quòd simul prædicta dulcedine fruendo, ejusdem dulcedinis gustum, & proprietatem mortificet; alioquin ei multum nocere poterit, ut affirmat Bonaventura *De process. relig. proc. 7, cap.* 21. utpote si eam privat consolatione, qua ad vires spiritus reficiendas indiget, vel si eam usque ad satietatem perfrui concedat.

144. Quod cognosci poterit per exemplum cujusdam famelici hominis, qui post longam inediam plurima ei offertur ciborum copia, quibus vesci permittitur usque ad satietatem. Si igitur ille immoderate epulis tradatur, exuberante stomacho plus ei noceret cibus, quàm reficeret; sed indiget illum tantum cibum sumere, qui facultatem stomachi non excedat, ut optima coctione facta dissipatæ admodum vires reficiantur: Ita similiter debet Director gaudium consolationis temperare, & immoderatam animæ fruitionem impedire.

145. Modus autem practicus temperandi consolationem est, præcipere animæ, quòd statim ac libere possit (si viderit consolationem in sensum derivari) omnino illam delectationem prohibeat, quamvis ad hoc media pœnosa adhibeat; totam verò vim consolationis ad purum spiritum reducat; in quo non ad satietatem, sed caute, & moderate motionem amatoriam sequatur; quod quidem fit humiliter, sibi persuadendo breviter eventuram esse majorem caliginem, & tribulationem: Itaque timor, & amor in illa consolatione miscentur, & dum amor vehementi dulcedine spiritum rapit, timor vim amoris cohibet, & temperat, & ad debitum ordinem reducit: Propterea debet anima ita gaudere consolatione, ut habeat pro certo, quòd eo pœnosior erit ventura caligo, quò major sit præsens consolatio; quamobrem tremens gaudeat, gaudens tremat, & proprietatem consolationis amittat, & hoc modo simul mortificatur, & reficitur spiritus, & consolatio infusa vires ejus non enervat, sed reparat.

146. In hoc medio tempore solent contingere impetus, non omnino materiales, nec pure spirituales, sed mixti; pro quorum directione recurrere debet Director ad ea, quæ superius diximus, cum de illis sermonem fecimus *Supra tract* 5. *cap.* 16. sciens quòd omnis ejus cura ad duo reduci debet; nempe ad tempus laboris, & caliginis, in quo animam debet consolari, & in quantum possibile sit, levare, & reficere; & ad tempus intermediæ consolationis, in quo prædicto artificio debet gaudium temperare, & animam ad nudam paupertatem spiritus dirigere, quatenus ab ea dum consolationis inordinationem abstulerit, & pure Deum solum quærere, datoremque magis quàm donum æstimare docuerit, velocius purgatio spiritus terminabitur, quandoquidem hæc tic

ad-

ad penitus evellendam animæ proprietatem.

CAPUT XIV.

De commodis hujus purgationis.

147 Quam pulchre cecinit Anna Mater Samuelis: *Dominus mortificat, & vivificat; deducit ad Inferos, & reducit; Dominus pauperem facit, & ditat; humiliat, & sublevat; suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus; & solium gloriæ teneat* (1. *Reg.* 2. 6.) Quæ quidem prophetica modulatio purgationi spiritus merito coaptatur, quia nimirum anima quæ per hanc purgationem mortificatur à Deo, & sibi ipsi, ac veteri homini mortua, mortisque angores experta, in novam transfertur creaturam, novique hominis indumento circundata mirabiliter à Deo vivificatur, & dum in suæ vilitatis profundum, & dirissimæ æmulationis Infernum deducitur, ad passivæ illuminationis fœlicem statum reducitur, & quanto magis naturalibus acquisitis, & supernaturalibus donis depauperatur, tanto amplius (ut alter Jobus) in duplum eisdem donis locupletatur: Et denique dum humiliatur usque ad corruptionis, & prævaricationis suæ stercus, ad mysticam Dei unionem, divinumque contubernium elevatur, & ex hac mortalitate, ubi terræ adhærens, quasi à longe, & inter velamina Deum contemplatur: Tandem mortalitate deposita, facie ad faciem ad videndum Deum Deorum in Syon accedat, ibique sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat. (1. *Reg* 2. 8.)

148 Multa commoda ex hac horribili nocte, & humiliatione evenire animæ, dubium non est, quæ breviter referre operæ pretium erit. Primum sit, quòd per eam evellitur in anima, & eradicatur omnis inordinatus creaturarum affectus, quandoquidem anima annihilatur in ordine ad res terrenas, quia in illis nihil reperit præter laborem, & dolorem, vanitatem, & afflictionem spiritus: Similiter depauperatur in ordine ad cœlestia, quia ea procul à suis operibus inspiciendo, Deumque quasi inimicum formidando, nec propter spem gloriæ movetur, nec Deum propter aliquod proprium lucrum diligit, sed propter solam ejus bonitatem increatam; cujus amore tanto intrinsecus tangitur, quanto extrinsecus omnibus lucris privatur, quamobrem omnia contemnendo sublimius in omnibus dominium acquirit, quo postea ordinate, & absque periculo, in Deo, & propter Deum omnia possit melius possidere: Ideo dixit Apostolus: *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes* (2. *ad Corinth* 6. 10.)

149 Rationem affert B. Joannes à Cruce *Ubi supra lib.* 2 *cap* 9. his verbis: „Quia „sicut elementa ut omnibus entibus, & „compositis naturalibus communicentur, „oportet quòd nulli particularitati colo„rum, odorum, vel saporum sint affe„cta, ut cum omnibus coloribus, odori„bus, & saporibus possint concurrere; „ita oportet spiritum simplificari, pur„gari, & denudari ab omnibus modis af„fectionum naturalium, tam actualium, „quàm habitualium, ut possit libere com„municare amplitudinem spiritus divinæ „Sapientiæ, in quo ob ejus munditiam, „certo excellentiori modo omnium re„rum sapores degustat. Hæc ecstaticus Doctor.

150 Secundum commodum est, quòd voluntas manet immediate dispositа ad recipiendas passivas influentias divini amoris, congenito in ea quodam speciali sensu extra omnem sensum naturalem, ad plene, & suaviter degustandas illas amatorias, & divinas communicationes, ut testantur Laurentius Justinianus *In fascic. amor cap.* 14 & Joannes à Cruce *Ubi supra cap* 9. quod clare indicavit Ecclesiasticus, dicens: *Creavit illis scientiam spiritus; sensu implevit corda illorum* (*Eccli.* 17. 6.) Ut igitur cor, sive voluntas animæ possit hujusmodi sensu impleri, necessarium est, quòd evacuetur, & purgetur, non solum ab omnibus affectionibus terrenis, sed etiam ab earum habitibus; quia dum aliquid remanet in corde, quod possit affectionibus terrenis inhærere, hoc divino sensu impleri non potest, & hoc consequitur per hanc purgationem, quandoquidem per eam omnium terrenarum affectionum habitus evelluntur.

151 Tertium commodum est, quòd intel-

-ell. Ctus manet immediate dispositus ad divina m unionem, ut confirmant prædicti; quia nimirum ab omnibus naturalibus formis abstrahitur, siquidem in nulla earum potest fulciri, neque pedem figere; quamobrem assuescit in illa cognitione, quæ supra se ipsum est, perseverare; subindeque dilatatur, & fit capax recipiendi divinam, & passivam communicationem, quæ ratione exactissimæ purgationis, & adeptæ perfectionis, non procul abest ab anima sic purgata (*S. Lauren. Justinian. ubi supra. B. Joannes à Cruce ubi supra cap.25. nu.3 & 4 & cap.13.*)

152 Quartum commodum est, quòd hæc purgatio plene pertingit usque ad divisionem animæ, & spiritus, ut tenet Joannes à Cruce *Ubi supra cap.23. in fin. & cap.14. in fine* quia illa prætermissa cognoscit anima, & distinguit motus partis inferioris, & superioris; ac perinde in ea oritur libertas spiritus, qua nullis deinceps scrupulis angitur, quatenus clare distinguit operationes carnis, & repugnantiam spiritus, subindeque rationabiliter nequit conturbari, sed ingreditur in perfectam libertatem filiorum Dei.

153 Quintum commodum est, quòd facile facit fugere jurisdictionem Dœmonis immediatam, cum illico ac ille ad imaginationem immittit suggestionem, anima ad sui fundum colligitur, eumque foras illusum, & rabidum derelinquit; ex cujus repetita illusione, & præcipue ex perfectissima purgatione, tale super illum acquirit dominium, quòd veluti immundam muscam, vel formicam despiciat, & contemnat, ut confirmant Laurentius Justinianus *De cast. connub. cap* 14. Ignatius de Loyola *De 2. oran. mod. reg.12.* & Joannes à Cruce *Ubi supra cap.23. per tot.* quinimo Dœmon ita timet has animas purgatas, quòd regulariter earum præsentiam, absque magno tormento sustinere non potest: Quod quidem animæ provenit ex divino consortio, & intima cum Deo unione, de cujus fortitudine quodammodo participat.

154 Sextum & ultimum commodum hujus purgationis est, quòd præter dona, virtutes, & charismata, quibus anima remanet ornata, per eam disponitur immediate ad unionem passivam, quam à Deo frequentissime recipit, ut testantur Laurentius Justinianus *Ubi supra* Joannes à Cruce *Ubi supra cap.24 num.3.* & Henricus Arpius *Lib 3. part.2. cap 13. num 4.* quandoquidem Deus animæ pulsanti aperire non dubitat: Huic animæ, quam per tales labores, & dolores mundam, & perfecte purgatam relinquit, non solum illico aperit, sed ipse Dominus cordis ejus januam frequenter pulsat, ut in eam intrare, & cum illa cœnare possit; propterea dixit: *Ecce sto ad ostium, & pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum (Apocal. 3. 20.)*

155 Adeo enim benignus est divinus amor, quòd non solum aperienti statim occurrit, sed mille verbis precatoriis, & amatoriis clamoribus, cordis januam reserare, & intrare solicitat, ut in Canticis canticorum dicitur: *Vox dilecti mei pulsantis; aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium (Cant 5. 2)* Benedictus sit tantus amor, tantaque benignitas in tam excelsa, tamque incomprehensibili majestate, & erga miseram prorsus, & contemptibilem creaturam: O fœlix dolor, o fortunate labor! quàm egregie Apostolus dixit: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (Ad Roman.8. 18)*

CAPUT XV.

De purgatione passiva amoris.

156 NOvum forte multis videbitur, quòd de tertia purgatione passiva sermonem habeamus; quandoquidem fere ab omnibus Mysticis prætermittitur, qui duas tantum purgationes passivas concedunt; maxime cum homo alias non habeat facultates, præter sensitivas, & spirituales, pro quibus satis abunde providetur in duabus purgationibus sensus, & spiritus; nam pars sensitiva perficitur per purgationem passivam sensus, sicut & pars superior per purgationem spiritus; quamobrem superflua videtur altera nova purgatio. Sed licet hoc verum videatur,

tur, nihilominus tamen experientia, quæ est optima rerum Magistra, docet, dari tertiam purgationem, quam etiam suadet ratio (ut infra videbitur) & nullus Mysticorum expresse negat, quinimo absque nomine purgationis, sed amoris pœnosi, eam suis scriptis commendant, & præcipue B. Joannes à Cruce, in pluribus locis sui mirabilis Cantici.

157 Singularissime autem expertissimus vir Henricus Arpius, inclyti Ordinis Sancti Francisci, has nostras ternas purgationes ordinate refert, sub insigne trium sagittarum probationis; scilicet, sensus, spiritus, & amoris purgativi, qui postquam commoda purgationis spiritus describit, atque frequentes divini amoris contactus, quos (ea prætermissa) patitur anima purgata, ex quibus amore languens in ardentissima Sponsi desideria prosilit, de hac amoris purgatione loquens, sic effatur: „ Et in hoc desiderium „ vulnerabit cor ejus sensibili dolore, qui „ dolor augetur, & renovatur in exercitiis „ anhelosi amoris ad Deum: Et hæc est „ tertia probationis sagitta. Unde quan„ doque videbitur languenti, quòd cor, „ & sensus dilaniabuntur, & disrumpen„ tur, & tota natura desideriosis consur„ rectionis impulsibus mori, & deperiri „ debeat, efficacia amoris impatientis „ agitata. Dum igitur impatiens ama„ tor sic æstu divini amoris vulneratus, „ & languidus, ardore continuo per im„ patientiam decoquitur, & detorretur, „ flamma desiderii, & affectionis in dies „ accrescente, quandam intolerabilem „ cordis angustiam incurrit, velut si „ parturiens parturiendi facultate prive„ tur. Quo fit, ut dum intuitu vicario, „ nunc vulnus cordis, nunc vultum ama„ ti contemplari non desinit, siccitate „ crescente (quæ simia caloris est) simul „ crescat, & ardor impatientiæ, & do„ lor angustiæ: Et hic probantur occul„ te filii Dei. Hæc Arpius *Theol. myst. lib. 3. p. 2. cap. 13. n. 4 prop. fin* Cum igitur amor, qui hisce animabus infunditur, non solum pariat habitualem dolorem, sed etiam purget voluntatem ab aliqua indispositione; sive, habituali dissimilitudine cum divino objecto, cui perfecte copulanda est; proinde meritò purgationis amatoriæ nomine insignitur, de qua brevissime agere oportet, quia in ea parum operis restat Directori.

158 Hæc amoris purgatio tota dirigitur ad voluntatem (ut ex Augustinos probat Dionysius Carthusianus *De fon. luc. art. 17.*) licèt illius motiva in intellectu recipiantur, quia efficitur vulnerando voluntatem efficaci radio divini amoris, præcedente in intellectu altissimo conceptu dilecti; cui additur quædam activissima, & penetrativa amoris flamma, quæ inflammando voluntatem, simul ab ea aliquid imperfectum consumit, scilicet aliquem quasi fumum proprietatis, qui ad perfecte introducendam formam divinam aliquantulum resistebat; Quare pulchre Sponsa Sancta flammam istam comparat flammæ lampadis, quæ simul ardet, & fumum extrahit: *Lampades ejus* (inquit) *lampades ignis, atque flammarum* (*Cant. 8. 6.*)

159 Ratio hujus purgativi amoris probari potest per paritatem purgationis spiritus: Sicut enim hæc fit ad eradicandos habitus imperfectos, quia prima purgatio sensus propter naturalem animæ invaletudinem eos omnino evellere non potuit; unde necesse est per secundam purgationem perficere, quod prima imperfectum reliquit: Ita similiter evenit in hoc casu, quia licèt per secundam purgationem maneat spiritus purgatus, & vacuus ab omnibus formis impedientibus divinam unionem, & voluntas simul vacuata à suis imperfectis habitibus, remanet tamen in ea aliquis præceps motus, vel amatorius impetus, sive aliquod inquietum desiderium de amato.

160 Et licèt hæc amatoria inquietudo non sit immunditia, aut vitium culpabile, ut colligitur ex Laurentio Justiniano *Tract. de triumph. Christ. agon. c. 24* inducit tamen aliquem obicem ad perfecte introducendam formam divinam; sicut in tabula bene perpolita non est vitium radicale, quod non sit quieta, & immobilis, & tamen Artifex non potest in ea optimam cælaturam facere, donec quieta sit, & firma: Neque similiter vitium est lucidissimi speculi quod inquietum sit, & tamen nequit vultus prospicientis in eo perfecte repræsentari, donec quietum sit, & tran-

Ff quil-

quillum: Ita etiam in anima, in qua licèt illa amatoria inquietudo non proveniat ex vitio radicali, tamen indiget pacificari, ut perfectum opus divinum, & deiformitas perfecte introducatur: Et sicut Angeli purgantur non ab immunditia, aut vitio, quod habere non possunt, sed ab habitu dissimilitudinis, & à divini luminis minoratione, ut tenet Dionysius *De Cœlest. Hierarch. cap.* 3. ita similiter anima hic purgari debet, non ab immunditia, aut vitio, quod non habet, nam per purgationem spiritus mundata est; sed ab hac inquietudine, & ab habitu dissimilitudinis impediente introductionem deiformitatis perfectæ.

161 Nullus equidem expertorum negare poterit, quòd in matrimonio spirituali, ad quod immediate hæc anima disponitur, quanto sunt elevatiores, purioresque ejus communicationes, tanto necessaria est in anima major, & elevatior dispositio, & tranquillitas, quæ nimirum assequenda est, non ampliando, & dilatando potentiam, sed eam acuminando, & simplificando; quod efficitur, non solum superaddendo, sed potius auferendo ea omnia, quæ obstare possunt puræ, & simplicissimæ communicationi divinæ, & hanc ablationem merito purgationem vocamus; quo enim purius, & subtilius crystallus illuminanda est per radium lucis, eo perfectius à nevis, & maculis est purganda.

162 Nulla potentia ita subjecta est immoderationi, sicut appetitiva, ob duplicem rationem: Prima, quia affectiva est, & ex natura sua caret modo, & rapitur in objecta, unde ajebat Bernardus *De diligen. Deo* quòd *modus diligendi Deum est sine modo diligere*: Quod quidem intelligendum est de constituendo termino amori, non verò de modo amandi, qui potest esse inquietus, & interdum valde imperfectus, & quia potentia affectiva facile metas moderati amoris excedit, quatenus desiderium, quòd est actus ejus elicitus, sæpius debitos limites transgreditur.

163 Secunda ratio est, quia potentia appetitiva est cæca, quamobrem ad præcipitium est facilis, maxime cum prætergrediatur metas intelligentiæ, ut supra probavimus ex D. Thoma *Tract.* 2. *nu.* 127. Cum autem hæc potentia, ut modi divini fiat particeps, indigeat, se ei totaliter assimilari, non solum in motivo amoris, sed etiam in modo, & cum divinus modus amandi sit quietus, pacificus, & tranquillus, absque ulla præcipitatione, inquietudine, aut immoderatione: ideo necessarium est, quòd per hanc purgationem disponatur ad amandum intensissime; sed tranquille, pacifice, & absque impetu, & præcipitatione.

164 Cum autem anima ex arida, & profunda nocte purgationis exeat sitibunda, & vulnerata, & constituatur in desponsatione spirituali, quia communiter Deus facta secunda purgatione illico animæ desponsatur, & cum in hac desponsat one (ut ait Theresia) *multoties Deus ab illa recedat* ex hujusmodi absentia amati adeo dolens, & quasi impatiens redditur. quod (B Joanne à Cruce teste *Can.* 1. *vers. ult.*) *si Deus illam non roboraret, ac fulciret absque ulla dubitatione moreretur*: Tanta est absentiæ, & amoris pœna; quæ quidem debet moderari; & pacificari ad assequendum divinum matrimonium, in quo licèt amoris flamma animam absumat, & consummat, verumtamen omnem pœnam, & dolorem excludit, ut idem B Doctor *Cant.* 39. affirmat dicens: *Est flamma quæ consumens, pœnam non parit, quia est flamma suavis transformationis amoris*. Itaque ut hæc transformatio, & deiformitas perfecte fiat, necessarium est quòd anima per eandem flammam amoris purgetur, & disponatur; id est omnino reddatur pacifica, & tranquilla.

165 Igitur fit hæc purgatio per quandam vividam amoris flammam, quæ arescit, & consumit in voluntate omnem inquietudinem, impetum, & præcipitationem; simulque eam afficit adeo delicata, & suavi pœna, ac si gladio subtilissimo, & ancipiti transfoderetur; cujus intensissimum, licèt suavem dolorem sustinere non posset, nisi divinitus confortaretur. In hoc divini amoris sublimatorio omnis dissimilitudinis habitus, & imperfectionis rubigo penitus extrahitur, & anima secundum hanc potentiam exit sublimata, simplex, & plene ad deiformitatem disposita; atque ad recipiendas altissimas ma-

matrimonii communicationes apta. Videantur Arpius *ubi supra usque ad fin. cap.* 13. & Dionysius Carthusianus *Ubi supra*.

166 Et quamvis hæc amoris sublimatio, sive purgatio ab statu desponsationis usque ad statum matrimonii continuetur, ibique finiatur, tamen scire oportet, quòd etiam in statu matrimonii (quia Deus semper magis, magisque communicabilis est) assidue ad ulteriores favores recipiendos eam purgat, & disponit; sed quia amor quo illic eam disponit, & purgat, nullum habet affectum pœnosum, propterea non eum purgativum vocamus, sicut istum, qui dirissimam, & suavissimam pœnam causat.

167 Amplius progreditur hic amor purgativus, nempe ad perfecte purgandum id, quod forte imperfectum permansit ex secunda purgatione spiritus; absumit namque, & consumit in anima omne terrenum; quamobrem, jam vitam terrenam non vivit; Quæ enim per hanc purgativam amoris flammam purgatur, jam non in se, neque sibi vivit, sed tota vivit Deo, & in Deo; unde potest dicere cum Apostolo: *Vivo ego; jam non ego; vivit verò in me Christus* (*Ad Galat.* 2. 20.) Sed non propterea tentationes non sentit, quandoquidem dum in hac degimus mortalitate absque luctamine vivere non possumus; scriptum est enim: *Militia est vita hominis super terram* (*Job* 7. 1) Unde dum ab hac mortalitate non eximitur, nec à mortalitatis ægritudinibus liberatur; verumtamen in hoc amoris sublimatorio jam purgata, omne id quod Deus non sit, despicit, & quod Deo displicere potest, totis viribus fugit, & odit. Denique ea quæ in prædicta purgatione agere debeat Director, dicemus in manuductione practica.

CAPUT XVI.

De aliis laboribus, & afflictionibus quibus animæ extra purgationem exercentur.

168 Solent multoties spirituales Magistri, dum animam conspiciunt afflictionibus, laboribus, vel diabolicis persecutionibus affectam, statim putare & affirmare, esse in una ex prædictis purgationibus constitutam, & multum errare possunt; quandoquidem pro animabus purgantibus valde diversa debet esse directio, & securitas; quæ enim sunt in purgatione, licèt aliquando affirment, aut timeant peccatis consentire, non statim, nec ita eis sicut & cæteris, quæ non purgantur, adhibenda est fides, quia habent intellectum consitum tenebris, subindeque eis album videtur nigrum, & è converso: Præterquam quod diversa eis adhibenda sunt remedia; quamobrem examinare debet causas laborum, & tentationum, quæ multifariæ esse possunt, & nobis congruum erit aliquas adducere.

169 Prima esse solet, ut anima assuefacta ad bellum non amittat præliandi consuetudinem, & non desidia, nec segnitia, sed vigilanti studio quasi in procinctu certaminis semper posita sit, ut à Dœmone reportata victoria, verificari in illa possit illud Apocalypsis: *c.* 2. 10. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

170 Secunda, ut per labores, & ærumnas probetur, an anima Deo digna sit, ut constat ex illo Sapientiæ: 3. 5. *Deus tentavit Justos, & invenit illos dignos se.* Et illud: *Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & invenit illos dignos se.*

171 Tertia, ut anima justa suavissimo sui exempli odore, Ecclesiam respergat, & plures alii per ejus fortitudinis, patientiæ, & resignationis exemplum ad vitæ hujus pro Christo tollerandos labores stimulentur, secundum illud Tobiæ: *Hanc tentationem permisit Deus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & Sancti Job.* (*Tobiæ* 2. 12.)

172 Quarta, ut anima Sancta inter adversa discat Deo gratiam agere; quamobrem tentavit cæcitate Tobiam, & ille sic perculsus, gratias ei agere non cessavit: *Non est contristatus contra Dominum, quòd plaga cæcitatis evenisset ei; sed immobilis in Dei timore permansit, gratias agens Deo omnibus diebus vitæ suæ.* *Tobiæ* 2. 13.

173 Quinta, ut à terrenis rebus anima ver-

verberata, & afflicta erudiatur, & discat terrena, quæ delectando pungunt, despicere, & cœlestia quæ veram lætitiam, & gaudium afferunt, amare; propterea canebat Psalmista; *Imple facies eorum ignominia & quærent nomen tuum Domine.* (*Psal.* 82. 17.)

174 Sexta, ut anima quæ in se aliquas virtutes, & fervidas operationes, vel divinos, favores intuetur, terram suæ vilitatis teneat, & suæ virtutis, aut potestati non attribuat, juxta illud Pauli: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ qui me colaphizet.* (2. *ad Corint.* 12. 7.)

175 Septima, ut anima per exercitium resistendi tentationibus, contrarias virtutes acquirat, quibus in via Dei multum proficiat, juxta illud Psalmi: *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum.* (*Psalm.* 83. 6.) Et præcipue virtutem patientiæ, quæ opus perfectum habet, & per tribulationem operatur, secundum illud Apostoli: *Tribulatio patientiam operatur*: (*Ad Rom.* 5. 3.) *Patientia autem opus perfectum habet.* (*Jacob.* 1. 4.) Quam etiam commendat Dominus dicens: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* (*Lucæ* 21. 19.)

176 Octava, ut anima quæ ex assidua Passionis Christi meditatione, ad ejus imitationem accensa ardenter postulat labores, & dolores experiri, suo pio, & devoto desiderio satisfaciat; atque hic complantata similitudini mortis ejus, in Patria deinceps gloriosæ ejus resurrectionis particeps fiat, juxta illud Apostolicum: *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.* (*Ad Rom.* 6. 5.)

177 Propter prædictas causas quotidie videmus laboribus, & afflictionibus atteri animas, & eas præcipue, quæ rebelles sunt, & duræ cervicis, & quæ indigent ad odiendum malum, & consectandum bonum in virga ferrea per rectam salutis viam perduci; quas quidem, & cæteras juxta laborum causam debet mederi Director remediis proportionabiliter; quæ in spiritualibus libris abundant.

178 Animæ autem quæ ad coronam, & meritum, sive ad exemplum torquentur, licèt postea per hujusmodi mysticas purgationes exercendæ sint, fere semper labores, & tentationes experiuntur; Deus namque assidue Justos exercet, corripit, erudit, & perficit; quamobrem prædictæ (excepto tantum statu matrimonii spiritualis, in quo nullus est labor, dolor, neque afflictio, sed perpetua lætitia, gaudium, & pax in Spiritu Sancto.) In cæteris vitæ statibus, in eis labores, & solatia, dolores, & consolationes, mœrores, & gaudia commiscentur; sicut neque ulla dies est, quæ ex luce, & tenebris non compingatur; propterea scriptum est: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* (*Proverb.* 4. 13.) Cum eis igitur quæ statum, modum, & signa purgationum non servant, communia remedia, suis laboribus accommodata utenda sunt.

CAPUT XVII.

De alio genere animarum quæ torqueri solent extra purgationem.

179 Alius reperiri solet status animarum valde difficilis cognitionis; difficile enim cognosci potest si earum tribulationes, & tentationes, ab una ex purgationibus passivis, vel ab alia divina permissione oriantur. Videre est enim animas ab infantia sua à Deo vocatas, atque ex illa tenera ætate favoribus supernaturalibus imbutas, quæ cursum vitæ suæ in omni virtutum exercitio impendunt, & præcipue in virtute humilitatis, & charitatis, quæ Alpha, & Omega perfectionis sunt, mirabiliter præcellunt: In eis adeo crescere solet desiderium imitationis Domini nostri Jesu Christi, quòd pro miseris, & peccatoribus ad ejus exemplum pati, & contumeliis affici ardenter postulant, vitamque suam pro salute proximorum offerre non dubitant, atque corpus suum pro levandis eorum necessitatibus mille tormentis offerre peroptant, & videmus eas interdum ita à Domino exaudiri, quòd earum dolores, languores, tormenta, tentationes, & obscuritates in maximum Directorum stuporem vertantur.

180 Quædam siquidem illarum horribilia

lia interdum spectra conspiciunt, Dœmones illis sub fœdissimis formis offeruntur, easque torquet, verberant, fustibus cedunt, in equuleos, & crates ferreas extendunt, corpus, & ejus membra discindunt, in patibulis, ferreisque paxillis suspendunt, & eodem tempore vehementissimis vitiorum omnium stimulis colaphizant, atque mentes earum spiritibus blasphemiæ, desperationis, inobedientiæ, & vertiginis præoccupant; infirmitatibus extraordinariis, & nervorum contractionibus inficiunt: & denique quidquid diabolicus furor (Deo permittente) potest machinari ad earum tormenta, non prætermittunt.

181 Ex alia parte revelationes, visiones Christi, Virginis Mariæ, & Sanctorum solent frequenter accipere, eisque dolorem suum temperare, & interdum per eas à suis omnibus tormentis liberantur, ut deinceps comparata fortitudine possint Dœmonibus, eorumque telis se exhibere quasi signum ad sagittam, & hoc modo vitam suam agunt, & consumunt; quamobrem Directores in earum cognitione solent desipere, putantes, aliquando eas esse in purgatione, & aliquando in perditione: Ad quorum tollendam confusionem dicere oportet ea quæ ex earum observatione didicimus, quamvis forte à vero scopo multum aberremus; quod judicio Doctorum relinquimus, volentes, quòd ea quæ proferamus, non judicia sint, sed conjecturæ.

182 Dicimus igitur, quòd nulla ex prædictis animabus est in aliqua ex prædictis passivis purgationibus, sed in mera probatione ad proprium meritum, vel ad proximorum impetrandam salutem, & ratio est, quia ejusmodi animæ, neque tempora, & statum servant, neque aliqua purgationum signa habent, quandoquidem possunt meditari, & si forte ad tempus impeditæ sint, redeunt tamen ad devotas meditationes, & considerationes imaginarias: Deinde nunquam spiritus in eis simplificatur per gradus; hoc est, ita sensum à formis materialibus abstrahitur, quòd ad eas redeundi facilitatem amittat, & habitum consistendi in divino objecto absque prædictis formis materialibus comparet, ut per primam purgationem consequitur (in qua est difficultas; nam de secunda dubitari non potest, quòd in illa non sint) quia prædicta licèt aliquando ad contemplationem eleventur, & à sensibilibus formis abstrahantur, tamen semper ad sensum redeunt, in sensu consistunt, & sensibilibus visionibus gaudent; quamobrem in purgatione sensus non consistunt.

183 Longe minus sunt in purgatione spiritus, cum certum sit eam esse immune ab imaginariis visionibus, à tormentis, & laboribus prædictis; consistit enim in sola illa obscuritate, & amore purgativo, in quo spiritus penitus annihilatur, & depauperatur, & quasi in ardentissima fornace inclusa, omni vitiosi habitus rubigine purgatur; per cujus prælibata signa, & requisita manifeste cognoscitur, in hac spiritus purgatione non versari: Propterea investigare debemus caussam hujus perpetui, & horribilis exercitii.

184 Et supposita superioris facti contingentia, dicimus, certum esse quòd Deus similes animas ab infantia sua quasi prævenit, ut non solum pro peccatoribus exorare, & veniam eorum impetrare procurent, sed etiam ut imminentem divinæ justitiæ gladium suspendant, ne mundum juxta delicta sua, & assidua peccata statim evertat, & confundat, ut ex Ezechiele constat dicente: (*Ezech.* 22. 30. *Et quæsivi ex eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem & non inveni.* Et Propheta Isaias hujus divini desiderii gnarus, dicit: *Non est qui invocet nomen tuum, & consurgat, & teneat te.* (*Isaiæ* 64. 7.) Et propterea Ecclesia Sancta quæ se obtulit in præsidium pro peccatis, atque iram Altissimi suis assiduis precibus curat temperare, in Sponsæ figura sic canit: *Ego murus, & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* (*Cant.* 8. 10.)

185 Hæc divinæ ultionis placatio fieri debet per labores, & afflictiones, ut constat ex Levitico 16. 18. Daniele, & ex Psalm. 105. 23. ubi dicitur, stetisse Moysem in confractione, *ut averteret iram ejus, ne disperderet eos.* Cui addit Pampoli-

politanus *In Iſai.* 53 4 „ Niſi Sancti „ flent, & perſeverent in contritione cor- „ dis gementes , patientes , & orantes „ pro Populo in conſpectu Domini id fa- „ ciendo . Quæ quidem contritio , afflictio , & dolor , aliqua ſaltem proportione reſpondere debet pœnis, quæ pro peccatis infliguntur ; alioquin divinæ Juſtitiæ non ſatisfacerent , neque ejus ultionem ſuſpenderent ; quamobrem pœnæ æternæ ſenſus , & damni reſpective reſpondere debet pœna temporalis damni , & ſenſus ; quam forſan ob eandem cauſam experiebatur David , cum dicebat : *Dolores Inferni circumdederunt me* . (*Pſalm* 17. 6.) Cui addit Lorinus : „ Doloribus Inferni idem „ afficitur ſenſus, de acribus , & magnis „ doloribus , qui aut ſimiles habentur „ his , quos Inferni habitatores damnati „ experiuntur . (*Lorinus in Pſalm.* 17. *verſ* 6.)

186 Propterea pœnis ſupra relatis, quæ aliquam ſaltem habent ſimilitudinem cum pœnis damnatorum , unà cum teterrima obſcuritate ſpiritus , & Dei abſentia prædictæ animæ afficiuntur ; ad quas plene ſuſtinendas , neceſſario debent permanere in exercitio ſenſuum ; alioquin prædictas pænas non paterentur , quia ut bene docet B. Joannes à Cruce *Lib* 2. *noct. obſcur cap.* 1. „ In viris jam perfectis , & extra ſen- „ ſum poſitis , ceſſant omnino deliquia „ materialia , & corporis tormenta ; ne- „ mo enim pati poteſt ubi non eſt , & „ communicationes efficaces, & paſſivæ „ regulariter ſenſum privant dolore , & „ afflict one , quandoquidem anima ab il- „ lis ſubtracta nihil tormenti ſentiret, li- „ cèt corpus torqueretur. Notent hanc doctrinam Directores , & de pluribus erroribus circa plures animas quas ducunt , eruentur : Itaque ſi prædictæ animæ ad temperandam divinam juſtitiam paſſuræ ſunt pœnam ſenſuum , neceſſario debent ſemper in ſenſu verſari , & conſiſtere.

187 Sed non ideo minoris ſunt meriti aliis quæ extra ſenſum elevantur , cum meritum in bonorum operum exercitio conſiſtat ; quod habent prædictæ in gradu eminenti ; ſed quia in ſenſibilibus verſantur , ſunt etiam in meditullio diabolicæ juriſdictionis poſitæ , ſubindeque expoſitæ ejus fabulationibus , & periculis ; ex quibus etiam majoris meriti laureas adipiſcuntur , ſi à Dæmone victoriam reportaverint ; verumtamen cum eis præcaute ſe gerat Director , quia in omnibus quę patiuntur, vident , & audiunt, poteſt eſſe illuſio, & diabolica fallacia, ipſarumque vehemens imaginatio; quandoquidem omnia hæc regulariter ſunt imaginaria , quia neque vere, & realiter ſcinduntur, neque patibulis ſuſpenduntur , neque in Infernum detruduntur, nec mucronibus, & lanceis tranſverberantur , nec cum eiſdem turpiſſima Dœmones realiter exercent ; ſed imaginantur hæc videre , & in corpore pati , & hoc eſt veroſimilius, licèt ipſæ affirment , quòd per tactum cognoſcunt hæc illis fieri realiter , & phyſice , quia regulariter non ita eſt, ſed fiunt in imaginatione à Dœmone commota , & perturbata , atque fuliginoſis, terriſque humoribus occupata , quibus affectæ credunt , hæc omnia pati, & ſuſtinere ; licèt non negemus, quòd interdum à Dœmone fuſtibus, & pugnis cedantur,& de uno ad alium locum jactentur ; cætera verò regulariter imaginaria ſunt .

188 Sic ſimiliter ſunt earum viſiones Chriſti, &. Sanctorum ; in quibus magna cautio adhibenda eſt , quia plerumque falſæ ſunt , & Dœmonum cavillationes , & quantumcunque veræ ſint , & boni ſpiritus, regulariter ſunt imaginariæ , aut externæ, & non pure ſpirituales (quidquid ipſæ affirment) & ratio eſt, quia prædictæ animæ ob ſupradictam rationem ſunt in ſenſu , & in ſenſu torquentur , & prædictæ viſiones, & conſolationes fiunt ad roborandam , & confovendam partem patientem , proinde debent ad ſenſum dirigi, & per conſequens ſenſibiles eſſe : Ideo S. Gregorius de Sancti Jacobi conſolationibus loquens , dicit : „ In ea enim menſura „ conſolatum ſe , in qua afflictus fuerat , „ indicat ; qui lætificatum ſe ſecundum „ multitudinem dolorum clamat. (*S. Gregorius lib.* 31. *Mor. c.* 8.)

189 Unde conjicere debet Director , quòd revelationes , viſiones , locutiones, & prophetiæ prædictarum, in nullo debent pretio æſtimari, quandoquidem omnia ſenſibilia , & imaginaria innumeris fallaciis, illuſionibus , & periculis ſunt obnoxia : Præterquamquod hujuſmodi animæ habent

bent imaginationem læsam, debilem, tetram, vaporibusque sanguineis, & eterogeneis confusam, atque à Dœmonibus omnino turbatam; proinde semper tristia, aut ignea, aut rara imaginantur, & frequentissime earum visiones sunt meræ imaginationes, & capitis vertigines; quamobrèm misere errabit Director, si ullam eis fidem in magno, aut in minimo præstiterit; sed ad omnium virtutum exercitium erigat, & dirigat.

190 Deinde eas præveniat, & muniat ad dirissimam Dœmonum pugnam per media supradicta (*Cap. 4 n. 48. & deinceps.*) easque consoletur, roboret, & per considerationes suis tormentis accomodatas fulciat; multum vigilet, & solicite curet; ne ab spiritibus blasphemiæ, infidelitatis, & desperationis seducantur, illisque suadeat quòd resistant fortes in fide, firmæ in spe, & fervidæ in charitate, & diligenter attendat doctrinis quæ eis à Sanctis, vel à Dœmonibus, aut damnatis proferuntur, ne forte in eis aliquis error contra fidem, aut contra doctrinam receptam, aut bonos mores misceatur: Earum ægritudines caute mederi permittat, ut supra de energumenis dictum est *Cap. 6. num 96. & 75.* & curet quòd frequentissime accedant ad Sacramenta Penitentiæ, & Eucharistiæ, & denique multum oret, jejunet, & enixe à Deo lumen postulet, ut in tam difficili, & impenetrabili negotio possit bene se gerere, & prout casus exegerit, viros doctos, & expertos consulat; hoc enim satis frequenter erit necessarium.

191 Aliæ sunt animæ, quæ licèt à tenera ætate ad hujusmodi negotium non ducantur, in diversis tamen eventibus, & statibus à Domino moventur, ut pro communibus, aut particularibus necessitatibus se offerat extorquendas, & aliquando vidimus Deum earum oblationem admittere, & dirissime prædictas animas torqueri variis cruciatibus, & pœnis, vel sensus, vel spiritus. Si ergo pœnas prædictas patiantur, idem dicimus de his, sicut de antecedentibus, & hoc in quocumque perfectionis statu sint constitutæ. Cum enim habent torqueri in sensus eisdem periculis sunt expositæ, & eadem eis sunt adhibenda remedia.

192 Nullæ ex prædictis animabus sunt in purgationibus passivis regularibus, nec cum eis utendum est remediis purgationis, licèt interdum possint aliquibus uti prout casus exegerit: Animæ autem, ut in purgationibus regularibus versentur, debent per status suos ordinate procedere, & signa omnia purgationis habere; quia licèt Deus possit hunc ordinem invertere, & tempora non servare, raro tamen, aut nunquam visum est, & potius ex pravo homine, aut fœmina subito faciet perfectum, ut egit in Paulo, & Magdalena; quam seorsim purget primo spiritum quàm sensum, vel ante arreptam viam virtutis (in qua homo proficere incipiat) inchoet spiritus purgationem; itaque secundum ea quæ ibi dicta sunt, procedat Magister: Pro cujus instructione, & rerum mysticarum notitia, hucusque dicta sufficiant; ex omnibus enim quæ regulariter eveniunt, & communiter in directione occurrunt, aliqua prælibavimus, quæ sufficere possunt, ut saltem dubitare, & consulere sciat Director; quem obsecramus, ut nostræ ignorantiæ parcere dignetur, suisque orationibus Deo commendet.

MANU-

MANUDUCTIO
BREVIS PRACTICA
Juxta hujus voluminis doctrinam.

SUfficiebat plane ad spiritualis Directoris praxim, quæ in toto hoc nostro volumine prælibavimus, quandoquidem omnia quæ illi practicæ, & communiter evenire possunt, & quæ ad exactam sui muneris adimpletionem spectant, integre (licèt compendiatim) tractaverimus. Sed ne aliquid nostro desiderio deficiat, prælibatam libri nostri doctrinam, ordinate, & breviter ad praxim deducere decernimus, ut facilius animam à limine perfectionis, usque ad perfectam consummationem, per omnes vias, & status possit dirigere: Propterea hanc nostram manuductionem in quatuor status dividemus, in quibus animæ versari solent in tribus viis, purgativa, illuminativa, & unitiva: Purgativæ quidem respondet status incipientium: Illuminativæ, status proficientium, & Unitivæ conveniunt duo status; scilicèt perfectorum, & unitorum, sive in matrimonio spirituali versantium. Nec novum videatur, duplicem dari statum perfectorum, cum non omnes perfecti sint in matrimonio spirituali constituti; sed illi tantummodo quos divina largitas ad hujusmodi altissimum statum eligit, quem statum esse affirmavimus, ut visum est *Sup. tract. 5. num* 289. Quamobrem nos in tribus communibus viis de his quatuor statibus (annuente Domino) agemus, ac per eorum singulos directionem nostram ordinabimus; faxit Deus Optimus Maximus, quòd saltem pro unius animæ profectu labor noster sufficit; hoc enim tantummodo contenti erimus

Via purgativa status incipientium, ejusque exercitia, & directio practica.

1 UT clarius in hac materia procedamus, supponendum est cum omnibus Mysticis, quòd tres sunt animarum viæ, per quas ad perfectionem tendunt, nempe Purgativa, Illuminativa, & Unitiva. Purgativa dicitur illa, in qua totum animæ studium versatur in extirpandis vitiis, & purgandis suis peccatis, tam mortalibus, quàm venialibus. Ad quod necessarium est (post factam confessionem generalem cum eo quem eligit Directorem ut dictum est *Sup. tract. 1. numer. 68.*) quòd anima se reputet quasi sordidum sterquilinium, & cenosum stagnum culparum, & defectum, quod penitus aggreditur mundare, & clarescere: Ad quod triplex tantum suppetit medium, scilicet integra confessio, pura contritio, & actus charitatis; ut tenet Gregorius *Lib.* 37 *Moral. cap.* 27 Hugo *Libr. de virt. orat.* Alexander de Ales *Part.* 4 *q.* 16. *memb* 1. *art* 1. Suarez *De Relig. tom* 2. *lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 6. & alii communiter. Cum autem medium integræ confessionis positum sit, restat ut sua omnia exercitia ad medium puræ contritionis reducat, quandoquidem illud non solum mundat à sordibus præteritis, & præsentibus, sed etiam fulcit timorem sanctum, qui est initium divinæ sapientiæ: Igitur iste actus contritionis nihil aliud est, nisi quidam dolor divinæ offensæ ob solam ejus bonitatem increatam; non sensibiliter in appetitu inferiori, sed spiritualiter habitus in appetitu superiori, sive in voluntate.

2 Ad cujus eliciendi actus facilitatem quòd Director hujusmodi incipientibus ordinet meditationes novissimorum, præsertim feditatis peccati, ac damnorum ejus, & quòd divisim, & attente consideret

ret ejus deformitatem, gravitatem, & incommoda, ut de peccatis suis pœnitere, & in posterum ea non committere discat; & hoc non propter timorem servilem, utpote æternæ damnationis, aut temporalis pœnæ, quæ solet per peccatum evenire, sed propter timorem filialem, & castum; nemque quia Deum offendit peccatum, ejusque divinæ bonitati opponitur; aliter enim exercitium contritionis, quòd hujus vitæ, & status peculiare est, non haberet; quinimo & servili timore perculsa fieret pusillanimis, & contracti spiritus.

3 Hic contritionis actus faciliter potest ex omnibus meditationibus novissimorum, elicit, & exemplum dabimus in consideratione Inferni, quæ longior est à timore filiali, & propinquior timori servili. Consideret igitur anima, quòd horribilia Baratri tormenta habent durationem infinitam, non ex alio capite, nisi quia peccatum directe opponitur divinæ & infinitæ bonitati; propterea ejus malitia est infinita ex parte objecti; unde per infinitam durationem torquenda est, & in hoc affectu, & ponderatione demoveretur, in se ipsam inviscerando, quàm nocivum, & abominabile sit divinam bonitatem offendere, & statim anima in affectum contritionis ducetur: Quod similiter potest fieri in omnibus meditationibus novissimorum.

4 Ut igitur anima bene instruatur, in modo meditandi, & eliciendi affectus, debet Director unà cum Discipulo (si fœmina non sit) cubiculum secretum intrare, atque genua flectendo (hymno dicto, atque sequentia Missæ de Spiritu Sancto) præparationem quam affert Molina Carthusianus *Tract. 2. de orat cap. 1.* clara voce cunctanter legere, & Discipulum moneat, quod se Deo altissimo præsentem judicet, ad cujus divinam Majestatem oculos animæ dirigat. & tunc Director incipiat modo supradicto meditationem contexere, & cum ad actum contritionis deveniat, ei præcipiat ibi demorari, considerando, & in se ipsum inviscerando illam infinitam bonitatem offensam, & enormem gravitatem offensæ factæ per vilissimum vermiculum, & sordidam, ac despectam creaturam, & facto silentio per aliquod tempus, aliquando Magister clare voce aliquas ad propositum jaculatorias jactet: V. G. *Domine tu qui infinite bonus es, à me vilissima creatura offensus!* vel: *O Domine tu per me ingratissime colaphizatus, verberatus, illusus, aut crucifixus, ! Tu!* vel: *O peccatum vilissimum quod sic illam summe amabilem bonitatem percussisti!* & paululum tacendo subjungat: *O Domine, quis millies mortuus fuisset, priusquam tuam bonitatem offendisset!* vel: *O Domine, prius omnia tormenta Inferni pati vellem, quàm te iterum offendere.* Et hoc dicat cum maximo dolore, & affectu, ut anima Discipuli ad ponderationem gravitatis peccati, & ad contritionem moveatur; In his enim brevibus discursibus colligitur totus orationis fructus, nam continue discurrere, & de uno ad aliud serpendo transire, parum, aut nihil proficit, si bene masticatum cibum in ventre spiritus per quietis calorem non excoquit.

5 Si autem Discipulo tunc eveniant distractiones, vel suggestiones, doceat eum resistere, illas respective, contemnendo, scilicet, si circa res indifferentes sint, & suæ recollectionis negotio attendendo: Si verò sint circa objecta peccaminosa, curet primo ab eis spiritum eripere, attente suæ recollectioni insistendo: Quodsi hoc non sufficiat, & adhuc molestent; si versantur circa materiam luxuriæ, curet ab eis avertere imaginationem, & intensius in Dei præsentiam confugere, quia scriptum est: *Fugite fornicationem* (*1. ad Corint 6. 18*) & nullum aliud tutius præsidium invenire poterit, quàm Deum, *qui factus est refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus in tribulatione* (*Ps 9. 10*)

6 Si autem tentationes versentur circa alia vitia, quæ contrariis actibus superantur, & non sufficit earum contemptus, ut omnino cesset; tunc contrariis actibus resistat; verumtamen semper se in divina præsentia præliare consideret, quinimo & ex ipsis tentationibus agere debet cimbalum, aut tintinnabulum, quo anima excitetur ad Deum, & ad producendos suos contritionis actus, & simul advertat, quòd cum peccata meditatur, non in particulari fiat, sed ea consideret quasi maximam molem fœtidam, & horribilem, nihil eorum singulariter meditando, maxi-

me peccata iræ, & luxuriæ; sæpius quippe occurrunt in eis aliquæ circumstantiæ; quæ potius ad vanitatem, libidinem, vel vindictam, quam ad odium, vel contritionem excitant, & hujusmodi animæ teneræ adhuc sunt, & in timore Domini non bene fulcitæ.

7 Si anima ita insipida, vel defessa, aut arida inveniatur, quòd actus contritionis elicere non possit, & facta prædicta diligentia, adhuc in sua ariditate, & indevotione persistat, poterit aliarum virtutum actus exercere, & quantocius possit, ad suum contritionis actum debet redire: Et si forte ad aliud exercitium virtutum, aut considerationem interius moveatur, vel ad eam affectus inclinetur, debebit sequi devotionem, & affectum, dummodo levitas non sit, & eo prætermisso redeat ad suum actum contritionis, quasi ad proprium exercitium sui status. Ad quod valde necessarium est, quòd tam per lectionem, quàm per meditationem bene perpensas, & intime consideratas habeat bonitatem divinam offensam, & offensæ gravitatem, ut facilius possit ex omni meditatione actum contritionis extrahere, & in operibus peccata vitare, & odire; quandoquidem hic status incipientium reducitur ad purgandum peccatum, & ad sanctum timorem, quasi fundamentum totius perfectionis comparandum.

8 Si anima ex consideratione pœnarum Inferni nimis angatur (multæ enim valde pusillamines sunt) vel ex consideratione peccatorum afflictionem incurrat, curet Director quòd in aliis meditationibus se exerceat, quousque extrema illa vitiosa sciat vitare, & debitum medium eligere, & tenere; quod fieri debet contrariis considerationibus, & monitis. Cumque ad debitum medium reducatur, tunc primis meditationibus ad extorquendam contritionem uti debebit. Denique Magister cum prædictis parvulis in Christo se habeat quasi spiritualis nutrix, utpote temperando cibum juxta illorum insipidum palatum; interdum lac, & interdum escam eis ministrando.

9 Maximopere curet quòd anima occasiones peccatorum adhuc remotas fugiat, & similiter conversationem, & familiaritatem hominum perversorum, aut parum de æterna sua salute curantium, & quod (habita ratione status) solitudinem, & recollectionem procuret, in omnibus suis operibus virtutes exercendo, vitia viriliter debellando præcipue illa à quibus majus damnum recipit, accipiendo videlicet unum, & illo superato, aliud debellandum, & eradicandum assumat, proinde quotidie de illo faciat particulare examen, considerando an in illo deficiat, atque in virtute contraria proficiat, actus virtutis, & virtutis contrariæ numerando, de quibus Directori suo strictam rationem reddat, & cum negligenter se habuerit, aliquam dolorosam pœnitentiam sumat, & in posterum se emendare firmiter proponat; sed non propterea debet aliarum virtutum exercitium omittere, sed in omni operatione sua debet pro viribus declinare à malo, & facere bonum.

10 Caveat Director quòd anima iners, vel deses fiat, sed quòd juxta vires suas (minus aliquid) pœnitentiam agat, & pœnales mortificationes sumat, quæ in hoc statu possunt esse majores, & asperiores; tum ex necessitate satisfaciendi pro culpis, & subjugandi passiones, quæ hic sunt nimis rebelles, tum quia anima est recenter conversa, & non macerationibus attrita, proinde majores habet vires; tum denique quia ut ejus deordinatæ passiones in medio debito perseverent, indiget ad partem magni rigoris non declinare.

11 Curet igitur eam in omnibus, & per omnia mortificare, maxime in propria voluntate, & judicio; verumtamen prudenter, & humaniter, attendendo semper ejus teneritati, & viribus, ne forte mortificatione, & rigore perterrita à via spirituali recedat: Aliquando propterea debent in licitis, & indifferentibus cum ejus convenire voluntate, sed caute prius ei negando quod postulat, & tandem sagaciter concedendo: Debet etiam interdum aliquas ei honestas recreationes permittere, factus nimirum omnibus omnia, proinde debet cùm Apostolo: (*Ad Rom.* 12. 15.) *Flere cum flentibus*; *gaudere cum gaudentibus*: *Omnibus omnia factus*, *ut omnes salvos faciat*. (1. *ad Corint.* 9. 22.) Doceat animas esse obedientes, simplices, claras & apertas, quia hoc valde necessarium est.

Inci-

12 Incipientibus non injungat diuturnum orationis tempus; sunt enim nonnulli qui neque per quadrantem horæ possunt in ea persistere; sed paulatim eos ad orationem alliciat, & illos qui nec quadrantem possunt sustinere, hortetur, quòd ad pedes Crucifixi accedant, ibique eum vulneratum,& pro illis spirantem intueantur, & quantum possint illic permanere studeant, & de eadem hortari debet eos qui propter suam rusticitatem, aut mentis hebetudinem non possunt, vel nesciunt meditari.

13 Alios reperiet, qui non possunt flexis genibus orare, quod quidem parum interest; proinde tunc illis injungat, quòd sedentes, vel stantes, vel humi jacentes meditentur; breviter enim à divino spiritu tacti geniculabuntur. Alii nolunt se privare elegantibus indumentis, aut aliqua passione, vel diversione, quæ si peccaminosa non sit, non ideo dimittendi sunt, sed eos quomodolibet veniant intrare permittat, quia brevi tempore à Spiritu Sancto moniti, omnia vana, & superflua resecabunt; magna quidem ei prudentia, & dexteritas necessaria est in hoc statu in quo animæ sunt teneræ, & vanitatibus, atque delectationibus sensus assuefactæ, eisque via perfectionis, quasi chorus castrorum objicitur; quamobrem nulli earum permittat ultra duas horas orationis; unam mane, alteram vespere; sufficiunt namque pro hoc statu, ne illis gravosa sit oratio, & tædio affectæ ab arrepta via divertant.

14 Nunc primum adstat Dœmonis astutia, quia tentationibus, & persecutionibus impedire tentat viæ spiritualis ingressum; eosque jam ingressos molestat, ut iterum egrediantur; propterea Director quasi Pastor bonus, debet gregem istum parvulorum solicite circuire, ne Lupus infernalis aliquam ex ejus ovibus extrahat, vel devoret; unde omnibus eventibus illico occurrere necessarium est, & pro omnibus remedia prompta habere; quamobrem revolvere debet libros mysticos, & spirituales, ubi de modo exercendi virtutes, superandi tentationes, & evadendi Dœmonis astutias instruetur: Oportet enim nihil horum ignorare, ut possit statim morbis ovium suarum occurrere.

15 Prudenter, & humaniter curret hujusmodi incipientes ducere ad humilitatem, mortificationem, patientiam, resignationem, & paupertatem spiritus, auferendo ab eis omnem passionem, & motum bono spiritui contrarium; & quantum in ipso sit, procuret formare animas robustas, & capaces cujuscumque divinæ communicationis, quia regulariter consistit in Directore, quòd anima apta sit ad magna, vel ad parva; Ductor enim spiritualis est quasi quædam obstetrix, & sicut hæc in naturali Infantium ortu eorum membra componit, ut robusta sint, & bone disposita; ita Doctor spiritualis debet membra spiritus componere; hoc est potentias animæ ita ordinare, & dilatare, quòd robustæ sint, & cujuslibet communicationis capaces, ut in illis imago Christi formari valeat, ad exemplum Pauli, dicentis: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* (*Ad Galat* 4 19.) Cui meritò facit illud Ambrosii: *Primus discendi ardor, nobilitas est Magistri.*

16 Circa hujus status durationem variæ sunt Doctorum opiniones: Quidam sunt qui dicunt sufficere spatium duorum mensium, maxime si anima sit fervida, & robusta: Alii ad unius anni tempus protendunt: Alii melius affirmant, debere animam in hoc statu perseverare, quousque habeat passiones mediocriter ordinatas, & omnia peccata mortalia facile vitet. Certissimum autem est quòd personæ religiosæ, & præcipue à frequenti hominum consortio abstractæ, citius quàm sæculares ad viam illuminativam transire possunt, quandoquidem in illis facilius radicatur sanctus timor, & firmum propositum non peccandi.

17 Nos verò judicamus, quòd certum signum vocationis animæ ad viam illuminativam est, habere timorem sanctum ita inbibitum, & inviſceratum, quòd anima omnia peccaminosa, & nociva faciliter propulset, & omnia mala, tam spiritualia, quàm temporalia perpeti determinata sit priusquam Deum saltem graviter offendat; Tunc eam Director toto poterit ab exercitio novissimorum amovere, & ad meditationes viæ illuminativæ transferre, licèt propterea non damnemus Di-

rectores, quia animabus vitæ illuminativæ præcipiuntur, quòd matutino tempore meditentur vitam, & passionem Domini, & vespertino quatuor novissima: Verumtamen dicimus, quòd in via purgativa consistentes vespere, & mane debent meditationi novissimorum insistere; sicut hi qui in via illuminativa consistunt, meditationi vitæ, & passionis Domini; licèt interdum juxta casus exigentiam possint materiam meditationis mutare; tametsi unusquisque statim revertatur ad meditationem suo statui propriam, & accommodatam; oportet enim negotium hoc perseveranter sumere, usque ad perfectionem cujuslibet status, nec quasi parvuli fluctuare, & omni vento meditationis circumferri.

18 Caveat igitur Director extrahere animam de uno statu ad alium; hoc est, de una ad aliam viam, statumque ulteriorem transire absque Dei vocatione: Si enim Deus animam non disponat, & vocet, temeritatis, & improfectus damno exponitur, & à Domino audire merebitur: *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* (*Matth.* 22. 12) Sed illa in quantum in se est, in infimo loco recumbat, quousque dicatur illi; *Amice, ascende superius*: Tunc cum Dei gloria, & proprio profectu poterit in altiorem locum ascendere, quia scriptum est; *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.*

19 Signum denique hujus divinæ vocationis ad ulteriorem statum esse solet, quòd anima jam non sentiat devotionem, & fervorem in meditationibus illius status, in quo consistit, & interius moveatur perseveranter ad meditationes ulterioris status, in quibus spiritus fervescit, & recolitur: Quamobrem dum in meditationibus novissimorum nullam devotionem, & fervorem accipit, & moveri interius sentit, ad meditationes vitæ, & passiones Christi, in quibus cum devotione, & fervore versatur spiritus (concurrentibus cæteris requisitis) evidenter cognoscitur, animam esse vocatam ad viam illuminativam; sed hujusmodi motio debet esse continua, & certa, & non ex levitate procedens.

Via illuminativa status proficientium, ejusque exercitia, & directio practica.

20 AD viam Illuminativam pertinet status proficientium; hæc via vocatur Illuminativa, quia nimirum postquam anima in via purgativa à sordibus peccatorum purgata est in hac via illuminari, & ornari virtutibus procurat, & quia sic illuminari virtutibus proficere est in via spirituali, secundum illud Psalmi: *Ibunt de virtute in virtutem:* (*Psal* 83. 8.) Proinde status proficientium huic viæ Illuminativæ merito accommodatur.

21 Hæc animæ illuminatio, aut profectus per exercitium virtutum, probari potest exemplo Artificis, qui vult formosam imaginem ex ligno conficere, qui ab eo prius per ferreum scalprum aufert superflua; sicque auferendo, apparere incipit imago, quæ virtualiter, & potentialiter erat in ligno, quam postea coloribus illuminat, tandemque per altiorem illuminationem perficit; Ita etiam in anima contingit, quæ ad imaginem Dei facta, & formata, per ligni paradysi prævaricationem abrasa est illa pretiosa imago, quam nunc per exercitium perfectionis iterum intendit proportionaliter restaurare; quamobrem quasi Artifex qui de novo incipit lignum cælare, debet in principio spiritualis viæ per ferreum scalprum contritionis peccata, & deordinatas passiones, & superfluitates appetitus auferre; quibus ablatis incipit apparere imago illa, quam in rudi prævaricationis trunco occultabatur; & consequenter sequitur, quod in hac via Illuminativa eam virtutum coloribus illuminare debet, ut de hac activa claritate, ad aliam passivam, & altiorem conscendens, hæc Dei pretiosissima imago aliquo saltem modo instauretur.

22 Cum autem virtutes, & earum exercitium in nullo magis ad exemplum clarescant, quàm in Vita, & Passione Domini nostri Jesu Christi, qui via est per quam venire nos oportet ad Patrem; proinde exercitium peculiare hujus status est, meditari, recolere, & attente considerare ejus Vitam, & Passionem

San-

Sanctissimam; ad quam instruenda est anima, ut ex hac arbore vitæ possit uberrimum fructum reportare, ut consulunt Basilius *Lib. de Spirit. S. cap.* 8. Bernardus *Ser.* 22. *in Cant.* & Bonaventura *In lib. de part. bon. part.* 3.

23 Ut igitur recte meditari valeat, & debitum, atque optatum fructum percipere, debet ante omnia habere bene perpensa, & considerata illa capita libri P. Molina *De oration. tract.* 3. *à cap.* 3 *& deinceps* in quibus de Persona Christi luculenter, & diffuse pertractat; ibi enim mire explicatur in quo consistat hoc Sacratissimum suppositum, ex divina, & humana natura hypostatice unitis, absque earum confusione compactum; quod quidem anima debet habere satis perpensum, & consideratum, ut bene instructa de persona agente, & patiente, possit facilius, & melius affectum excitare.

24 Debet etiam habere bene perpensas, atque in se invisceratas cæteras omnes circunstantias, quibus meditatio Vitæ, & Passionis Christi circumvestiri oportet, quas similiter in eodem Auctore luculenter pertractatas reperiet; quæ quidem omnia præliminarie habenda sunt, & non ad tempus orationis differenda, ad exemplum periti, & providi structoris, qui omnia necessaria præparat, priusquam domum ædificare incipiat: sic similiter anima debet prius bene considerata habere, tam personam agentis, quàm circunstantias operis, ut cum aliquod mysterium meditari incipiat, illico in aliquem affectum voluntas moveatur.

25 Sic præparata anima, & disposita, signoque Sanctissimæ Crucis, munita, atque Hymno Spiritus Sancti dicto, cum cæteris quæ ad dignam præparationem sunt necessaria, legat cunctanter, & attente punctum; aut historiam illius quod Dominus egit, vel passus fuit, atque id paululum considerans, & breviter epilogans, statim quærat intra se, quis sit qui talia, & tanta perpessus est? Et cognita persona, juxta id quod præmeditatum habet, componat, sive comparet cum ejus magnitudine, & excellentia, illa indigna, & vilissima ludibria quæ pertulit; vel illa humilia, & dejectissima opera ad quæ se humiliavit, & paululum in hac compositione demorando, illico in admirationem rapietur, vel ad compassionem dolorum, aut ejus imitationem excitabitur, & cognita inclinatione voluntatis, ibi conquiescat, quin ullum discursum, vel considerationem immisceat, donec sentiat voluntatem amittere illum calorem, aut affectum quem habeat, & tunc circa eandem materiam poterit aliam circunstantiam considerare, ut voluntas ad similem, aut alium affectum moveatur; qua excitata, debet iterum ibi requiescere, & demolari.

26 Si hunc profecto modum observet, non indigebit longis discursibus, à quibus abstinere debet anima, ut communiter docent omnes spirituales Magistri, sed eos formare breves, & efficaces; quandoquidem non in discursu, sed in ejus quieta consideratione, & voluntatis motione totus orationis fructus consistit: V. g. incipit anima credendo, quòd Verbum incarnatum passum fuit talem dolorem, vel tale opus operatum est, & paululum ponderando personam agentem, vel patientem, simulque vilitatem creaturæ propter quam tale egit, vel sustinuit, eliciat hanc, vel similem ponderationem: *Possibile est, quod Deus magnus incomprehensibilis, & immensus, propter me vilissimam, & ingratissimam creaturam, talia, & tanta ludibria perpessus sit vel tale humilitatis opus fecerit! Si igitur sua Divina Majestas talia, & tanta pro me sustinuit; quanto magis ego debeo pro illo multa pati, & sustinere!* Et conquiescat in illo pondere rationis, scilicet in eo quòd ipsa debet multa pati, & sustinere pro illo; qui cum Deus esset, semetipsum exinanivit, ut pro vilissimo servo moreretur, & hac ratione paululum in silentio perpensa excitet animam, & applicet voluntatem ad desiderium amandi, vel imitandi, vel gratificandi, vel laudandi illam in comprehensibilem bonitatem, vel ad desiderium se mortificandi, humiliandi, despiciendi, vel labores, & ærumnas pro eo tolerandi, &c. & cum cognoscat quòd voluntas ad unum ex his affectibus inclinatur, in illo conquiescat, & persistat, quin alium immisceat.

27 Cum autem viderit voluntatem circa illum affectum frigescere, vel arescere;

vel

vel arescere; vel per tentationem, distractionem, aut tepiditatem dejici, & debilitari; iterum se excitare conetur, repræsentando videlicet voluntati eandem rationem, qua antea fuerat excitata; neque ad aliam transeat, si hæc sufficiat. Secus autem si per illam repetitam rationem non moveatur, tunc enim poterit, & debebit per alium brevem discursum, & rationem efficacem eam movere: Si verò nulla sufficiat, ibi consistat ad pedes Humanitatis Sacrosanctæ, pro ea sustinens illam ariditatem voluntatis; interdum tamen aliquibus jaculatoriis se excitando, habens pro certo, quod ibi resignata, & humilis multum fructum afferet in patientia.

28 Ad hunc modum brevem meditandi, & orandi movemur aliquibus rationibus: Prima est, quia ita nos Christus docuit orare, cum dixit per Matthæum: *Orantes nolite multum loqui* (*Matth* 6. 17.) Quod idem est ac dicere: Cum oratis nolite longis uti discursibus, sed potius in desiderio, & affectu conquiescite, & cum nobis injunxit semper orare, & nunquam deficere, nullam nobis longiorem materiam præstitit, nisi solam orationem dominicam, quod quidem ipse per exemplum docuit in sacro Gethsemani loco, ubi per tres prolixas horas, modo à nobis prælibato, in oratione perseveravit, quandoquidem totam ejus orationem ad unicum discursum, & ad pauca verba reduxit: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, sed non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Matt.* 26. 39.) Et cum semel, & iterum orationem interrumperet, ait Matthæus: *Iterum abiit, & oravit tertio eundem sermonem dicens.*

29 Hic igitur nos docuit, quòd non solum meditatio, & discursus debet esse brevis, & efficax, sed quòd veniente tentatione, aut distractione (quæ per interruptionem dominicæ orationis significatur) repetendus est iterum atque iterum idem discursus, vel ratio, quæ prius nos movit, siquidem Dominus quem movit (quod erat voluntas Patris) ut calicem biberet, eandem rationem, quæ prius illum moverat, iterum suæ parti inferiori proposuit: Cum autem hic specialiter Christus præbuit nobis exemplum orandi sequitur quod hic modus sit præ omnibus potior, & excellentior.

30 Hoc similiter suadet ratio; quia cum vires animæ sint limitatæ, quanto magis datur speculationi, tanto minus tribuitur affectui, & eo pluris arescit voluntas, quo magis per intellectum animæ virtus effunditur: Et cum fructus orationis consistat in exercitio voluntatis, huic, & non alteri concedenda est præcipua exercitatio: Discursus ergo in tantum est necessarius, in quantum non excitatur affectus; imo verò illo excitato, omnino cessare debet meditatio, & discursus: „ Meditationibus (inquit Insula Bracharensis *Fr. Barthol. de Martyr. in comp. spirit. doct. cap.* 20.) non aliter quàm lignis utendum est ad amoris ignem eliciendum, nutriendum, & augendum; quæ tamen si illum præfocant, rejiciendæ sunt; ideo ea meditationum portio assumenda est, quæ ad excitandos affectus satis esse videatur; qui si cessent, aut cor tepescat, ad considerationum suasionem confugiendum est: Si forte contingat cor in amore accensum affectionis delectatione detineri, non inde amovendum est, aut deturbandum, ut ad meditationes se convertat. Hæc Bracharensis, & est communis Doctorum instructio.

31 Docet etiam experientia, hunc esse potissimum modum orandi; nam animæ quæ illo utuntur, breviter ad contemplationem accedunt, quo enim mens magis vacuatur speciebus, & formis materialibus meditationis, tanto aptior, & capacior fit ad divinam illuminationem, & quanto anima assuescit in pondere inventæ veritatis conquiescere, tanto amplius ad simplicem divinitatis intuitum disponitur ut expresse docent Laurentius Justinianus *De cast. connub. c.* 22. & Richardus de Sancto Victore *De extermin. part.* 1. *cap.* 15. & damna immoderatæ meditationis afferunt Joannes Gerson *To.* 3. *de meditat. consid.* 6. *& seqq.* Jacobus Alvarez *De vit. spirit. to.* 2. *lib* 3 *par* 5. *sect* 1. *cap.* 3. & Paulus Segneri, Societatis Jesu *In concor. orat. p.* 1. *c.* 1. *§.* 1. *&* 2

32 Denique hic orandi modus est facilis, & magnæ consolationis qui nesciunt, aut non possunt subtiles discursus elicere; nullus

nullus enim quantumvis rudis sit, ineptus erit hujusmodi brevibus meditationibus; quamobrem est potior modus orandi, siquidem omnibus, tam aptis, quam ineptis oratio præcipitur; inde ille erit melior modus orandi, qui pro omnibus sufficiat; alioquin soli literati, & discursivi essent ad orationem apti; quod utique erroneum est.

33 Affectus qui ex meditatione eliciuntur, non debent permanere in solo motivo virtutis ad quam pertinent, sed ad altioris motivum virtutis erigendi sunt, utpote ad motivum charitatis, à qua debent imperari: Itaque licèt anima eliciat desiderium se mortificandi, non debet remanere in solo mortificationis motivo, quod est coertio appetitus; sed debent habere pro motivo satisfactionem divinæ bonitatis offensæ, vel placere Deo ob ejus bonitatem increatam, & idem dicendum est de cæteris actibus virtutum, tam internis, quàm externis, ut hortatur Apostolus, dicens: *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* (*1. ad Corinth.* 10. 31.)

34 Hoc quidem licèt omnibus utilissimum sit, his tamen qui ad contemplationem vocantur, est summe necessarium; non solum quia longe sublimius est motivum charitatis, quàm quia mentem abstrahit, & elevat ad simplicem, & amatorium Dei intuitum, in quo substantialiter consistit contemplatio: Insuper extinguit per illud anima omnes quotidianos defectus, perinde purior redditur, & ad divinam communicationem aptior.

35 Tentationes in hoc statu solent esse valde vehementes, unde indiget anima per Directorem roborari, & solicite coadjuvari: Ad quarum præcautionem, simul & resistentiam necessaria est sedula mortificatio, & exercitium pœnitentiæ; quamobrem Director curet, quòd eas in omnibus exerceat, quandoquidem ejus principale negotium est vitia extirpare, & virtutes comparare, quod per omnimodam mortificationem, & pœnitentias agendum est: Sed licèt eam exterius mortificet, curet magis illam interius mortificare; ibi enim est radix vitiorum, & prudens Medicus primum tollit causam morbificam, & postea faciliter impacti humores curantur, & in hoc statu anima non solum habet habitus vitiosos valde intensos ex pravo rerum terrenarum usu, verumetiam ex inordinata rerum spiritualium prosecutione; proinde solicite, & assidue exercenda est omnimoda coertio, & mortificatio.

36 Solent in hoc statu evenire visiones imaginariæ, & materialia deliquia, in quibus se habere debet Director juxta regulas superius adductas *Tract. 5. cap. 3. per totum, & cap 18. & 19. per tot.* & pro certo habeat, quòd illi tribuenda erit culpa, si anima per viam periculosam incedat, quandoquidem ejus peritia, & dexteritas in regendo potest faciliter eam ab hujusmodi periculosa via liberare, utpote auferendo animam ab his extraordinariis rebus, & ad puram, & spiritualem Dei cognitionem adducendo; quod quidem in earum exordio facillimum est, si sequatur ea quæ superius dicta sunt; scilicet, quod ex hujusmodi rebus assumpto solummodo dono excitationis, visionem penitus renuntiet, & ad purum spiritum recurrat; quia tunc Deus, qui semper se accomodat capacitati animæ, videns eam capacem spiritualis communicationis, non jam cum illa in sensu, sed in spiritu loquitur; quamobrem omnino cessabunt communicationes materiales, ut supra probatum est; quidquid dicant inexperti, qui putant, non posse animam ab hujusmodi rebus liberari.

37 Si autem Director negligenter se habeat circa harum rerum renuntiationem, easque permittat usque ad satietatem uti, vel corticem earum conservare, postea difficillimum erit, animam à prædictis sensibilibus liberare, utpote quia incrassatur spiritus, & quasi quadam pinguedine, aut hebetudine ita torpescit, quòd jam non potest ab illis separari, & plerumque continget, non solum spiritum amittere, verumetiam corpus destruere, quia nimirum dum anima plusquam oportet eis traditur, ex ordinariis deliquiis, quæ ab eis procedunt, hebetatur sensus; ex quarum assidua fruitione, potest mens infatuari, & allucinari, & in maniam, & amentiam venire, ut pluties vidimus.

38 Si aliqua ex his animabus in mortale peccatum lapsa fuerit (ut est possibile) si fer-

si fervida fuerit, magno dolore tangetur, atque per multum temporis confusa permanebit. Si autem fuerit tepida, quamvis de culpa doleat ad remissionem, parum tamen dolebit ad confusionem, & humilitatem; propterea si ex primis fuerit, & non sit melancholica, aut desperatione affecta, debet per duos, vel tres dies in prædicta Dei offensa meditari: Si autem melancholica sit, aut pusillanimis, post contritam, & humilem confessionem, commissæ culpæ non recordetur; quinimo & Dei bonitatem, & misericordiam meditetur, quibus spem veniæ augeat, & melius in charitate persistat. Si anima fuerit ex secundis, id est ex tepidis, præcipiat ei Director, quòd per dies multos culpam suam revolvat, eamque assidue consideret, ut per suæ culpæ confusionem, possit deinceps cautiùs vivere, & sanctum Dei timorem procurare.

39 Frequentia Sacramentorum debet hoc tempore ab anima procurari; & licèt viri docti, & pii affirment, quòd animæ à mortali peccato liberæ quotidie possunt digne, & fructuose accedere, quam frequentiam cum Augustino *De Eccles. dogmat.* nec laudamus, nec vituperamus; nobis autem videtur, quòd pro hujuscemodi proficientibus sufficere potest, quod bis in hebdomada ad Sacrosanctam Eucharistiam accedant: vel prout expedire judicaverit Director, juxta sententiam D. Thomæ *In 1. ad Corinth cap. 11. lect.* sic effantis: „ Considerare quilibet in se ipso debet, „ quem effectum in se habeat frequens su„ sceptio hujus Sacramenti; nam si ali„ quis sentiat se proficere in fervore dile„ ctionis ad Christum, & in fortitudine „ resistendi peccatis, quæ plurimum con„ sequuntur homines, debet frequenter „ sumere: Si verò ex frequenti sumptio„ ne sentiat aliquis in se minus reveren„ tiam hujus Sacramenti, monendus est „ ut rarius sumat. Hanc doctrinam sequatur in praxi, neque animas fervidas, & proficientes privet hujus divini cibi fortitudine, licèt aliquando in gravia inciderint peccata, si debite de illis pœnituerint, & humilientur, siquidem eas privare, est auferre unicum remedium ad præcavenda peccata, præsertim cum à Domino dictum sit per Matthæum: *Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus; non enim veni vocare justos, sed peccatores.* (*Matth* 9. 12)

40 Tempus orationis in hoc statu ad duas ad minus horas protrahatur, si tamen commode fieri potest, quatenus negotium evellendi vitia, & plantandi virtutes satis arduum est, & indiget per orationis calorem confoveri, sed quantuncunque anima fervida sit, non ei ultra tres horas orationis permittat, quatenus in hoc statu non est adeo robusta, quòd ei prolixa oratio tædium, & fastidium afferre non possit; quamobrem generaliter pro omnibus sufficit duarum horarum spatium.

41 Suppleat anima orationem per assiduam Dei præsentiam modo intellectuali, & non imaginario, aut circumscripto formatam, quia sic ligaretur, & coarctaretur spiritus, sed libere cogitans Deum ubique adesse per essentiam, præsentiam, & potentiam; ante cujus Majestatis oculos reverenter, & humiliter ambulare procuret; ad cujus assiduam memoriam per aliqua signa, vel loca determinata procuret excitari, & frequenter orationes jaculatorias emittere. Potest itaque Deum considerare sicut anima se ipsam considerat, quam nec loco, nec figuræ subjectam intuetur; vel sicut ille qui in tenebris cum amico suo, quem multum diligit conversatur, qui dum cum illo loquitur, non attendit, an sedeat, stet, aut habeat hanc, vel illam figuram; sed credit, ibi esse præsentem, & cum illo libere colloquitur: Ita similiter debet anima Deum considerare præsentem, absque aliqua ubicatione, aut figura; sed libere, & reverenter quasi ubique præsentem credere, amare, & colere.

42 Et si Sanctissimæ Humanitatis præsentiam (ut æquum est) ferre voluerit, debet hoc Sacrosanctum suppositum considerare ex divina, & humana natura compositum; quamobrem dum eam intuetur, debet in illa latentem divinitatem inspicere, & cum illa in suis operibus consociari, abstrahendo scilicet spiritum in ipsa humanitate in Divinitatem, exempli gratia; Dum anima aliquid operari intendit, ut suum sacratissimum consocium oculos mentis configens, intimo affectu proferat:

ferat: *O amor infinite, propter te hoc facio!* vel: *O Domine incomprehensibilis propter tuum amorem hæc sustineo!* vel: *O Bonitas vulnerata, aut Magnitudo humiliata, ut tibi placeam, tibi serviam, ut te colam hoc opus aggredior!* vel: *O Magnitudo exinanita, ut te imiter hanc contumeliam*, vel *hoc opus humile sustineo!* His namque, & similibus aspirationibus in ipsa Sanctissima Humanitate elevatur spiritus ad Divinitatem, & ad contemplationem disponitur: Hoc modo Divinitatem sumit, & Humanitatem non dimittit.

43 Durationem hujus viæ, & status, non possumus certo præscribere: verumtamen dicimus, quòd nullatenus Director animam ab eo extrahere tentet, donec à Domino ad aliam ulteriorem viam vocetur; cujus vocatio per signa superius adducta dignoscenda est; quæ ex auctoritate B. Joannis à Cruce sunt:, „ Cum omnino „ cessant actus discursivi, & propria animæ meditatio, una cum primævis fervoribus, & sensibilibus delectationibus, „ ita ut non possit quemadmodum antea „ meditari, nec aliquod fulcimentum per „ sensum reperire, sed omnino remanet „ arida, quia jam merces ejus non in sensu, „ sed in pura spiritu constituta est. (*B. Joannes à Cruc. in lib. flam. amor. viv. Cant* 3. §. 5.)

44 Hæc sunt certa signa, ut anima tuto possit transire ad viam Unitivam; quæ ut evidenter possit cognoscere Director, recurrere debet ad ea quæ diximus *Sup. tract. 6. cap. 2. à num. 22. & deinceps* quatenus regulariter per hæc signa incipere solet passiva purgatio sensus, quæ etiam in hoc statu inchoatur: Sed valde notandum est, quòd dum hæc signa contingunt absque laboribus, tentationibus, & obscuritatibus, indicant, quòd anima vocatur ad ulteriorem viam, sed ejus purgatio exigua erit, & ad secundam spiritus purgationem non perveniet; quia ut bene notat B. Joannes à Cruce *Lib. 1. noct. obscur. cap.* 14. „ Juxta gradum unitivum „ amoris, ad quem Deus animam provehere „ intendit, magis, vel minus intense „ se illam humiliat. Quamobrem anima quæ ita mitius purgatur, exiguæ perfectionis gradum attinget.

45 Si comitetur hæc signa aspera, & rigida purgatio, recurrat Director ad ea quæ superius *Tract. 6. cap. 3. 4. & 5.* diximus: Si autem hæc signa simpliciter, & sola eveniant, poterit nihilominus anima pertransire ad viam Unitivam, dummodo hæc signa non ex negligentia, culpa, aut ægritudine proveniant, & hoc sive vir sit, sive fœmina, sive sæcularis, sive Regularis; sequi enim debet Dei vocationem, quia spiritum suum singulis communicat prout vult: Verumtamen licèt in prædictis unà cum signis non adveniat purgatio, semel tantum ingressi viam Unitivam, sive magna sit, sive exigua, tamen veniens veniet, & non tradabit.

46 Hortamur denique, quodsi prædicta signa concurrant, non vereatur Director animam ducere ad unitivam quietem spiritus, quandoquidem ei multum oportebit ad suæ conscientiæ securitatem; nimis quippe errare poterit in suæ & alterius animæ detrimentum, si vel ante tempus animam ad unitiva exercitia evexerit, vel semel à Deo vocatam evehere prohibuerit. Legat obsecro B. Joannem à Cruce *in libro flammæ amoris viv.*, *cantico* 3. *vers.* 3. §. 4. *usque ad* 15 & nullo in tempore, neque in quovis altissimo statu permittat quòd rigores, pœnitentias, flagellationes, jejunia, & his similia, anima prætermittat, juxta ea quæ diximus *Supr. tract. 1. cap. 6. à num.* 49. *usque ad* 55. Dedecet enim homini spirituali corpori suo indulgere, quinimo & illud semper respective ad vires ejus, & statum animæ semper rigoribus, & pœnitentiis debet macerare; nam licèt elevationem sui spiritus non impediat, debet tamen quasi servum rebellem, onustum, afflictum, & macerationibus Cruci affixum illud tenere; generaliter quippè Dominus homini consulit, tollere Crucem suam quòtidie, & eum sequi.

Via unitiva, flatus perfectorum, ejusque exercitia, & directio practica.

47 IN via Unitiva duplicem statum constituimus, nempe perfectorum, & unitorum, seu passivam contemplationem colentium; verumtamen hujusmodi statum non distinguimus ab statu perfectorum, intelligentes quod omnes perfecti non sint quodammodo Deo uniti (sunt etenim, ut diximus *Supra in prologo hujus manuduct.*) quandoquidem unio consistit in exercitio fidei, & charitatis; quod quidem proprium est omnium perfectorum; sed quia hæc unio est activa, & se habet quasi medium ad passivam, in qua mediantibus desponsatione, & matrimonio spirituali unio perfecta, & iusufa consistit; proinde illos tantum vocamus unitos, qui per unionem passivam Deo copulantur; alios verò qui per unionem activam Deo uniuntur, solummodo perfectos vocamus.

48 Igitur status perfectorum nihil aliud est, nisi status eorum qui in omnibus, & per omnia exercentur in charitate, juxta illud Pauli: *Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* (*Ad Colossens.* 3. 14.) Qui quidem status proprie vocatur contemplationis activæ, & incipit à tempore quo finem habuit status proficientium, & perseverat respective usque ad purgationem passivam spiritus, quæ est immediata dispositio ad unionem passivam, & infusam.

49 In hoc statu ducenda est anima ad interiora deserti, & ad solitudinem materialium formarum, ut vocem Dei loquentis convenienter audire valeat, secundum illud Oseæ: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus* (*Oseæ* 2. 14) Curet igitur Director animam non impedire prolixis discursibus, sed doceat eam sequi divinam vocationem, quæ intus in sui fundo, in sibilo tenuis auræ susurrat, & ubi Deus eam quasi alterum Moysem vocat de medio caliginis. (*Exod.* 24. 17)

50 Sciat quòd in hac contemplationis nebula mystice traditur animæ clavis scientiæ spiritus, ut ipse ad recipiendam divinam sapientiam reseretur, & amplietur: Quodsi eam introire prohibeat, incurret utique Domini sententiam adversus legisperitos per Lucam prolatam: *Væ vobis legisperitis* (dixit Cristus) *quia tulistis clavem scientiæ; ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis.* (*Lucæ* 11. 52.) Quandoquidem damnabile est, quia ipsi in hanc Domini requiem non introierunt, alios prohibere intrare, ut in hac materia litteraliter contingit.

51 Et cum certum sit, quòd Deus dispositioni animæ se accomodet, atque, ut ait Theologus, se habet ad modum recipientis, si anima ad obsequendam divinam vocationem non disponitur, sed eam fugit, vel eam Director consequi prohibuerit, profecto incapax fiet ad recipiendam illam divinam scientiam, quam in interiori sui fundo discere poterat; Propterea si per prætérita signa, & servaris omnibus circunstantiis cognoverit à Domino vocari ad caliginem, jubeat illam tenebram introire, ubi teste Joanne; lucet *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* (*Joan.* 1. 9.) Lumen quippe divinum in fundo animæ communicatur ut tenebra; atque in illa materialium, & sensibilium rerum ignoratione lux divinæ incomprehensibilitatis involvitur; quod optime perpendens David concinebat: *Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus* (*Psalm* 138. 12.)

52 Ne timeat quòd anima remaneat vacua, aut otiosa, quia nimirum supposita divina vocatione, & comparato habitu sistendi in illa caliginosa requie, nullum valet otiositatis periculum incurrere; quamobrem cunctanter pensitet, & mature perpendat Director si hujusmodi anima vere vocata sit, & si ad hanc transmigrationem signa habeat manifesta, & si de his omnibus fiat securus, nihil formidet, quia nullo modo vacua, & otiosa remanebit, & pro certo habeat, tantum ei damni esse allaturum, si vocatam introire prohibeat, quantum periculi incursurum, si non vocatæ introire præcipiat.

53 Si igitur anima se sentiat vocari ad illam simplicem, & amatoriam Dei notitiam, ibi persistat, & cum silentio præstoletur salutare Dei, illum affectum intra se

tra se

tra se conservando, ut docet S. Franciscus Salesius *In pract. amor. divin lib. 6. cap. 8. in fine* „ Si forte (ait) Theotime mi, „ te inveneris juxta Dominum in recollectione spiritus, cum simplici, & pura „ filiali confidentia, nullatenus te vertas „ ad eliciendos sensibiles actus, neque „ intellectus, neque voluntatis; quia iste „ amor simplicis confidentiæ, & ista amatoria soporatio in ulnis Salvatoris, eminenter comprehendit quidquid per tuum „ conatum, & gustum quæris; melius enim „ est in hoc sacro pectore dormire, quàm „ in quolibet alio loco vigilare. Debet enim anima (dum mota sit) nec meditationem aliquam, vel discursum, nec conatum aspirationis interponere, ut ait Suarez *De Relig tom 2. lib. 2. cap. 12. n. 19.* sed in illa simplici, & amatoria Dei præsentia, veluti alter David ad modum auscultantis perseverare: *Audiam* (ajebat) *quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psalm.* 84. 9.) Qui licèt tunc verbis formalibus non loquatur (ut sæpius solet) inspirationibus tamen, & spiritualibus fomentis loquetur, & communiter in pace, & tranquillitate spiritus, ut ipse Regius Psaltes affirmat, subdens, *Quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad cor.* Per hanc pacem quam anima ad suum cor conversa percipit, ei Deus mystice communicat scientiam divinam, & vitæ æternæ verba loquitur; quæ licèt distinctè non audiat, sentit tamen divinæ communicationis effectus, utpote desideria mortificationis, & abstractionis, fortitudinem ad removenda impedimenta virtutis, terrenarum rerum contemptum, devotionem, & his similia

54 Si autem mota non sit, vel habitum prædictum non habuerit, debet (ut bene notat Suarius *Tom. 2. de Relig. lib. 2 cap 11. n. 6.*) per brevem meditationem, discursum, aut jaculatoriam aspirationem se excitare, vel aliquid legere quod ei ad novam motionem possit materiam ministrare, & potissimus erit ille aureus liber simboli fidei P. Ludovici Granatensis, vel liber P. Eusebii Nieremberg, de Pulchritudine divina, in quibus de perfectionibus divinis late, & luculenter pertractatur.

55 Sed licèt ab omnibus Mysticis ejusmodi attributorum meditationes pro animabus perfectis præscribantur, nos autem qui Sanctissimæ Humanitatis Christi devoti cultores sumus, quandoquidem via est per quam venimus ad Patrem, veritas quæ nos ducit ad supernaturalia, & divina, & vita qua spiritus vivere debet, & respirare, & sicut nullus vivere absque respiratione potest, ita absque assidua hujus Sanctissimi suppositi memoria vivere nequit spiritus: Propterea consuademus, quod dum anima perfecta sumit meditandum aliquod divinum attributum, illud componat cum aliqua Christi Domini nostri operatione, aut passione: Hæc enim Sacrosancta Hypostasis in nullo orationis gradu relinquenda est; quinimo, & judicamus ingratissimum valde esse, Dominum Jesum Christum veluti materialem per humanitatem ab exercitio pure spirituali separare, & prorsus erroneum dicere, quòd possit esse obstaculum, etiam altissimæ contemplationi.

56 Igitur cum hac Sanctissima Humanitate componat anima perfectionem divinam respondentem; v g Consideret divinam illam Majestatem in Christo exinanitam, & humiliatam, & eum qui melior Angelis effectus est, nunc factus est virorum novissimus, & vir dolorum, & ad illam Sacratissimam Humanitatem, ut verè unitam Divinitati oculo fidei, & simplici, atque amatorio intuitu attendat, & in ponderatione ejus magnitudinis compositæ ejus dejectioni, & humilitati pacifice conquiescat, & nullum alium discursum intermisceat, dum illa amatoria ad eum conversio perseveret, quam aliquando per aliquam aspirationem universalem, & brevem poterit confovere, nimirum dicens: *O altissima Majestas sic despecta, humiliata, & exinanita!* vel: *O incomprehensibilis pulchritudo, sic fœdata, obscurata, & abrasa!* vel aliam his similem aspirationem, statimque in illa admiratione applicet voluntatem ad illud attributum divinum, in Sanctissima Humanitate latens, & hoc universaliter, & abstractive, conspiciendo scilicet eam quasi vas crystallinum, in quo inhabitat plenitudo Divinitatis; verumtamen absque ulla vasis imaginaria forma, sed simpliciter per fidem, sine circumscriptione, ibi credendo Divinitatem.

57 Præsentia Dei in hoc statu simplicior,

cior, & spiritualior efficitur, & communiter animæ quæ per veram vocationem ad eum transierunt, sciunt jam Deum libere, & spiritualiter invenire, etiam inter exteriora negotia, & occupationes: Sed nihilominus ob naturæ fragilitatem monendæ sunt, quod aliquibus signis, vel aspirationibus ad divinæ præsentiæ conservationem se excitare procurent.

58 Curet solicite Director animam hujus status exuere ab omni proprietate, & adhæsione, adhuc in rebus licitis, & sanctis; nihil quippe amare debet, neque ipsum Deum, nisi propter ejus bonitatem increatam, & non propter proprium commodum, vel delectationem; plerumque enim Dœmon qui jam eam conspicit à sua immediata jurisdictione exemptam, & res terrenas odio habentem, curat, quòd in bonis, & spiritualibus aliquam proprietatem immisceat, qua iterum ad suam jurisdictionem reducat; quia cum in ea non est facta adhuc purgatio spiritus, quæ omnes radices vitiorum prorsus eradicat, facilis est ad aliquam in bonis spiritualibus proprietatem capessendam: Quamobrem Director ejus desideria, & inclinationes attente investiget, & in omnibus eam mortificare, & proprietate, aut delectatione privare satagat, quia hic jam suppetunt animæ vires ad tolerandam quamlibet mortificationem, & proprii commodi privationem.

59 Curet etiam ab ea auferre omnia superflua, & suo statui inconvenientia, & in præcise necessariis proprietatem, & inordinationem tollat, eamque doceat omnia operari propter solam Dei gloriam, & dilectionem, & extra id nihil quærat, nihil cupiat, nihil possideat, & nihil amet, ut expresse docent Bernardus *Serm. de divers.* Chrysostomus *Homil in Epist. ad Rom.* Hieronymus *In Psalm. 27. vers 25* Ambrosius *Ibidem* Basilius *Ibid.* & communiter omnes Patres: Sed omnia in Deo, & propter Deum, vel potius Deum in omnibus diligat, seclusa omni propria commoditate, & proprietate, aut delectatione, ut agebat Psalmista cum dicebat: *Mihi enim quid est in Cœlo, aut à te quid volui super terram* (*Psal. 72 25*) Propterea curet eam instruere, & stabilire in paupertate spiritus, in nuditate, in humilitate, in resignatione, & in cæteris virtutibus, quæ valde ei necessariæ erunt ad horribilem purgationem, quam breviter ingressura est, si ad illam optime se disponat.

60 Sed frequenter solent esse in causa Directores, ut anima non perveniat ad secundam spiritus purgationem, & ad passivam, & infusam contemplationem; quandoquidem si essent valde soliciti, & periti, fere nulla esset anima, quæ ad hunc statum pervenit, quæ ad ulteriorem non transiret; nam licèt plures propter negligentiam, aut tepiditatem non transeunt, possent tamen Directores sua solicitudine, & peritia hanc in eis negligentiam corrigere, & emendare, utpote eis pedetentim, & caute mortificationem, & nuditatem inferendo, easque à sensibilibus prudenter ablactando; Deus namque qui eas ad hunc perfectorum statum vocat, opus suum perficeret, si vel propria animarum, aut aliorum causa non illi obex opponeretur.

61 Plures itaque in hoc statu constitutos videmus, rarissimos verò qui ad purgationem spiritus, & ad passivam unionem accedant; quod quidem interdum provenit ex metu, aut inscitia Directorum, & interdum ex negligentia, & culpa animarum. Metus, & inscitia Directorum solet consistere in eo, quòd animas jam à Domino vocatas, & bene dispósitas prohibent intrare in sanctam requiem, & in quietam Dei amatoriam notitiam: Quidam ex eis, quia nec hanc orationem sciunt, neque illius ullam experientiam habent: quamobrem dicere non verentur, quòd Discipulus non debet esse super Magistrum, sed ei sufficere, si sit sicut Magister ejus; alioquin animam in altiori gradu constitutam, nullo modo possent dirigere, & gubernare, & in hoc rectè judicant; verumtamen tunc astricti sunt (ut docet B. Joannes à Cruce, & nos supra diximus *Tract. 1. cap 4 n. 28. & 29.*) eas ad peritiorem, sive magis expertum Directorem mittere; sed hoc raro, aut nunquam videmus; imo parum humiliter putant, se pro omnibus sufficere; faxit Deus quod ita sit.

62 Alii eas intrare prohibent, quia affirmant, melius esse meditari in Vita, & Passione Domini nostri Jesu Christi, quàm con-

contemplari: quandoquidem hoc judicant esse frustra tempus terere, otiari, & intellectus habilitatem pervertere, quem Deus nobis donavit ad investiganda fidei Mysteria. Sed quàm à recto veritatis itinere aberrent, satis compertum est, siquidem omnibus concurrentibus circunstantiis quæ in animadversionibus prologomenis, & in pluribus hujus libri locis adduximus, collocare spiritum in illa cognitione, & amore, non solum non est otiari, verum etiam testibus Dionysio, D. Thoma, & fere omnibus Patribus, hæc est altior, & potior intellectus, & voluntatis occupatio, quandoquidem per eam solam habent hujusmodi potentiæ perfectum complementum, & adæquatam perfectionem: Propterea nefas est proferre, quòd anima bene disposita, & consistens in simplici, & amatorio divinæ veritatis intuitu, otiosa est, & ab omni exercitio vacua, & quòd potentias suas pervertit, cum potentiæ sint nobis donatæ (ut vulgariter concinunt pueri Catholici) ad cognoscendum, amandum, & colendum Deum in hac vita; ac demum in altera videndum, & perfruendum, & cum primum sit primæ tabulæ mandatum, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis*; cuilibet pervium erit quòd integre adimpleatur per exercitium fidei, & charitatis, quòd in hujusmodi occupatione habet anima.

63 Dicunt insuper hoc esse otium illuminatorum, & quietistarum; sed immerito quidem, & non absque dolore audiendum, siquidem nullatenus cum illo perverso istorum hominum otio collineat, cum illi omne suum studium constituant in omnimoda potentiarum vacatione, ita ut nihil aliud cogitent, nisi nihil cogitare, seseque exhibere quasi vacua instrumenta, quæ dicunt Deum passive, & supernaturaliter moturum: Insuper docent, quòd ut potentiæ superiores sint in majori pace, & tranquillitate, plene indulgeant inferioribus omnia, sive licita, sive illicita usque ad satietatem, ne suis inquietis desideriis internam illam, & falsam quietem perturbent: Docent insuper (surripientes mysticos terminos) debere animam persistere in unico actu fidei, sine actuum multiplicatione; quod erroneum esse probavimus, & illusioni valde propinquum (*Supra in prologo animadvers. num.24. & deinceps*) Præterea mortificationem tanquam inutilem repudiant, Crucem Dominicam odiunt, ventrem, & concupiscentiam carnis sequuntur, tentationibus non resistunt, tandemque omnibus quæ Domini sunt, omnino mortui, & omnibus quæ mundi, ejusque concupiscentiarum sunt, viventes, quasi meri trunci, aut statuæ marmoreæ in illo diabolico otio persistunt, ut videri possunt apud Rusbrochium *De rit. spirit. nupt. lib. 2. cap 77. usque ad 79*. Acazium March. *In suo dict. Moral. verbo Inquisitio* & alios. Sed quantum distet ab his fallaciis, & erroribus, atque hæresibus exercitium veræ contemplationis hic expositum, omnibus legentibus manifestum erit.

64 Similiter immerito dicunt, quòd hujusmodi exercitium procul abest à meditatione Vitæ, & Passionis Domini, cum commendatum relinquamus *Supra num. 55. & 56.* quòd assidue per hanc Sacrosanctam Humanitatem, quasi veram divinitatis januam in divinæ incomprehensibilitatis profundum introeatur (ut docet S. Bonaventura *Myst. Theol. part. 3. cap 3.*) quinimo & enixe commendamus, & iterum suademus, quòd etiam in quolibet contemplationis statu per hoc sanctissimum suppositum curet anima ad Patrem venire; nemo enim ad eum venire potest nisi per illum: Quamobrem modum meditandi, & contemplandi in hac Sacrosancta Humanitate, practice ostendimus perfectis, ut in ipsa Divinitatem reperiant, simplicique fidei oculo hoc divinum contemplantes speculum in imaginem ipsius transformentur, de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.

65 Igitur iterum, iterumque hortamur Directores, atque in ipsius visceribus Jesu Christi obsecramus, quòd nullam animam in quovis altissimo contemplationis gradu constitutam, in quantum debeat active operari, aliud sumat suæ orationis, vel contemplationis exordium; quin ullo modo damnare intendamus eos qui asserunt, animas perfectas habere in divinis perfectionibus versari, atque illam simplicissimam, & amatoriam notitiam (suppressis naturalibus discursibus, & operationibus,

nibus, nempe in totius ignorationis caligine) introire. Nos verò suademus, & hortamur (& merito quidem) quòd hujusmodi divinæ perfectiones, & divina attributa, quæ statui perfectorum conveniunt consideranda, in hoc Sacrosancto supposito (modo supra à nobis adducto *nu* 57.) contemplentur, & respiciantur: Cum enim verus Deus sit, & Homo, in eo quasi in divinissimo speculo, omnia divina attributa relucent, & nihil obstat, quominus anima divinam essentiam, & tributa huic Humanitati component, in immensam, & incomprehensibilem eorum abyssum immergatur; atque insuper excedentem omnis humanæ facultatis essentiam (suppressis naturalibus discursibus, & totius similitudinis, & naturalis cognitionis ignoratione) per cognitionem supernaturalem fidei (modo supradicto) ingrediatur.

66 Hic quidem modus contemplandi Sacrosanctum hoc suppositum, proculdubio convenit omnibus quantumvis perfectis; nullusque ab eo alienus debet judicari; est enim Alpha, & Omega totius sanctitatis, utpote exordium progressus, & consummatio perfectionis; in eo cognoscitur Divinitatis altitudo, latitudo sublimitas, & profundium; quia (Paulo attestante) *In eo inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter* (*Ad Colossen.* 2 9) Hæc est illa petra angularis, in quia innixa erat Scala Jacob, ad quam Angeli descendebant, & exinde ascendebant, quia nimirum animæ contemplativæ ex humanitate ad divinitatem, & ex divinitate ad humanitatem pro temporis opportunitate, aut necessitate alternare debent; ita ut nemo ascendere possit nisi prius hanc sacratissimam petram pertranseat; illa enim communicat animæ fortitudinem, & virtutem ut possit velocius, & melius ad divinitatem conscendere: Quamobrem nullis perfectorum potest esse obstaculum, sed adminiculum; quandoquidem nemo reputari potest perfectior Apostolo affirmante, nihil aliud scire, *nisi Jesum Christum*, & *hunc Crucifixum* (1 *ad Corint.* 2. 2.) Curet igitur Magister in hujusmodi veritate animas instruere, easque in quantum active operari oportet, doceat in hac Sacrosancta Humanitate modo supradicto se exercere, ibique ad contemplandam divinitatem elevari, tandemque ipse cognoscat erroneum sensum eorum qui affirmant, per activam contemplationem penitus eliminari considerationem Vitæ, & Passionis Domini.

67 Provenit etiam impedimentum accedendi ad purgationem passivam spiritus, & ad contemplationem, & unionem infusam, ex eo scilicet quia animæ exercitium omnimodæ mortificationis, & pœnitentiarum prætermittunt, & otio tantum contemplationis attentæ, mortificationis sensuum, & potentiarum oblivіscuntur; seque jam perfectas reputantes, tanquam alienas à mortificatione, pœnitentia, & exercitio virtutum se reputant; quod quidem erroneum est, & prorsus periculosum quanto enim magis anima in perfectione crescit, tanto perfectius debet virtutes exercere, ad quarum perfectum usum requiritur exactior passionum mortificatio.

68 Propterea debet Director hujusmodi animabus majori cura præscribere exercitia mortificationis, & virtutum, & ita eas exerceat in negatione propriæ voluntatis, & judicii, quod neque in minimo, neque in magno propium sensum, aut inclinationem sequi permittat, & omne quod ab earum voluntate oriatur, licet bonum sit, penitus abscindat, & in aliud bonum convertat: Doceat eas non solum patienter tolerare labores, ærumnas, & persecutiones, verumetiam cum gaudio, & gratiarum actione, & ægritudines si magnæ non sint, patienter, & sine querela absque ullis medicinæ remediis sustinere; indispositiones nullo modo verbis aperire, lingua taceat, & vultus loquatur; per eum igitur, & non per verba ægritudo patescat.

69 Curet insuper quòd in solo Deo, & in laboribus, & doloribus Jesu Christi quærant consolationem, quòd in omnibus fugiant vanitatem, & propriam æstimationem; quapropter soli Deo, & Directori virtutes, & charismata manifestent; cæteris verò penitus occulant, & denique juxta omnia quæ in hoc volumine habentur, ea ordinet, dirigat, & respective exerceat: Si enim ea diligenter observaverit, superare poterit eas ad maximam perfectionem eventuras; caveatque ne propter suam negligentiam, & imperitiam

tiam à tanto bono, & fœlicitate priventur.

70 Solet præterea aliquando contingere his animabus perfectis dum in exercitio orationis versantur, quòd eis supernaturaliter occurrunt quædam memoriæ alicujus Mysterii Sanctissimæ Humanitatis Christi, quas aliqui volunt negandas esse, ne actum contemplationis impediant: Alii è converso affirmant, omnino esse conservandas: Nos verò sequentes B. Joannem à Cruce *Lib. 3. ascen. Mont. Carmel. cap. 1. in fine* & Fr. Bartolomæum à Martyribus *In compen spirit. doctrin. cap.* 11. suademus prædictas memorias, nec positive esse investigandas, nec multo minus expellendas, sed in eis anima passive se habeat, quia hæ sacratissimæ memoriæ sunt quasi ligna, quæ divini amoris rogo adjunguntur, quibus maximopere augeretur sacræ directionis flamma; quamobrem valde nocivum erit eas abdicare: Cum enim optatum à Deo effectum consequuntur, subito evanescunt, & anima, in illa Divinitatis caligine profundius, & ardentius immergitur, ut testatur S. Bonaventura *De stimul. amor c. 7. p. 1.*

71 Sed notandum est, quòd cum istæ memoriæ à bono spiritu procedunt, sunt pacificæ, efficaces, simplices, suaves, & mirum in modo spiritum elevant, & conflagrant, & tunc anima in eis passive se habeat: Si verò sint nimis materiales, inquietæ, inefficaces, ponderosæ, vel insuaves, & spiritum foras extrahant; tunc procedunt à malo spiritu, qui tentat animam per hujusmodi devotas memorias ab exercitio contemplationes revocare, quamobrem omnino rejiciendæ sunt, & puro suæ contemplationis exercitio insistere.

72 Sic similiter evenire contingunt memoriæ Beatissimæ Virginis Mariæ, quæ etiam per motivum hujus mirabilis creaturæ magnopere incendium divini amoris adaugent, & quamquam puræ contemplationis exercitio inficiant creaturarum memoriæ, hæ tamen per speciale privilegium (ut putamus) nullatenus inficiunt contemplationi, quinimo & mirabiliter officiunt; quod quidem concedunt qui habent ejusmodi experientiam. De quibus idem dicimus respective, quòd diximus de memoriis Sanctissimæ Humanitatis; Cæteras verò creaturarum notitias, & aut species quæ in actu contemplationis occurrunt, debet anima positive, & suaviter expellere, atque in simplici, & amatorio divinæ veritatis intuitu, in quantum ei possibile sit, perseverare; tantum applicando considerationis, quantum necessarium sit ad conquiescendum in illo divino termino, quem velut Sponsa Sancta tenere debet, & non dimittere.

73 Hic status perfectorum solet post factam purgationem sensus per plures annos perdurare, & purgatio spiritus multum differri: In aliis verò durat per totum vitæ spatium, quin unquam ad spiritus purgationem deveniant: Alii (& hoc frequentius) ab hoc statu decidunt, & recalcitrant, tum ob eorum imbecilitatem, qua assiduam mortificationem diu substinere non audent: tum quia putant se in hoc modo orationis nihil profecturos, ac proinde ad imaginariam, & sensibilem orationem revertuntur; qui cum à Deo vocentur ad quietem internæ recollectionis, ac propterea non possunt facile meditari, maximam sibi ipsis inferunt violentiam, qua spiritus exsiccatur, extinguitur, & deperditur; unde ab hoc fœlici decidunt statu: tum denique propter imperitiam, vel negligentiam Directorum, qui vel eos nesciunt ad purgationem spiritus disponere, vel de eorum profectu parum curant.

74 Qui verò optima dispositione, & directione præditi sunt, si ita placitum sit ante Dominum, opportuno tempore horribilem spiritus purgationem ingrediuntur, quatenus per eam disponendi sunt ad contemplationem infusam, & unionem supernaturalem desponsationis, & matrimonii spiritualis: Et quia de hac purgatione, & de omnibus ad illam pertinentibus longum protraximus sermonem *Supr. tract. 6. cap. 8. usque ad 25. exclusive* nunc de statu Unitorum necessarium duximus pertractare.

Status unitorum, ejusque exercitia, & directio practica.

75 Statum Unitorum illum dicimus in quo anima prætergressa jam purgatione spiritus, peculiariter, & quasi ex officio in exercitio contemplationis, & unio-

unionis passivæ, & infusæ versatur; quæ licèt in quantum passiva est non possit ad libitum exerceri, quia tamen in anima jam purgata frequentissime hac passiva infusione afficitur proinde hanc frequentiam recipiendi hujusmodi infusionem vocamus statum passivum contemplationis, & unionis mysticæ.

76 Hic status incipit à consummatione purgationis spiritus, per quam anima ab habitibus vitiosis penitus defœcata, ad spiritualem desponsationem adducitur. Consummationem purgationis spiritus facile dignoscere poterit Director; tum quia divina, & supernaturalis infusio fere continua est, & durabilis: tum quia pax, & tranquillitas, qua fruitur anima, firma omnino est, & absque formidine, & suspicione venturæ calamitatis: tum denique quia in vera libertate filiorum Dei anima ad egregias operationes ducitur, atque finibus spiritus explicatis, quasi immensam in se amplitudinem cognoscit; proinde ex minimis ad sublimia elevatur, & magna tunc (quasi antea minima) mira fortitudine aggreditur.

77 Sic anima disposita, atque virtutibus perornata, illico Dominus qui dilectis suis nescit favores procrastinare (quandoquidem nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia) humaniter cum ea spiritualem desponsationem contrahit, & sicut in desponsatione naturali (parcat terminis pius Lector; nullis namque aliis uti possumus, nisi his, quos terricula hæc misera nobis præstat) illi qui ad invicem se promittunt, ac spondent, non statim copulantur; sed facta intercapedine usque ad consummationem matrimonii sæpissime se visitant, & futurus Sponsus Dona, & pretiosa munera Sponsæ præmittit: Ita similiter contingit in hac spirituali desponsatione, de cujus substantia, & modo late sermonem fecimus *Sup. tract. 5. cap. 27. per totum*.

78 Visitat ergo animam divinus Sponsus per altissimas notitias, & divini amoris contactus, quibus ei pretiosissima ornamenta, & ditissima virtutum monilia confert. Verumtamen aliquando recedit, donec consummetur spirituale matrimonium, in quo quasi inseparabiliter Deus animæ assistit, & copulatur, ut testatur expertissima Theresia per hæc verba: „ Matrimonium valde differt à desponsatione spirituali, in qua multoties ab anima recedit, secus autem in matrimonio, ubi semper anima cum Deo suo manet unita in illo centro. (*S. Theresia Mans. 7. cap. 2.*)

79 Igitur ex hac intercapedine visitationum oriuntur in anima spirituales impulsus, vulnera, & languores divini amoris (de quibus supra *tract. 5. cap. 14 25. & 26.*) In eis uti debet Director remediis ibi adductis ad levandum animæ dolorem, & moderandam inordinationem, quam forsan ex ardentissimo amati desiderio potest incurrere: Quod ut perfecte fiat per opus divinum, & anima ad matrimonii consummationem disponatur, quod summam experit in anima tranquillitatem, & ordinationem; propterea in hoc parentesi fit purgatio amoris passiva; quæ ut diximus *Tract. 6. cap. 15. n. 158.* conficitur per vivam amoris flammam, modo purgativo infusam, & lumen divinum, modo illuminativo communicatum: oportet enim quod lumen divinum non obscuret intellectum; quinimo, & sublimius illustret, ut voluntas ardentius in divinum objectum feratur, quæ ex vehementi, & superabundanti flamma infusa adeo exuritur, exiccatur, & inflammatur, quod omnem motum præcipitem, omnemque scoriam, & rubiginem proprietatis excoquit, & consumit, quamquam enim suaviter consaucietur, tamen penetrabiliter, & subtiliter mortificatur, & flamma quasi subtilissimus gladius biceps, animæ immoderationem scindit, & spiritus separationem agit, ita ut videatur animæ inter vitam suam, & mortem, tenuissimum tantum quasi capillum intercedere, & re vera si à Domino non roboraretur, proculdubio vitam suam cum fœlici morte commutaret.

80 Hæc intima annihilatio, & totius proprietatis extinctio, quæ proprie mors mystica dici potest, omnino disponit animam ad matrimonium spirituale, in qua vigere debet peritia spiritualis Directoris: licet enim in omnibus purgationibus dignoscenda sit ejus dexteritas, potissime autem in hac delicatissima amoris probatione; quandoquidem in purgationibus antecedent-

cedentibus providere debet, quòd anima citius ejus ope, & auxilio purgetur, & perficiatur, sapienter ab ea auferendo proprietatem, quin omnino debita consolatione privet; sed sicut agitur cum parvulis quibus cerasum datur, ut eis auferatur nummus, ita dum ei aliqua permittitur exigua consolatio, non solum in illa tollenda est proprietas, sed etiam in soiitudine, & silentio docendo, ut labores horribiles tolleret, & dolores acerbos sustineat.

81 In hac verò purgatione amoris, longe subtilius debet operari; quamquam enim maxima, & pœnosa sit desolatio, & paupertates, nullam animæ permittere debet consolationem, sed eam verbis reficiendo dirigere, ut in intimo illo amoris fornace se concremari, & comburi permittat; atque illos vehementes amoris impulsus ita intra se suffocare, & colligere procuret, quod nihil inquietæ motionis indulgeat affectui; sed veluti ille qui mortali vulnere consossus in ulnis charissimi amici se reclinat, ut in eis moriatur: Ita anima in cœlestis sponsi sinu, hoc est in ejus beneplacito, & voluntate, dirissimum sui vulneris dolorem sustinens, reclinetur: Ne timeat animam hac ejus dulcissima ægritudine morituram, quoniam infirmitas hæc non est ad mortem naturalem, sed ut manifestentur opera Dei in illa, & cum contigerit mori (quod longe abest) fœlix millies si velut alter Moyses in osculo Domini moreretur: Veruntamen casu quo affectus amoris, utpote non penitus spiritualis adeo vehemens sit, quòd vires corporis nimis destruat, eas convenienter reficiat; sed sapienter, & caute, ne magis minusve sit quam oporteat.

82 In cæteris operationibus debet ab ea omnem tollere proprietatem, atque ejus pia desideria in modum, & tranquillitatem reducere, ita ut primo omnia prohibeat animæ, & cum jam mortificata sit, ejusque proprietas, & desideria extincta; tunc ei præcipiat exequi quod optavit, si bonum sit, & magis perfectum; alioquin omnia resecet, & abscindat: Totum siquidem Directoris studium versari debet in sedandis hujus animæ motibus, ut ad matrimonium citius perveniat. Caveat multum ne anima fugiat infusam illam flammam purgantem, quærendo scilicet alia exercitia, aut diversionem, quandoquidem natura oppressa ab illa ardenti, & ponderosa infusione, cupit tanti ponderis levamen, quod nullatenus oportet, cum per solam eam fieri possit hoc opus mirabile, & hæc altissima exinanitio, & purgatio, quæ regulariter per mensem, aut amplius absolvitur, quia Deus (si ita dici potest) quasi impatiens est se totum communicandi suæ dilectæ sponsæ, cui sibi perpetuo copulari spopondit.

83 Cum igitur anima in hoc amoris sublimatorio tranquilla efficitur, & prorsus disposita; tunc divina Bonitas, cujus delitiæ sunt esse cum filiis hominum, incipit ei in matrimonio spirituali se communicare, & ita frequentissimè, quòd videatur in voluntate animæ esse constitutum divini sui sponsi amplexibus perfrui: sicut enim in carnali matrimonio quoties vult sponsa fruitur suo sponso; sic similiter in hoc spirituali matrimonio contingit, quia ut ex Seraphica Theresia vidimus *Super. tr. 5. c. 78. n. 300.* „ Adeo Deus in hoc matri„ monio conjungi dignatur creaturæ, quod „ sicut illi qui non possunt se ad invicem „ separari, ita Deus ab anima separari „ non sustinet. (*Mans. 7. c. 2*)

84 In hujusmodi ergo divini sponsi thalamo adeo sunt dulcissimi favores; adeo altissimæ, & sublimes intelligentiæ; adeo super excedens, & excelsum lumen; adeo delicata, & suavia sancti spiritus charismata, & unctiones, quod licet multa egregia contineantur in canticis canticorum, in libro cantici B. Joannis à Cruce, in tota Mansione septima Beatæ Theresiæ, & in vitis SS. Geltrudis, Lutgardæ, Catharinæ Senensis, Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & aliorum Sanctorum, nihil, aut parum est totum hoc in comparationem eorum, quæ Deus his animabus sibi in Matrimonio copulatis communicare potest, & multoties communicat: Cum quibus, ut testatur Theresia *In vit. sua c. 7* „ Talia, „ & tanta operatur, quòd nemo poterit „ credere, nisi habeat fidem valde vivam, „ quatenus illi videri poterit, quod sit ni„ mia planities, dejectio, & familiari„ tas in illa altissima majestate, ita servis „ suis se communicare.

85 Sed profectò hæc, & longe majora

capit ille infinitus amoris pelagus, longe enim majus fuit Verbum Divinum incarnari, & mortem Crucis subire, seseque in cibum, & potum corpus, & sanguinem suum hominibus manducandum præbere, & tamen nemo miratur, non quia majus non est, & stupendum (ut ait Augustinus) sed quia usitatum est, nostræque quotidianæ experientiæ commune: multo ergo magis credi potest, quòd se ita communicare dignetur his quibus ad tam specialissimam unionem eligit, ut cum eisdem suas delicias habeat.

86 Prædictæ animæ (ut communiter tenent Mystici) jam in omni operatione modum divinum induunt, & ad modum Dei operantur; hoc est ex speciali instinctu divini spiritus; quod videtur fateri Apostolus cum dicit: *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei* (*ad Rom.* 8. 14.) Licèt enim anima operetur, in ea operatur Christus, quandoquidem ipsa non in se vivit, sed in Christo, aut potius Christus vivit in ea, ut de se fatetur Apostolus cum dixit: *Vivo ego; jam non ego; vivit verò in me Christus*. (*Ad Galat.* 2. 20.)

87 Hæc anima jam extra imaginarium exercitium posita, ad divinam cognitionem spiritualiter assurgit, & sensus habet adeo mortificatos, & ab eis ita separatum spiritum, quod non eos veretur Deus, dum eam favoribus cumulat, quatenus possunt impune esse testes divinarum communicationum spiritus. Quamobrem neque alienantur, neque amittuntur, nisi per corporis elevationem; in qua licèt naturalem usum amittant, melioribus tamen supernaturalibus proprietatibus, & dotibus imbuuntur.

88 Hic denique (ut ait B. Joannes à Cruce *In Icon. Mont Carmel. ad calcem lib. 1 ascens. Mont. Carmel.*) omnis jam via deficit, quæ intelligitur naturalis; sed animæ solus Christus est via: Quamobrem si deficit via naturalis, & humana, deficere pariter debebat humanum Magisterum. Sed licèt verum sit quòd Deus hujusmodi animæ magisterium sibi assumat, vult tamen eam humano magisterio ad obedientiam, & meritum esse subjectam: Propterea quamquam cum illa nihil restet agendum quoad internarum potentiarum directionem, quoad externas operationes, & communes actiones, debet nihilominus eam habere omnino subjectam, & assidue mortificare, & interdum ad probationem Sacrosancta Eucharistia privare, & omnia exequi, quæ ad conservandum eam in humilitate, dejectione, & paupertate spiritus ei viderit expedire; quandoquidem dum vita vivit naturali, obnoxia est lapsui, & eo humilius, & dejectius tractari debet à Directore, quo altius, & sublimius à Deo occupatur. Ipse nobis per suam pissimam clementiam hunc fœlicissimum statum concedat, in quo eum perfecte cognoscamus, firmiter speremus, & ardenter diligamus, ut tandem in Patria cœlesti complete illo perfrui valeamus, per infinita sæcula sæculorum.

Et hæc Omnia sint sub correctione Sanctæ Matris Ecclesiæ, & Tribunalis Sanctæ Inquisitionis, toto terrarum orbe venerandi.

INDEX

INDEX
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.

EX GENESI.

CAP. 3. Ver. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* tract.2. in præfatione.

EX LIBRO EXODI.

CAP. 3. 5. *Solve calceamentum de pedibus tuis.* tr.6. num.84.
CAP. 8. 18. *Feceruntque similiter Malefici incantationibus suis.* tr.4. num 39.
CAP. 24. 18. *Ingressusque Moyses medium nebulæ.* tr.2. n.130.
CAP. 25. 37. *Facies lucernas septem, & pones eas super candelabrum.* tract.3. num.54.

EX NUMERIS.

CAP. 12. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, & per somnia loquar ad illum.* tract.3 num.135.

EX DEUTERONOMIO.

CAP. 5. 32. *Non declinabitis ad dexteram, neque ad sinistram.* tr.3. n.18.
CAP. 6. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* tr.1. n.8.
CAP. 16. 19. *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos Sapientum, & mutant verba justorum.* tr.1. n.121.
CAP. 25. 13. 14 & 16. *Non habebis in sacculo diversa pondera majus, & minus; nec erit in domo tua modius major, & minor: abominabitur enim Dominus Deus tuus, qui facit hæc.* tr.1. n.24.

EX I. REGUM.

CAP. 2. 6. *Dominus mortificat, & vivificat; deducit ad Inferos, & reducit: Dominus pauperem facit, & ditat; humiliat, & sublevat: Suscitat de pulvere egeum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.* tr.6. n.147.

EX TOBIA.

CAP 2. 12. *Hanc tentationem permisit Deus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & Sancti Job.* tract.6. num.171.
13. *Non est contristatus contra Dominum, quod plaga cæcitatis evenisset ei, sed immobilis in Dei timore permansit, gratias agens Deo omnibus diebus vitæ suæ* tr 9. num 172.

EX JOB.

CAP. 1. 21. & CAP. 2. 12. *Si bona suscepimus à Deo; quare & mala non suscipiamus? Dominus dedit, Dominus abstulit; Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.* tr.4. num.167.
CAP. 7. 1. *Militia est vita hominis super terram.* tr.6. n.167.
15. *Suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea.* tr.5. n.269.
20. *Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in pulvere dormiam.* tr.6. n.134.
CAP. 9. 2. *Verè scio quòd ita sit, & quòd non justificetur homo compositus Deo: Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere unum pro mille.* tr 6. n.103.
CAP. 10. 14 *Si peccavi, & non ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris? Et si impius fuero, væ mihi est, & si justus, non levabo caput: Saturatus afflictione, & miseria, & propter superbiam quasi Leæna capies me; reversusque mirabili-*

ter me crucias. tract 6 num 107.

CAP. 14 23. *Quis mihi tribuat, ut in Inferno protegas me, & abscondas me donec pertranseat furor tuus.*

CAP. 16. 2 *Consolatores onerosi omnes vos estis.* tr 6. n.117.

11. *Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam: Saturati sunt pœnis meis.* tract.6. numer.121.

13. *Ego ille quondam opulentus repente contritus sum; tenuit cervicem meam; confregit me, & posuit me sibi quasi in signum, circundedit me lanceis suis; convulneravit lumbos meos; non pepercit, & effudit in terra viscera mea: Concidit me vulnere super vulnus; irruit in me quasi Gigas.* tr 6. n 111.

CAP 23. 6. *Nolo multa fortitudine contendat mecum, ne magnitudinis suæ mole me premat.* tr.6 n 101.

8. *Si ad orientem iero, non apparet: Si ad occidentem, non intelligam eum: Si me vertam ad dexteram, non videbo illum; probavit me quasi aurum, quod per ignem transit.* tr 6. n 104.

15. *Idcirco à facie ejus turbatus sum: & considerans eum, timore solicitor: Deus mollivit me, & Omnipotens conturbavit me.* tr.6. n 107.

CAP. 31. 34. *Si expavi ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum terruit me, & non magis tacui, nec egressus sum ostium.* tr 6. n.133.

EX PSALMIS.

Psalm. 3. 6. *Ego dormivi, & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me: non timebo millia Populi circundantis me.* tr.5. n.230.

Ps. 4. 3. *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem?* tract.2. num 137.

5. *Irascimini, & nolite peccare.* tract.5. num.156.

Ps. 9. 10. & Ps. 45. *Deus refugium nostrum, & virtus; adjutor in opportunitatibus, in tribulatione* tract.1. num.4. & in Man. num 5.

Ps. 17. 6. *Dolores inferni circundederunt me; præoccupaverunt me laquei mortis* tr 6. n.105. & 185.

13. & 15. *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando, & carbones ignis, & misit sagittas suas, & dissipavit eos; fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.* tr.6. n.8.

Ps. 18. 4. *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* tr 4. n.181.

10. *Timor Domini Sanctus permanens in sæculum sæculi.* tr. 3. n 76.

Ibi. *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa.* tr 5. n.108.

Ps. 28 4. *Vox Domini in virtute: Vox Domini in magnificentia.* tr.5 n 99.

Ps. 29. 7. *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum,* tr.5. n.338. & tr 6. n.141.

8. *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* tr 6. n.142.

Ps. 35. 10. *Et in lumine tuo videbimus lumen.* tr 3 n 61. & tr.6. n 9.

Ps. 37. 11. *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* tr.6. num.108.

Ps. 39. 13. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem: multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.* tr.6. n 28.

Ps.41 2 *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum; quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* tr 5. n.256.

4. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?* tr 5 n.143.

Ps 44. 3. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* tr 4 n.11.

Ps. 50 7. *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* tr.4 n 49.

Ps. 54. 23. *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet; non dabit in æternum fluctuationem justo.* tract 6. num.53.

Ps. 58 7 *Famem patientur ut canes, circuibunt Civitatem.* tr 6. n 28.

Ps. 61. 12. *Semel loquutus est Deus, duo hæc audivi.* tr. 5. n.102.

Ps. 67. 35. *Ecce dedit voci suæ vocem virtutis.* tr. 5. n 96.

Ps 68 3. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* tr. 5. in præfat.

Ps. 70. 16. *Introibo in potentia Domini.* tr 5. num.301.

Ps.

Pſ. 71. 8. *Et dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum*. tr 4. n. 53.

Pſ. 72. 22. *Quia inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt, & ego ad nihilum redactus ſum, & neſcivi*. tr 6. num. 103.

25. *Quid enim mihi eſt in Cœlo, & à te quid volui ſuper terram*. Man. n 59.

Pſ. 57. 8. *Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi?* tr. 5. n. 26.

Pſ. 80. 11. *Dilata os tuum, & implebo illud*. tr. 1. n 64.

Pſ. 82. 17. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine*. tr. 6. num. 173.

Pſ. 83. 6. *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacbrymarum*. tract. 6. numer. 175.

8. *Ibunt de virtute in virtutem*. Manud. num. 20.

Pſ. 84. 9. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus; quoniam loquetur pacem in plebem ſuam*. tr. 5. n. 136. & tr. 6. n. 21. & in Man. n 53.

Pſ. 87. 6. *Sicut vulnerati dormientes in ſepulcbris, quorum non eſt memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt: Poſuerunt me in lacu inferiori, in tenebroſis, & in umbra mortis: Super me confirmatus eſt furor tuus, omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me*. tract 6 numer 104.

9. *Longe feciſti notos meos à me; poſuerunt me abominationem ſibi: traditus ſum & non egrediebar*. tr. 6. num 121. & 133.

Pſ. 103. 20. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox; in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſylvæ: Catuli Leonum rugientes, ut rapiant*. tr. 6. n 12.

Pſ. 105. 23. *Ut averteret iram ejus, ne diſperderet eos*. tr 6. n 175.

Pſ. 119. 3. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*. tr. 5. n. 256 & 271. & 307.

Pſ. 138. 1. 11 & 12. *Domine probaſti me, & cognoviſti me: Et dixi, forſitan tenebræ conculcabunt me? Et nox illuminatio mea in deliciis meis; quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur; ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*. tr. 6. n. 14. & Man. n. 51.

8. *Si aſcendero in Cœlum, tu illic es: Si deſcendero in infernum, ades: Si ſumpſero pennas meas diluculo & habitavero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. tr. 5. n. 327.

Pſ. 142. 11. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram*. tr. 3. n. 46.

Pſ. 148. 5. *Ipſe dixit, & facta ſunt: Ipſe mandavit, & creata ſunt*. tr. 5. n 99.

EX PROVERBIIS.

CAP. 1. 16. & 18. *Pedes eorum currunt ad malum; ipſi quoque contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & moliuntur fraudes contra animas ſuas*. tr. 2. n. 65.

CAP. 10. 19. *In multiloquio non deerit peccatum*. tr. 4. n. 26.

CAP. 13. 4. *Vult, & non vult Piger*. tr. 1. num 72.

CAP. 14. 13. *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat*. tract. 6. num 178.

CAP. 15. 1. *Reſponſio mollis frangit iram*; tr 6. n 54.

CAP. 16. 6. *Per timorem Dei declinat omnis à malo*. tr 3. n 49.

32. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore Urbium*. tr. 1. n 60. & tr 6. n. 6.

CAP. 23. 26. *Præbe, fili mi, cor tuum mihi*. tr 2. n. 137.

CAP. 24. 16. *Septies enim cadet Juſtus, & reſurget*. tr. 4. n 160.

CAP 25. 7. *Melius eſt, ut dicatur tibi aſcende huc, quàm quòd humilieris coram Principe*. Prol. n. 20.

CAP. 37. 19. *quomodo in aquis reſplendet vultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus*. tr. 4. num. 164.

EX ECCLESIASTE.

CAP. 2. 2. *Riſum reputavi errorem*. tr. 5. num. 104

14. *Sapientis oculi in capite ejus*. tract. 3. num. 74.

17. *Idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala univerſa eſſe ſub Sole, & cuncta*

&a vanitatem, & afflictionem spiritus. tr 6. n.119.

CAP. 5. 1. *Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem.* tr.1. n.34.

CAP. 7. 17. *Noli esse justus multum, neque plus sapias, quàm necesse est ne obstupescas.* tr.3. n.18.

CAP. 9 1. & 2. *Sunt justi, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta, eo quòd universa æque eveniant justo, & impio; bono, & malo, mundo, & immundo; immolanti victimas, & sacrificia contemnenti.* tract 4. num.57.

EX CANTIC. CANTICOR.

CAP. 1. 1. *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragantia unguentis optimis.* tract.5 num. 298.

CAP. 2 4. *Introduxit me Rex in cellam vinariam; ordinavit in me charitatem.* tr.5. n.308.

5. *Fulcite me floribus; stipate me malis, quia amore langueo.* tr. 5. n 267.

7. *Adjuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* tr. 5. n.238.

CAP. 3. 4. *Tenui eum nec dimittam.* tr.5. num.338.

CAP. 5. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* tr.5. n.231.

Ibi *Vox dilecti mei pulsantis; aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea; quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* tr.6. n.155.

6. *Anima mea liquefacta est ut dilectus loquutus est.* tr.5. n 96.

CAP. 6. 10. *Descendit in hortum meum, ut viderem poma convallium, & inspicerem si floruisset vinea: Nescivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.* tr. 6. n.86.

CAP. 8. 6. *Quia fortis est ut mors dilectio; dura sicut Infernus æmulatio.* tract 5. num.160.

Ibi *Lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum.* tr 6. n.158.

10. *Ego murus, & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* tr.6. n.184.

14. *Fuge dilecte mi; assimilare capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum.* tr.6. n.101.

EX LIB. SAPIENTIÆ.

CAP 1. 5. *Spiritus enim Domini disciplinæ effugiet fictum; nec habitabit in corpore subdito peccatis.* tr.5. n.130.

CAP. 3. 5 *Deus tentavit justos, & invenit illos dignos se, tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & invenit illos dignos se.* tr 6. n.170.

CAP 8 1. *Attingit ergo à fine usque ad finem, & disponit omnia suaviter.* tr. 5. num.11

16. *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictum illius, sed lætitiam, & gaudium.* tr.5. n.310.

19. & 20. *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam & cum essem magis bonus, veni in corpus incoinquinatum.* tr 2. n 62.

CAP 9. 15. *Corpus enim quòd corrumpitur, aggravat animam.* Prolog. n.26. & tr.1. n.48.

DE LIB. ECCLESIASTICI.

CAP. 5. 6. *Ne dicas, miseratio Domini magna est: Multitudinis peccatorum meorum miserebitur: Misericordia enim, & ira ab illo cito proximat, & in peccatores respicit ira illius.* tr. 4. n 106.

CAP. 6. 8. *Est amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.* tr 4. n.166

CAP. 9. 11. *Colloquium illius quasi ignis exardescit.* tr.4 n.10.

CAP 11. 30. *Ante mortem ne laudes hominem quemquam.* tr.5 n 356.

CAP. 17. 6. *Creavit illis scientiam spiritus; sensu implevit corda illorum.* tr 6. num.150.

CAP. 27. 6. *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis.* tr.4 n 166

12. *Homo Sanctus in sapientia manet sicut Sol; nam stultus sicut Luna mutatur.* tr 4 n.168.

CAP.

CAP. 30 24. & 25. *Tristitiam longe repelle à te, multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in ea*. tr. 1. n. 36.

CAP. 34. 9. *Qui non est tentatus, quid scit?* tr 6. n. 83.

EX ISAIA.

CAP. 1. 17. & 18. *Discite benefacere; quærite judicium; subvenite oppresso; judicate pupillo; defendite viduam, & venite arguite me, dicit Dominus*. tr. 6. num. 56.

24. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis*. tract. 1. num. 123.

CAP. 11. 2. *Et requiescet super eum spiritus Domini; spiritus sapientiæ & intellectus; spiritus consilii, & fortitudinis; spiritus scientiæ, & pietatis; & replebit eum spiritus timoris Domini*. tr. 3. n 43.

CAP. 12. 15. *Flere cum flentibus gaudere cum gaudentibus*. Man. n. 11.

CAP. 26. 9. *Anima mea desideravit te in nocte; sed & spiritu meo iu præcordiis meis*. tr. 6. n. 134

CAP. 28 9. *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte; avulsos ab uberibus*. tract. 6. num. 16. & 85.

CAP. 30. 15. *In silentio, & spei erit fortitudo vestra*. tr. 6. n. 50.

CAP. 38. 11 *Non videbo Dominum Deum in terra viventium*. tr. 6. n. 105.

CAP. 40. 18. *Cui ergo similem fecistis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei? Numquid sculptile conflavit faber, aut aurifex auro figuravit illum? aut laminis argenteis argentarius?* tract. 3. in præf.

CAP. 50. 5. *Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico; retrorsum non abii*. tr. 3. n. 44.

CAP. 52. 6. *Quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum*. tr. 5. n. 102.

CAP. 55. 11. *Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo; non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud*. tr. 5. n. 97.

CAP. 64. 7. *Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te*. tr. 6. num. 184.

EX HIEREMIA.

CAP. 4. 19. *Sensus cordis mei turbati sunt in me: non tacebo quoniam vocem buccinæ audivit anima mea clamorem prælii: Contritio super contritionem vocata est, & vastata est omnis terra; repente vastata sunt tabernacula mea; subito pelles meæ*. tr. 6. n. 110.

22. *Sapientes sunt, ut faciant mala: bona autem facere nescierunt*. tr. 3. n. 31.

CAP. 9. 21. *Ascendit mors per fenestras nostras*. tr. 2. n 43.

CAP. 15. 15. *Noli in patientia tua suscipere me*. tr. 5. n. 156.

CAP. 20. 9. *Et dixi, non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius, & factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens*. tr. 7. n. 112.

CAP. 23. 2. *Vos dispersistis gregem meum, & ejecistis eos, & non visitastis eos: Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus*. tract. 1. num 109.

9. *Contritum est cor meum in medio mei: Contremuerunt omnia ossa mea; factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo madidus à vino à facie Domini*. tract. 6. num. 113.

28. *Quid paleis ad triticum dicit Dominus? Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?* tr. 5. n. 100.

CAP. 29. 11. *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis*. tr. 6. n. 44.

EX THRENIS.

CAP 1. 2. *Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus: Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus: Omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt ei inimici*. tr 6. n. 118.

CAP. 2. 1. *Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion? Projecit de Cœlo in terram inclytam Israel?* tr. 6. num. 100.

CAP. 3. 1. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus, me minavit*,

navit, & addunit in tenebras, & non in lucem. tr.6.n.111.

7. *Circumædificavit adversum me, ut non egrediar; aggravat compedem meum; sed & cum clamavero, & rogavero exclusit orationem meam*. tract.6. num. 115.

9. *Conclusit vias meas lapidibus quadris*. tr.6. n.107.

61. *Audisti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes eorum adversum me; labia insurgentium mihi, & meditationes eorum adversum me tota die*. tract 6. num.121.

CAP. 5. 21. *Converte nos Domine ad te, & convertemur; innova dies nostros sicut à principio*. tr.6.n.6.

EX EZECHIELE.

CAP. 3. 14. & 15. *Spiritus quoque levavit me, & abii amarus in indignatione spiritus mei, & veni ad transmigrationem*. tr.2. n.14.

19. *Si autem tu animadvertis impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & à via sua impia; ipse enim in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti*. tr.1. n 125.

CAP. 8. 3. *Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & elevavit me spiritus inter terram, & cœlum*. tr.5. n.216.

CAP. 22. 30. *Et quæsivi ex eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni*. tr.6. n.184.

CAP. 34. 4. *Cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia: Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis; quod confractum est, non alligastis, & quod abjectum est, non reduxistis*. tr.1. n.118.

EX OSEA.

CAP. 2. 14. *Ducam eam in solitudinem & loquar ad cor ejus*. tr.5. n.309. & Man. num.49.

20. *Sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus*. tr.5. n.290.

CAP. 5. 1. & 2. *Quia vobis judicium est quoniam laqueus facti estis speculationi, & victimas declinastis in profundum, & ego eruditor omnium eorum*. tract.1. num.23.

EX JOEL.

CAP. 2. 28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ; senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt*. tr.5. n.135.

EX JONA.

CAP. 3. 4. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*. tr.5. n.54.

EX ZACHARIA.

CAP. 11. 17. *Et assumpsi mihi duas virgas; unam vocavi decorem, & alteram appellavi funiculum, & pavi gregem*. tr 1. n.119.

EX MATTHÆO.

CAP. 5. 11. *Beati estis cum vos oderint homines, & persecuti vos fuerint; & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestras copiosa est in Cœlis*. tr 6. n.58.

28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. tr.2 n 39.

CAP. 6. 6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito*. tract 5. num.348.

17 *Orantes autem nolite multum loqui*. Man. num.28.

CAP. 7. 20. *A fructibus eorum cognoscetis eos*. tr 4 n 145.

22. *Domine nonne in nomine tuo prophetavimus? Respondit; Nunquam novi vos*. tr 4. n 70

CAP. 8. 4 *Vide nemini dixeris; sed vade ostende te Sacerdoti*. tr 4 n 35.

CAP 9. 12. *Non est opus valentibus Medicus, sed male habentibus; non enim veni vocare justos, sed peccatores*. Man. num.39.

CAP. 11. 19. *Venit filius hominis manducans*,

ducans, & bibens. t.3. num 21.

29. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, t.6. n.120.

CAP. 13. 43. Fulgebunt justi sicut Sol in Regno Patris eorum. tr.5. n.335.

46 Vendidit omnia quae habuit, & emit eam. t.2. in praefat.

CAP. 15. 14. Caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt. t.1. n.26.

16. Adhuc & vos sine intellectu estis. t.1. num 58.

CAP. 16. 17. Beatus es Simon Bar jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Caelis est. tom 4 num.61.

24. Tollat Crucem suam, & sequatur me. t.1. n.114. & t 4. n.21.

CAP. 17. 1. Et duxit illos in montem excelsum seorsum. t 3. n.21.

CAP. 22. 1. Simile factum est Regnum Caelorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. t.5. n.333.

12. Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptilem. Prolog. num.20. & Man. num.18.

37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. t.2. n.137.

CAP. 25. 28. Tollite ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta: Omni enim habenti dabitur, & abundabit; ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo, & inutilem servum ejicite in tenebras exteriores; illic erit fletus, & stridor dentium. t.2. in praefat.

CAP. 26. 39. Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste; sed non sicut ego volo, sed sicut tu. Man. n.28.

CAP. 7. 35. Et praecepit illis ne cui dicerent. t.4 n.35.

CAP. 8. 26. Vade in domum tuam, & si in vicum introieris, nemini dixeris. Ibid.

CAP. 16. 17. Linguis loquetur novis. t.4 n.181.

EX LUCA.

CAP. 8. 15. Et fructum afferunt in patientia. t.2. n 5.

52. & 56. Non est mortua puella, sed dormit, & Praecepit eis ne cui dicerent. t 4. n.35.

CAP. 10. 2. Quia messis quidem multa; operarii autem pauci. t. 1. numer. 108.

20. In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in Caelis. t.5. num.358.

CAP. 11. 52. Vae vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiae; ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis. Man n.50.

CAP. 16. 8. Quia prudenter fecisset, quia filii hujus saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. t. 3. num.31.

CAP. 17. 21. Neque dicent; ecce hic, aut ecce illic: Ecce Regnum Dei intra vos est. t.5. n.328.

CAP. 21. 19. In patientia vestra possidebitis animas vestras. t.6. n.175.

EX JOANNE.

CAP. 1. 9. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Man n.51.

CAP. 4. 27. Mirabantur quod cum muliere loquebatur. t 1. n.41.

CAP. 14. 26. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis. t. 3. n 83. & t.3. n.7.

CAP. 16 7. Expedit vobis, ut ego vadam: Si autem non abiero, Paracletus non veniet ad vos. t 5. n.29.

CAP. 18 8. Si ergo me quaeritis, sinite hos abire. t.6. n.52.

CAP. 20. 19 Beati qui non viderunt, & crediderunt. t.5 n.52.

CAP. 21. 5. Pueri, numquid pulmentarium habetis. t.1. n 58.

EX ACTIS APOSTOLOR.

CAP. 2. 4. Et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. t 4. n.181.

CAP. 7 51. Dura cervice, & incircumcisi cordibus, & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis. t.1. n.19.

CAP. 17. 28. In ipso enim vivimus, movemur, & sumus. t 3. n.129.

CAP. 26. 24. *Insanis Paule*. t. 5. *num.* 245.

EX EPIST. AD ROM.

CAP. 5. 3. *Tribulatio patientiam operatur*. t. 6. n. 175.

5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. t. 3. n. 50. & t. 5. n. 7.

CAP. 6. 5. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus*. t. 6. n. 176.

CAP 7. 22 & 23. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*. t 6. n. 33. & t. 2 n. 25.

25. *Infælix ego homo; quis me liberabit à corpore mortis hujus*. t. 5. num. 257. & 307.

CAP. 8. 14. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*. t 3 n. 56. & 70. & Man. n. 86.

15. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore*. t. 3. n. 78.

16. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater*. t 3. num 71.

18. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. t 6. n 155.

CAP. 10. 15. *Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur*. t. 4. n 13.

CAP. 11 6. *Si autem gratia, non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia* t. 4 n. 2.

CAP. 12 19. *Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus*. t 6 n. 58.

CAP. 13. 1. *Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt*. t. 5. n. 11.

EX I. AD CORINTHIOS.

CAP. 2. 2. *Non enim judicavi, me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum*. Man n 66.

4. *Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis*. t 4. n. 23.

9. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus his qui diligunt illum*. tom. 5. num 120.

15. & 16. *Spiritualis autem judicat omnia, & ipse à nemine judicatur: Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum? nos autem sensum Christi habemus*. t. 1. n. 82.

CAP. 3. 1. 2. *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum quidem poteratis. Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; adhuc enim carnales estis*. t 6. num. 17.

CAP. 6. 18. *Fugite fornicationem*. tom. 2. n 39. & Man. n 5.

CAP. 9. 22. *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*. Man. n. 11.

CAP. 10 12 *Qui se existimat stare, videat ne cadat*. t. 1. n. 59.

31. *Sive manducatis, sive bibiti, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Man n. 33.

CAP. 12. 3. *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto*. t. 3 num 45.

7. *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem*. t 4. n. 1.

8. *Alii datur per spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem spiritum; alteri fides in eodem spiritu; alii gratia sanitatum in uno spiritu; alii operatio virtutum*. t. 3. n 51. & t. 4. num 3.

11. *Hæc omnia operatur unus, atque idem spiritus, dividens singulis prout vult*. t 5. in præfat.

CAP. 13. 8. *Linguæ cessabunt*. t. 4. num. 188.

12. *Tunc autem facie ad faciem*. t 2. num. 88.

CAP. 14. 5 *Nam major est qui prophetat, quam qui loquitur linguis, nisi forte interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat. Nunc autem fratres si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi loquar vobis, aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia aut in doctrina? Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint; quomodo scietur id quod canitur, aut citharizatur? Etenim nisi certam vocem det tuba, quis præparabit se ad bellum? Ita*

& vos

. & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis; quomodo scietur quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes. t. 1. 4 n. 187.

18. Gratia ago Deo meo, quòd omnium vestrum lingua loquor. t. 4. n. 181.

21. Quoniam in aliis linguis, & in labiis aliis loquar Populo. ibid.

34. & 35. Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas, esse sicut lex dicit: Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent; turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. t. 4. n 10.

CAP. 15. 44. Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale. t. 5. num. 335.

EX II. AD CORINTHIOS.

CAP. 3. 5. Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est. t. 3. n. 45.

CAP. 4. 8. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus. t. 1. n. 48.

CAP. 6. 8. Per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam; ut seductores, & veraces. t. 6. n. 57.

10. Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. t. 6. n. 148.

CAP. 7. 9. Nunc gaudeo; non quia contristati estis, sed quia contristatis estis ad pœnitentiam; Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini. t. 2 n 42.

CAP. 9. 6 Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat de benedictionibus, de benedictionibus & metet, unusquisque prout destinavit in corde suo. t. 1. num. 48.

AAP. 12. 2. Sive in corpore, sive extra corpus, nescio: Deus scit. t. 5. n. 217.

4. Et audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui. t 5. n. 219.

7. Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ qui me colaphizet. t. 6. n. 174.

9. Gloriabor in infirmitatibus meis ut inhabitet in me virtus Christi. t. 5. num. 306.

EX EPIST. AD GALATAS.

CAP. 1. 18. Sed licèt nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit t 3. n. 58. & t. 5. n. 115.

CAP. 2. 20. Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus t. 6. num. 167. & Man. n. 86.

CAP. 4. 19. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Man. n. 15.

CAP. 5. 17. Caro concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem; hæc omnia sibi invicem adversantur. t. 2. n. 25 & t 4 n 161.

19 20. & 21. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia. t. 4. nu. 152.

22. Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. t. 4. n. 146.

EX EPIST. AD EPHES.

CAP. 4. 25. Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo. t. 1. n. 125.

CAP. 5. 13. Omne quod manifestatur, lumen est. t. 5. n. 8.

CAP. 6 9. Non est personarum acceptio apud Deum. t. 1. n. 83.

EX EPIST. AD PHILIPPEN.

CAP. 1. 23. Coarctor è duobus desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo. t. 5. n. 156. & 257.

CAP. 3. 21. Qui reformabit corpus humilitatis nostræ. t. 5. n. 261.

CAP. 4 5. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. t. 1. num. 31. & t. 5. num. 252.

EX EPIST. AD COLOSSEN.

CAP. 2. 9. In eo inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter. Man. n. 66.

CAP. 3. 14. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*. *Man*. n 48.

EX EPIST. I. AD TIMOTH.

CAP. 2. 4. *Hoc enim acceptum est coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. t. 1. n. 83.

11. & 12. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione: Docere autem Mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio*. t. 4. n. 10.

CAP. 4. 8. *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est: Pietas autem ad omnia*. t. 1. n 49.

EX II. AD TIMOTHEUM.

CAP. 2. 19. *Novit autem Dominus eos qui sunt ejus*. t 4. n. 70.

EX EPIST. AD HEBRÆOS.

CAP. 2. 18. *In eo enim in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & eis qui tentantur, auxiliari*. t 1. n 24.

CAP. 9. 27 *Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem judicium*. t. 2. num. 18.

CAP. 12. 7. *Quis enim filius, quem non corripit Pater*. t. 6. n. 82.

EX EPIST. JACOBI.

CAP. 1. 4 *Patientia autem opus perfectum habet*, t 6 n. 175.

5. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei*. t. 6. numer. 80.

EX I. PETRI.

CAP. 5 8. *Adversarius vester Diabolus tanquam Leo rugiens, circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide*. t. 5. num 33.

EX II. PETRI.

CAP. 1. 21. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt Sancti Dei homines*. t. 4. n. 62. & 195.

EX I. EPIST. JOANNIS.

CAP. 1. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. t. 4 n. 160.

CAP. 3. 4 *Qui non diligit, manet in morte*. t. 3. n 38.

EX APOCALYPSI.

CAP. 1. 10. *Fui in spiritu in Dominica die*. t. 2. n 13.

17. *Cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus*. t. 5. n. 138.

CAP. 2. 10. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. t. 6. num. 169.

CAP. 3. 19. *Ego quos amo, arguo, & castigo*. t. 6. n 82.

20. *Ecce sto ad ostium, & pulso: Si quis audierit vocem meam, & aperuit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*. t. 6. n. 154.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

A

Accidentia per se sensibilia, & per se non sensibilia, quæ sint. t. 2. n. 89. & 90.

Anima rationalis definitur. t. 2. num. 1. Opus est solius Dei, ab ipso ex nihilo creatur, & informatur in materia humani corporis, in ipso instanti quo est dispofita. t. 2. n. 55. Est actus corporis physici, & organici potentia vitam habentis: est indivisibilis, & principium vitæ, & est tota in toto corpore, & tota in qualibet illius parte. t. 2. n. 56. 57 & 58. Est æterna, & incorruptibilis à parte post. t. 2. nu. 59. Omnes animæ rationales sunt ejusdem speciei in perfectione specifica; sed in perfectione substantiva, & individuali sunt inæquales, & hoc secundum corporis temperamentum, organa, & dispositionem. t. 2. n. 60. 61. & 62. Substantia animæ realiter distinguitur à suis potentiis, & contraria argumenta solvuntur. t. 2. cap. 8. per tot. Nihil persensus percipere valet, nisi quod corporeum est, & materiale. t. 2. n. 3. Animarum geniis, conversationibus, & capacitatibus communiter Deus se accommodat. t. 1 n. 69. Animas Deus ad æternam sui ipsius possessionem creavit, quam modo possibili in hac vita consequuntur per altissimam illius cognitionem, & amorem, ad quam omnes animæ pervenirent, si se disponerent, quia non est personarum acceptator Deus t. 1 n. 83. In unitiva perfectione, unioneque mystica animæ cum Deo, gradum ad quem illa in hac vita perveniet, conjectari poterit Magister ex ejus naturali genio, efficacia, & vocatione. t. 1. n. 84. Qualiter practice hoc cognoscet, & quomodo cuilibet animæ juxta ejus genium, & vocationem exercitia disponet? quam perfectionem adipiscetur? & quid Deus in qualibet illarum vult? & unde hoc conjectari poterit? t. 1. cap. 9. 10. & 11. Anima tepida vel si ab arrepta via contemplationis deflexit, ad antecedentium viarum exercitia revocentur, licet affirmet, se non posse meditari. t. 1. n. 93.

Appetitus sensitivus, qui communis est hominibus, & brutis, definitur, & varia ejus nomina referuntur. t. 2. nu. 23. Est affectuosus, & cæcus; ab imaginatione movetur in objecta illi proposita sub ratione convenientiæ, vel incommoditatis, & nocivum fugit, obsequiturque delectabile. t. 2. n. 4. In quo distinguatur ab appetitu innato? t. 2. num. 21. Quare indigeat homo hoc appetitu? t. 2. n. 22. Ejus objectum solum est bonum sensibile, vel aliqua ratio illius. t. 2. n. 24. In quo distinguatur ab appetitu sancto, & honesto? t. 2. n. 25. Habet partes duas, una concupiscibilis dicitur, alteraque irrascibilis, & qualiter cum eis operetur? t 2. n. 26. Passiones quæ pertinent ad partem concupiscibilem referuntur, & similiter quæ ad partem irascibilem. t. 2. n 27. 28 & 29. Post lapsum hominis rebellis effectus est rationi, & ei subjici debet, non subjectione despotica, & servili, sed politica, & civili. t. 2. n. 30. & 31. Diversimode subjugatur rationi. t. 2. num. 32. usque 44. Domicilium suum habet in corde. t. 2. nu. 45.

Appetitus rationalis: Vide *Voluntas*.

Apparitiones animarum Purgatorii, si oculis corporalibus fiant, quæ vel flammis circundatæ, vel diversorum tormentorum genere affectæ se offerunt conspiciendæ, quos effectus in recipientibus pariant? & quæ à bono, vel malo spiritu procedant? t. 4. num. 94 & 95.

Diver-

Diversimode manifestantur hæ animæ t. 4. n. 96. usque 101. Magister quomodo cognoscet à bono, vel malo spiritu factas fuisse apparitiones istas? t. 4. n. 102. 103. & 104. Experientia docet, quòd divina providentia aliquas habet spirituales personas, quibus hæ apparitiones frequentissime fiant. t. 4. n. 104 Si anima, quæ apparet, fuit scandalosæ vitæ, & cum Sacramentis, vel sine illis obiit, vel si fuit persona pia, & dicat, se salvam esse, aut in viam salutis constitutam, quomodo se gerere debeat Magister. t. 4. n. 105. 106. & 107. Si anima petat Missas, suffragia, restitutiones, & alia hujusmodi, quomodo poterit Magister cognoscere, veram, vel falsam fuisse hanc notitiam? & qualiter circa illam se gerere debeat. t. 4. n. 108. usque 112. An Dæmon possit effingere apparitiones animarum, in quibus solummodo petunt Missas, & suffragia? t. 4. n. 113. 114. & 115.

Apparitiones animarum damnatarum regulariter non sunt veræ, propter horribiles effectus quos causant, & quando erunt veræ? ad quod aliqua referuntur exempla. t. 4. n. 126 usque 123. Quibus Modis hæ apparitiones fiant? t. 4. n. 124. Quos effectus in illis quibus fiunt, causant? & quomodò cum eis juxta eorum status se gerere debeat Magister? t. 4. n. 125. 126. & 127. Qualiter instruet discipulum cui facta fuit hæc apparitio? & cognoscet, an vera fuit, vel falsa? Si vera sit, regulariter fit animabus tenacibus, rebellibus, vel nimis frigidis. t. 4. cap. 14. per tot.

Ariditas, quæ incipientibus in oratione angit, qualiter sit toleranda, vel expellenda. Man. n. 7.

B

Beatitudines sunt octo; non sunt habitus, sed actus virtutum, & donorum Spiritus Sancti. t. 3. n. 84.

C

Calumnia quæ Magistro, vel discipulo ab aliis imponitur, debet patienter sustineri, non se excusando: Attamen si fuerit opposita ministerio directionis, vel contra fidem, aut contra doctrinam sanam quam Magister docet, debet respondere. t. 6. n. 58.

Catharina Senensis à singularitate quadam fuit revocata à suo Directore. t. 5. n. 94.

Conjugatos non oneret Director immoderatis pœnitentiis, mortificationibus, nec silentio; sed plus interius, quàm exterius illos mortificet, & qualiter se gerere debeant cum suis familiis? t. 1. n. 113.

Colloquia indiscreta inter spirituales viros, & fœminas (maxime Moniales) quæ prætextu spiritus habentur, multa damna, & pericula afferunt. t. 4. n. 27. & 28. *Vide. Gratia linguarum*.

Conscientia quid sit? & ejus divisio proponitur. t. 2. n. 82 & 83.

Correctio discipulo facta à suo Magistro spirituali regulariter sit suavis, & benigna; melius enim ducitur homo per amorem, quàm per rigorem. Si verò discipulus sit tepidus, vel rebellis, aliquando aspere, & severe; aliquando verò leniter eum corrigat. t. 1. n. 118. & 119.

Contemplatio activa, vel acquisita, quare, dicatur oratio fidei? Prolog. nu 12. Hæc si assidua est generat habitum; passiva non item: Ex activa potest homo ad meditationem exilire; ex passiva verò non sic. Prolog. n. 9. Periculosa, & singularis est opinio affirmans, non dari contemplationem acquisitam distinctam à meditatione discursiva. Prolog. n. 11. Non nuper est inventa, sed ab antiquis Patribus ab initio nascentis Ecclesiæ usitata fuit, & edocta. Prol. n. 13. 14. & 15. Ex statu non pertinet ad viam purgativam nec illuminativam, sed ad unitivam. Prol. n. 16. Ad illam requiritur quòd anima sit nimis studiosa, & perfecta in omni virtute, & mortificatione. Prol. n. 17. Etiam requiritur

quòd

quòd anima habeat genium aptum; quod ad illam fit à Deo vocata, & quòd non habeat occupationes, & negotia illi contraria. Prol. n. 18. 19. & 20. In hac contemplatione multiplicandi sunt actus, qui sunt ei proprii, si à suo summo remittatur, ne in turpe otium incidat anima. Prol. n. 24. 25. & 26. Anima quæ affirmat, se magis gaudere in pacifica quiete, quam in meditatione, non statim eam judicet Director, ad contemplationem esse vocatam, siquidem hoc ex sua desidia, & complexione oriri potest: necesse est enim, quòd anima sit fervida, diligens, & laboriosa, & non tædeat meditationem; hæc enim, & alia sunt signa, & adminicula veræ vocationis ad contemplationem. t. 1. n. 104. & 105.

In contemplatione passiva erroneum est dicere, quod voluntas amat Deum, & intellectus nihil cognoscit. Similiter est erroneum dicere, quòd datur aliqua communicatio passiva, & infusa facta solummodo voluntati, quin intellectus aliquid cognoscat objecti illius communicationis. Causa horum errorum ab effectibus deducitur, siquidem lumen quod tunc recipit intellectus est delicatius, & minus perceptibile, quam flamma amoris quæ voluntatem vulnerat. t. 2. n. 129. & 130. In contemplatione omnes notitiæ, & species creaturarum suaviter sunt expellendæ, exceptis quæ Christi Domini, & B. Mariæ sunt, siquidem hæ multum juvant. Man. n. 72. vide *Unio*.

Contritionis exercitium peculiare est status incipientium, seu viæ purgativæ, & ad illud qualiter animæ sunt instruendæ? Man. n. 2. 3. & 4.

D

Dæmon vide ver. Purgatio, & passim in toto hoc opere.

Deliquium virium corporalium vulgo *Arrobamiento*, à lumine supernaturaliter infuso procedit; quomodo fiat animæ? quos effectus in illa producat? t. 5. n. 177. usque 185. Hæc est communicatio spiritus imperfecti, & nondum purgati. t. 5. n. 186. & 187. Potest oriri ex animo pusillanimi, & meticuloso, & similiter ex debilitate cerebri, & corporis imbecillitate, maxime in fœminis, & demum ex Dœmonis astutia. quos effectus omnia hæc producant? & à qua causa ortum habeant? t. 5. n. 188. usque 195. Magister animæ injungant, quod à Deo postulet, ut à tam periculosis rebus eam eripiat (quando his fruitur communicationibus) & quod per securam, & interiorem viam eam ducat: In oratione per pondus rationis, & non per imagines, & phantasmata, nec compositionem loci eam dirigat, & cum affectuose mota sit in Deum, per fidem, & charitatem in illum assurgat; à consortio hominum fugiat; ab his quæ illam ad hæc deliquia excitant, se abstineat, & suaviter ab imaginatione expellere curet formas, vel phantasmata quæ illam ad hoc excitant. t. 5. n. 196. usque 199.

Desponsatio spiritualis animæ cum Deo triplex est; prima fit in Baptismo; secunda fit per spontaneam traditionem, ut in professione religiosa, & Ecclesiastico statu, tertia fit per altissimam Dei communicationem. t. 5. n. 290. 291. & 292 Hæc mystica desponsatio licèt regulariter celebretur à Deo cum anima jam penitus purgata, aliquando verò in infantili, & juvenili ætate, ob prævisum à Deo matrimonium celebrata fuit, ad quod aliqua adducuntur exempla. t. 5. n. 294. Primus actus hujus desponsationes fit, vel per visionem externam, vel imaginariam, aut per spiritualem repræsentationem: Quos effectus producat? Quomodo Dœmon possit in illa se dissimulare? & qualiter Magister illum cognoscere, & animam dirigere valeat? t. 5. num. 295. 296. & 297.

Discipulus spiritualis cum se dirigendum tradit Magistro, cum illo confessionem generalem faciat. Quod si scrupulis sit nimis affectus, & jam anteactæ vitæ sit rite confessus, vel confessionem generalem jam emisit, quia huic nociva erit repetitio, sufficiet narratio suarum inclinationum, inordinatarum passionum, conversationum, & genii, ut con-

conjicere possit Director vocationem divinam in eo; siquidem communiter Deus genio, conversationi, & capacitati animarum se accommodat. t. I. n. 68. & 69. Si fuerit vivacis intellectus, discretionique & acumini valde deditus, non est aptus solitudini, exercitioque sanctæ quietis; sed in timore Dei, gratia, charitate, piisque operibus, & considerationibus persistere curet. In piis considerationibus, facta discursus emissione, & excitato affectu, quantum ei possibile sit, in illo conquiescat. t. I. n. 70. Si fuerit tranquillæ, maturæque indolis, licèt subtili polleat intellectu, aptus est ad pacificum contemplationis exercitium, & servatis aliis necessariis, ad illud paulatim est alliciendus. t. I. n. 71. Si fuerit affectuosus, pacificus, & suavis; sed valde remissus, licèt aptus esse possit contemplationi, tamen indiget maxima probatione in mortificatione, qua superet illam desidiam, & in piis considerationibus per longum tempus debet perseverare. t. I. n. 72. Si fuerit pusillanimis, timidus, & piger regulariter ineptus est contemplationi, sed per solicitudinem Magistri potest ad eam capax fieri, nempe per assiduas meditationes, mortificationes, virtutumque exercitia; de quarum actibus quotidie ei rationem reddat. t. I. nu. 73. Si fuerit amicus laxitatis, nimis confidens, dissolutus, intrepidus in operationibus, & ad voluptates inclinatus: Hunc procul dubio in timore, & tremore debet Director conservare, ei scilicet disponendo assiduas Novissimorum considerationes, exercitiaque virtutum, de quibus omnibus hebdomadibus strictam ei rationem reddat. t. I. n. 74. Si fuerit vivax, inquietus, simulque scrupulosus, & melancholichus; ineptus est pacifico exercitio licèt activæ perfectioni possit esse aptus. Hic in Novissimorum considerationes per modicum tempus exerceatur; in vita verò, & passione Domini mysteriisque fidei, juxta motionem, & affectum debet demorari. Orationis tempus minus sit, quàm lectionis, & extra hæc exercitia, honestam quærat alicujus spiritualis amici conversationem. t. I. n. 75. Si fuerit aridus, inaffectus, & aliquantulum melancholicus, sed nimis patiens, & taciturnus, aptior supradictis erit contemplationi, ad quam est alliciendus; in eo enim Magister fine obstaculo quidquid voluerit, operari poterit. t. I. n. 76. Si fuerit impatiens, inquietus, & ad quemlibet eventum fluctuat, ineptus est contemplationi: In piis verò considerationibus, virtutum exercitio, propriæ voluntatis mortificatione, exactaque obedientia perseveret. Magister interdum virga, interdumque lenitate illum ducat, strictamque rationem de omnibus ei petat. t. I. n. 77. Si fuerit adeo mortuus, qui neque ad bonum, neque ad malum deflectitur, vel si in illa desidia sit impatiens, & magis ad malum, quàm ad bonum inclinetur; ineptus est contemplationi, in illa enim in turpe otium, & illusiones incideret: Iste virga, & calcaribus indiget in Novissimorum meditatione, mortificatione, exercitioque virtutum debet perseverare: Quodsi Magister viderit in hoc proficere, in meditatione vitæ, & passionis Domini poterit illum exercere. t. I. n. 79. Omnes discipuli singulis saltem hebdomadibus de suis defectibus; tentationibus, & spiritualibus exercitiis, tam exterioribus, quàm interioribus, nihil occultando, rationem suis directoribus reddant; ad quod quotidie particulare agant examen. t. I. n. 126.

Distractiones, & tentationes, quæ in oratione animabus eveniunt, qualiter sistendæ, vel contemnendæ, vel fugiendæ sunt? Man. num. 5. & 6. & t. 2. nu. 5.

Dona Spiritus Sancti distincta sunt à Virtutibus; sunt septem, & quare non amplius? t. 3. n. 43. 44. 48. & 49. Necessaria sunt homini ad salutem; quod probatur. t. 3. n. 45. & 46. Sunt habitus, quibus homo perficitur ad promptè obediendum spiritui Sancto. t. 3. n. 47. Inter se connectuntur, taliter ut qui unum habet, habet & omnia: & quare? t. 2. n. 50. & 51. In dignitate sunt inæqualia: Si comparentur virtutibus theologicis, hæ perfectiores sunt illis; si verò virtutibus intellectualibus, & moralibus; non ita. t. 3. n. 52. & 53. *Donum Sapientiæ* unam par-

partem habet speculativam, ex qua contemplatio activa, & passiva oriuntur, & aliam practicam, & quomodo se habeat respectu illarum. t. 3. n. 55. & 56. Quid præstat intellectui, & voluntati? t. 3. n. 57. 58. & 59. Magister affectum voluntatis discipuli hoc dono fruentis suaviter illius lumini applicet. t. 3. n. 59. Actus hujus doni non est apprehensio, sed firmissimum de rebus fidei judicium, cujus habitus, in intellectu subjectatur, & quid operentur in anima dona intellectus, scientiæ, & consilii? t. 3. n. 60. *Donum Intellectus* in ipso recipitur; cum illo humanus intellectus super naturali lumine arcana quæ fides proponit, apprehendendo penetrat, sine affirmatione, aut negatione, cujus actus est causa utriusque contemplationis. t. 3. n. 61. & 62. Per habitus fidei, & donorum sapientiæ, & intellectus unitus anima cum Deo secundum intellectivam partem: & quomodo cognoscet Magister, à quo ex his habitus procedat contemplatio. t. 3. n. 63. usque 65. *Donum Scientiæ* in intellectu recipitur; cum illo agit homo actus supernaturales, & judicat de mysteriis fidei separando vera à falsis, dirigitque juxta hoc humanas actiones. t. 3. n 66. *Donum Consilii* in intellectu recipitur: cum illo homo disponitur doceri à Spiritu S. in his, quæ agere, vel omittere debet, ad consequendam vitam æternam. t. 3. nu. 67. In quo distinguatur à consilio activo, à prudentia, & eubulia. t. 3. num 68. & 69. Animæ perfectissimæ hoc dono solent esse illustratæ. t. 3. nu. 70. *Donum Pietatis* in voluntate subjectatur: cum illo homo primario obsequitur, & amat Deum; secundario verò respicit parentes, & egenos. t. 3. n. 71. *Donum Fortitudinis* in voluntate recipitur: cum illo justus disponitur ad superandam difficultatem in omnibus rebus arduis: & in quo distinguatur à virtute fortitudinis? t. 3. n. 72. & 73. *Donum Timoris* in humana voluntate subjectatur; cum illo Deum humiliter reveremur. t. 3. nu. 76. Timor quadruplex est, & hoc Donum non est ex illis. t. 2. n 77. usque 83.

Dotes animabus in cœlesti Patria conceduntur, quæ sunt septem; ex quibus tres, nempe visio, comprehensio, & fruitio recipiuntur in anima, & quatuor, scilicet, impassibilitas, subtilitas, agilitas, & claritas conceduntur corpori. t. 5. n. 334. & 335.

E

Ebrietas spiritualis à lumine, & amore in anima infusis procedit; paulatim incipit, & progreditur usque dum illam exuberat, & à se extrahit; quæ quasi furens ob divini amoris ardorem, in exteriores motus prosilit, & regulariter in recollectione solet animabus evenire. t. 5. n. 243. Duplex est; una quæ motibus, & insolitis gestibus corporis demonstratur, & cum mentis turbatione, & hæc ebrietas propria est incipientium, & proficientium: alia est quæ gaudet quiete in mente, & corpore, & hæc propria est perfectorum; quæ ecstasim facit, & ad hanc pertinet sana spiritus insania, ut ex Paulo, & Moyse constat: Unde colligitur, non sana insanire insania aliquas mulierculas, sed simplicitate, aut lunatico spiritu. t. 5. 244. & 245. Magister qualiter debeat examinare hujusmodi ebrios (maxime mulierculas) à quo spiritu procedant illorum motus, gesticulationes, verba amatoria in D.um, & his similia, & quomodo illos diriget? t. 5. un. 247. usque 253.

Ecclesiasticos juxta eorum ministeria Magister dirigat, ut perfectè suo muneri satisfaciant. t. 1. n. 114.

Ecstasis supernaturalis est: elevatio mentis in Deum cum abstractione à sensibus exterioribus, ex magnitudine illius elevationis procedens, t. 5. n. 203. In quo distinguatur à deliquio materiali, vulgo *Arrobamiento*? t. 5. nu. 205. & 206. communicatio est status perfecti, & saltem per passivam purgationem sensus jam purgati, & in sui operatione à materialitate sensus abstracti; & in quo differat ab intima recollectione spiritus? t. 5. n. 208. & 209. In ecstasi regulariter conceditur animæ reflexio objecti cognitu,

gniti, vel clare, vel obſcure; Dœmon nequit illam effingere, quia ſine phantaſmatibus nequit in anima operari, ut agit in materialibus deliquiis. t. 5. num. 311. & 312. Magiſter quomodo cognoſcet differentiam ecſtaſum, ut dirigat animam illas patientem. t. 5. n. 313. & 314.

Eleemoſyna quæ à diſcipulis Magiſtro offeruntur, ut eas pauperibus diſtribuat, nullatenus eas accipiat; ſed illis injungat, ut per illorum manus pauperibus erogentur, & ita avaritiæ ſuſpicionem evadet. t. 1. n. 124.

Elevatio corporis quæ aliquibus animabus in ſtatu matrimonii ſpiritualis conſtitutis evenire ſolet, provenit à lumine, & amore infuſis, ſed altiſſimis, & vehementibus: In illa à ſenſibus anima alienatur, quin illis aliquid patiatur; corpus ejus in aere elevatur, ibi per longum tempus perſeverat, & tam leve redditur, quod ad quodlibet flabellum movetur, & vultus ejus apparet ſplendens, & rubicundus. t. 5. n. 316. In quo differat à deliquio materiali, ecſtaſi, & raptu? & quomodo eveniat animæ? t. 5. n. 318. uſque 323. Proponuntur difficultates circa cauſam hujus elevationis, quibus ſatisfit. t. 5. nu. 324. uſque 330. Probatur, cauſam hujuſmodi elevationes eſſe quamdam participationem dotium gloriæ, tam in anima, quàm in corpore elevati. t. 5. cap. 30. per tot. Magiſter animam hoc favore præditam (extra cujus arbitrium ſit) curet in humilitate, & dejectione conſervare; quia dum in hac vita degit, obnoxia eſt peccatis, & qualiter ſit dirigenda? t. 5. 344. uſque 349. Dœmon qualiter effingere poſſit hanc elevationem, & quomodo ſit cognoſcendus? t. 5. num. 349.

Energumeni qui à malo ſpiritu ſunt poſſeſſi, non ope maleficii, ſed propter divinam permiſſionem ad illorum probationem; ſi Magiſter hoc dubitaverit per quæ ſigna hoc cognoſcere poterit? & qualiter energumenum dirigere, & mederi valebit? t. 6. n. 61 & per tot. cap. 6. Qui ope maleficii à Domino poſſidentur habent alia ſigna diverſa ab antecedentibus, & quæ ſint? qualiterque dirigendi? & Dœmones compellendi ut manifeſtentur? t. 6. num. 70. uſque 81.

Equites, & Magnates non cogat Director ut vilia, & à ſuis ſtatibus aliena exerceant, ſed chriſtiane, & perfecte in omnibus illos ordinare ſatagat. t. 1. n. 114.

Eucharistia Sacramentum bis in hebdomada ſumere poſſunt animæ quæ per viam illuminativam progrediuntur. Man. num. 39. Quotidiana communio, nec laudatur, nec vituperatur. Ibid.

Examen conſcientiæ Magiſter diſcipulis injungat, ut quotidie veſpertino tempore illud agant. t. 1. n. 126.

F

Favores ſupernaturales non ſunt habitus permanentes, ſed recipiuntur in anima per modum paſſionis, & impreſſionis tranſeuntis, & hoc gratis, & citra illius meritum, licet regulariter præcedat aliqua animæ diſpoſitio. t. 5. num. 4. Hæc paſſio vitalis eſt, quia nequit fieri ſine cooperatione ipſiuſmet viventis, & licet in favorum receptione anima non ſit libera, prætermiſſa verò infuſionis efficacia libera remanet ad conſervandum, vel rejiciendum illum favorem. t. 5. & 6. Diriguntur ad illuminandum intellectum, inflammandamque voluntatem in divino amore, & nihil aliud per eos ſubſtantialiter animæ communicatur, quorum immediatus infuſor eſt Divinus Spiritus. t. 5. n. 7. & 8. Medulla, ſive ſpiritus favorum eſt illa excitatio, quæ oritur ex lumine, & amore in anima infuſis mediantibus favoribus, & illorum cortices ſunt materialia illa, & externa viſionum, revelationum, & locutionum, & cæterorum favorum ſenſibilium, quæ (aſſumpta tantummodo excitatione in Deum) relinquenda ſunt, & repudianda. t. 5. n. 9. Hoc lumen, & amor magis, vel minus valide recipiuntur in anima in quolibet ex ſupernaturalibus favoribus juxta ſta-

statum, & dispositionem illius, & ideò in aliquibus causant visiones, locutiones, materialia deliquia, & alios sensibiles favores: In aliis causant ecstases, raptus, spiritualia deliquia, &c. quæ sunt effectus hujus luminis, & amoris infusi. t. 5. n. 10. usque 16. Dividuntur hujusmodi favores in visiones, revelationes, locutiones, & spirituales sensificationes. t. 5. n. 17. Favores supernaturales, qui viris perfectis fiunt, regulariter illorum sensus dolore, & afflictione privant, unde statum, & perfectionem animarum poterit conjectari Magister. t. 6. num. 186. Anima si à sensibus alienatur ob aliquem supernaturalem favorem, ut Magister cognoscat an à malo, vel bono spiritu, aut corporis infirmitate procedat, cum sic suspenditur, ei interius præcipiat, quòd ad sensus revertatur: Quod si statim obedierit, à bono spiritu ducitur, si autem non paruerit præcepto, à malo spiritu, vel corporali infirmitate oritur eis allenatio; excepto deliquio materiali bono, in quo spiritus promptus est, caro autem ob sensuum impinguationem tarda est ad obediendum. t. 5. nu 287. 350. & 351. Animæ quæ his favoribus gaudent, enixè petant à Deo, quod omnia exteriora, quæ admiratione hominum sunt exposita, ab eis omnino auferat. t. 5. n. 196. & 348.

Fides dividitur in divinam, angelicam, & humanam. t. 2. n. 85.

Fructus Spiritus Sancti non sunt habitus, sed actus, aut fructus procedentes ab habitibus virtutum, & donorum Spiritus Sancti. t. 3. n. 83. & 84.

G

Gratia sanctificans recipitur in animæ substantia, & non in ejus potentiis. t. 2. n. 72. Principium, & radix est virtutum, & donorum Spiritus Sancti. t. 3 nu. 29. Illa deperdita simul amittuntur habitus virtutum infusarum, & theologicarum, in quantum sunt perfectæ virtutes in ea, & in suis actibus: Virtutes verò apparentes, & virtutes veræ licèt imperfectæ, non deperduntur. t. 3. nu. 31. usque 42.

Gratia gratis data in communi est: quoddam donum, sive auxilium, quo homo ad justificationem alterius cooperatur; unde sequitur hominem absque propriis meritis illam à Deo recipere, non ad sui justificationem, sed ad proximi Profectum, & potest reperiri in homine gratia, & charitate destituto. t. 4. nu. 1. & 2. Hæ gratiæ sunt novem ibi numeratæ, & quid operentur in recipiente? t. 4 n. 3. 4. & 5. Sunt longe inferiores gratiæ sanctificante. t. 4. nu. 7. Prima gratia est: *Sermo sapientiæ*, & est: habitus à Deo infusus, quo homo sublime, & profunde judicat de rebus divinis, taliter quod possit eas alios docere, & recipitur in intellectu. t. 4 nu. 9. Communiter hęc non conceditur mulieribus, & quare? Magister quomodo se gerere debeat circa hanc gratiam discernendam, & in discipulo dirigendam? t. 4. n. 10. usque 17. *Gratia scientiæ* est: habitus, qui in intellectu recipitur, & respicit ad penetrationem, & explanationem divinorum per verba, comparationes, & argumenta, quibus ea stabiliat, doceat, defendat, & adversarios confundat. t. 4. num. 18. Regulariter conceditur Doctoribus, Prædicatoribus, & Operariis Evangelicis, quia quaslibet gratias Deus regulariter communicat illis, quibus sunt propriæ, secundum sexum, statum, & occupationem eorum. t. 4. num. 20. 21. & 22. *Gratia Fidei* est: habitus, qui in intellectu recipitur, & est specialissimum lumen, quo homo profunde penetrat mysteria fidei, taliter ut possit alios erudire; sed hoc sine ornatu verborum, & absque probationibus, & argumentis, & invenitur interdum in hominibus, & mulieribus simplicibus, & idiotis. t. 4. nu. 23. Magister cum discipulis hac gratia præditis quomodo se gerere debeat? & qualiter ab indiscretis collocutionibus prætextu spiritus, & maximè cum mulieribus, illos secernere debeat. t. 4. n. 25. usque 28. *Gratia sanitatum* est: habitus, quo homo ut instrumentum Dei miracula operatur, in-

ordine ad salutem corporum. t. 4. n. 29. Magister quomodo in discipulis cognoscet hanc gratiam esse veram? Illos caute, prudenter, & humiliter debet instruere ad has sanitates operandas. t. 4. num. 30. usque 37. *Gratia operationis virtutum* ordinatur ad aliqua portenta, & prodigia operanda, supra naturalem potestatem, quæ solius potentiæ divinæ sunt: In cæteris cum antecedenti convenit. t. 4. num. 38. Illusiones Dæmonum circa hæc prodigia ponuntur, ut caute procedat Magister. t. 4. num. 39. usque 47 *Gratia Prophetiæ* est quoddam supernaturale lumen, quo res futuræ, aut occultæ manifestantur, & agnoscuntur, cujus finis utilitas est proximi. t. 4. num. 48. Actus prophetiæ est certus, & infallibilis, quia ejus auctor est Deus. t. 4. n. 50. Quantum ad nostram intelligentiam sæpius in illis fallimur; unde convincitur error Magistrorum, & aliorum qui in vaticiniis, & revelationibus Mulierecularum credunt, evulgant, & per revelationem petunt ab illis responsum de aliquo, & hi omnes maximis Dæmonum illusionibus exponuntur. t. 4. n. 52. usque 59. Non datur habitus hujus gratiæ. t. 4. num. 60. Quid sit lumen propheticum? & quot sint prophetiæ? t. 4. cap. 8 per tot. Quare hæ, sicut cæteræ gratiæ gratis datæ possint reperiri in homine gratia, & charitate destituto? & de fallaciis Dæmonum circa has revelationes, seu prophetias, & de instructione Magistri circa illa. t. 4. cap 9. per tot. *Gratia discretionis spirituum* est: quidam habitus vel supernaturale lumen, quo occulta, & interiora cordium manifestantur, & recipitur in intellectu, vel ad solam penetrationem interiorum, vel simul etiam ad directionem illorum. t. 4. nu 79. & 80. Diversimode hoc lumen animabus infunditur, & regulariter in modo Deus se accomodat statui recipientis. t. 4. nu. 81. usque 85. Magister quomodo cognoscet à bono, vel malo spiritu ministratam esse hanc intelligentiam? & qualiter se geret cum anima illam recipiente? t. 4. num. 86. usque 89. *Gratia linguarum* est: quidam habitus infusus, quo faciliter homo omnium gentium linguis, & idiomate loquitur. t. 4. num. 181. Altera sententia, ait hanc gratiam consistere in eo, quod loquendo in proprio idiomate, illum intelligant omne diversi idiomatis audientes, & utroque modo accidit. t. 4. num. 182. usque 186. Hisce temporibus hæc gratia regulariter reducitur ad faciliter addiscenda diversa idiomata, sicut evenit Missionariis: t. 4. num. 188. Si persona non spiritualis, & idiota loquatur linguam latinam, vel aliam à suo idiomate alienam, Magister diligenter attendat ad ea quæ profert, quia plurimis sunt fallaciis exposita, maxime in vaticiniis, instructionibus, &c. possunt esse à malo spiritu possessæ hujusmodi personæ: Si sit persona spiritualis, similiter cautissime omnia perpendat, quia regulariter hæc gratia solum in strictissimo casu in remotissimis partibus à Deo solet concedi, & extra maximam necessitatem minime permittat idiotis, nec fæminis latine loqui, nec loca Sacræ Scripturæ, nec Sanctorum sententias proferre: Quod enim frequenter accidit hujuscemodi personis, valde spiritualibus est, verba Sacræ Scripturæ ad suum profectum intelligere; & Spiritus divinus eas impellit, nec publice latine loquantur, sed solum quando necessariissimum est, & tunc ut lingua materna sententias Sacræ Scripturæ proferant. t. 4. num. 189. in 190. *Gratiæ interpretationis sermonum* est: habitus infusus, quo homo non solum penetrat mysticum, & arcanum sensum sacrorum verborum, sed etiam aliis interpretari, & explanare potest, & hoc sapienter, venuste, & efficaciter. t. 4. n. 193. Regulariter conceditur hæc gratia viris Apostolicis, Doctoribus, & his quibus competit munus docendi & prædicandi, & fœminis quando concedatur? t. 4. n. 194. Magister moneat his quibus competit munus docendi, prædicandi, vel animas dirigendi, quod doctrinas novas fugiant, & à subtilibus discursibus, & quæstionibus se abstineant; Scripturam Sacram juxta usum Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum expositionem interpretentur; quorum sententias recitent, & venerentur; neque in via spiritus com-

pen-

pendia periculosa effingant, sed communi, & trito gressu per tres vias juxta statum animarum illas dirigant; licèt aliquando si experientia aliquid novum illum doceat, non contrarium doctrinæ Catholicæ, nec Sanctis Patribus, & validis roboratum fundamentis, simplici animo docere poterit, se subjiciendo meliori intelligentiæ, & correctioni. t. 4. n. 195. & 196.

H

Habitus virtutum, & donorum subjectantur in potentiis animæ, & non in ejus substantia. t. 2 n. 72.

Homo indiget appetitu sensitivo. t. 2. n. 22. In puris naturalibus constitutus incapax est unionis divinæ, & quare? t 2. in præfat. Sensitivus est, & rationalis; vocatur mundus parvus; capax est cognitionis, & amoris divini, & factus ad imaginem, & similitudinem Dei. t. 2. in præfat. Dicitur homo interior, in quantum componitur ex animæ substantia cum suis potentiis spiritualibus, nempe intellectu, memoria, & voluntate. Dicitur exterior, in quantum componitur ex anima unita corpori organico, qui habet quinque sensus exteriores, & duos interiores, scilicet sensum communem, & appetitum materialem sensitivum; in his convenit homo cum brutis. t 2 n 2.

Humanitas Sanctissima Christi Domini quomodo ab anima in via illuminativa constituta, sit considerranda, ut ex illa fructum, & profectum capiat. Man. n. 24. usque 34. Qualiter ejus præsentia circa suam divinitatem, simul & humanitatem sit exercenda. Man. nu. 42. In nullo orationis gradu relinquenda est, quia cuilibet contemplationi, licèt altissimæ, non obstaculum, sed potissimum est adminiculum, & qualiter in activa contemplatione anima eam inspiciet? Man. n. 55. & 56. Per hanc Sanctissimam Humanitatem in Divinitatem Dei introeant animæ, dum active operantur; quia per illam venimus ad Patrem, & hoc sit exordium orationis, vel contemplationis in quolibet perfectionis statu, cujus mirabiles in animabus effectus enumerantur. Man. nu. 64. & 66. Memoriæ alicujus mysterii Sanctissimæ Humanitatis, quæ supernaturaliter à Deo animæ in oratione constitutæ infunduntur, nec positive tunc sunt investigandæ, nec expellendæ, sed passive recipiendæ, quia cum illis maximopere augetur amoris flamma: Quando à bono, vel à malo spiritu procedant? ut primæ humiliter recipiantur, & secundæ omninorejiciantur. Man. n. 70. & 71.

I

Imaginatio est cathedra pestilentiæ, in qua Dæmon sedet, & sua perversa dogmata docet. t. 5. num. 50. Appellatur sensus communis, quia in se recipit omnes species objectorum, quæ à sensibus exterioribus percipiuntur: Est potentia materialis cognoscitiva, quæ species materiales objectorum conservat, ut iterum per easdem ipsa objecta valeat cognoscere, & sub ratione convenientiæ, vel incommoditatis illa exhibet appetitui sensitivo. t. 2. num. 4. Varia referuntur imaginationis nomina, ob diversa officia. t. 2. num 7. & 8. Illius molestia nullatenus orantem conturbet, si involuntarie se habeat, & ad illam sedandam, non violenter, sed suavi despectu, & elevatione mentis in Deum se gerat anima, patienter tamen illam sustinendo. t. 2 nu. 5. Situs imaginationis est in cerebro in parte fronti proximiori, & enumerantur damna illorum, qui in oratione magis traduntur imaginationi, quàm ponderi rationis. t. 2. nu. 20.

Impetus supernaturales oriuntur ex lumine infuso, simul & impatienti amore Dei, sunt vel materiales, vel spirituales: Materiales fere semper fiunt animæ non recollectæ, & hoc repente, & improvise, cum dirissima pœna, simul & suavi gaudio, & anima in extraordinarios motus prorumpit, quod

quod diversimodè contingit: aliquando ex aliqua supernaturali visione, quæ in appetitu sensitivo redundat, oriuntur, & quos effectus in anima materiales impetus producant? t. 5. num. 156. usque 163. Non possunt, nec homo, nec Dæmon hujusmodi impetus juxta lumen, & amorem infusum producere; nec Dæmon sapidam pœnam potest effingere: Si autem aliquos in animabus impetus effingat, quos effectus habebunt? t. 5. n. 163. 164. & 165. In impetu spirituali lumen, & amor illum producentes, altiores, & validiores sunt quàm in impetu materiali, sed nullos violentos pariunt effectus in anima, siquidem jam est sufficienter purgata, & aliquando in ecstasim terminantur, & Magistro nihil in illo restat agendum. t. 5. n. 166. 167. & 168. Impetus materiales communiter præcedunt purgationem passivam spiritus, & quia sunt sensibiles, & imperfecti, debent ab anima moderari, & pacificari; non violenter, sed suaviter, aliter enim multum noceret naturæ, & hoc fiat, divertendo imaginationem in aliud honestum objectum, vel in secreto loco vocibus, & suspiriis cor oppressum respirando, & ad simplicem cognitionem Dei, & amorem assurgendo, nulla admittendo phantasmata in imaginatione, ut sic appetitus irritatus paulatim conquiescat. t. 5. n. 168. 169. & 170. Si à Dæmone processerint, muniat animam Magister, ut dicitur in visionibus à malo spiritu procedentibus. t. 5. nu. 171. Si aliquis ad Magistrum accedat, qui ex fervorosa meditatione, vel sensibili devotione in affectus impetuosos movetur, in desideria martyrii, conversionem infidelium, vel peccatorum, & his similia, quomodo cognoscet, si à spiritu divino, diabolico, vel lunatico procedant; & qualiter cum illo segerere debeat? t. 5. num. 172. usque 176.

Incipientibus non ministretur esca perfectorum, ne in turpe otium incidant. Prolog. n. 1. & 2.

Intellectus humanus definitur. t. 2. nu. 73.

Infallibilitas triplex tract. 2. numer. 87.

Dividitur in agentem, & patientem. t. 2. num. 74. Triplicem operandi modum habet; nempe, per simplicem, & simplicissimam apprehensionem, judicium, & discursum, & qualiter hoc fiat? t. 2. n. 75. & 76.

Intellectio, sive actio immanens, & verbum mentis quid sint? t. 2. nu. 77. Cum hoc verbo, vel conceptu, intellectus cum se ipso loquitur. t. 2. num. 78. Cognitio intellectus una dicitur directa, & alia reflexa: Directa fortior, & intensior est reflexa, & ex ea oritur timor his, qui contemplantur Deum, quia cogitant nihil illos agere, dum hac cognitionem occupantur, in quo clare falluntur, & quare? t. 2. nu. 79. 80. & 81. Dividitur etiam cognitio, in certam moraliter, physice, & metaphysice t. 2. nu. 86. Cognitio intuitiva, & abstractiva exponuntur. t. 2. nu. 88. Cognitio comprehensiva, perfecta, & imperfecta, & cognitio Dei quoad an sit, & quoad quid sit, explicantur. t. 2. num. 91.

Intellectus in statu naturali non potest cognoscere, nisi se convertendo ad phantasmata; sed modo supernaturali per species ab habitu fidei ministratas, & non per sensum sumptas, potest Deum cognoscere. t. 2. num. 92. Nobilior est intellectus voluntate, & hoc sumitur ab objectis harum potentiarum. t. 2. num. 93. Domicilium intellectus est in anima, prout est in media parte capitis; quia ibi suos exercet actus. t. 2. num. 94.

L.

Labores, & afflictiones quas animæ patiuntur, non semper sunt signa passivæ purgationis; quia multoties ad earum meritum, & coronam, vel aliorum exemplum torquentur, & enumerantur aliquæ causæ harum afflictionum, & qualiter fint hæ animæ dirigendæ. t. 6. nu. 168. usque 178. Animæ quæ à sua infantia maximis laboribus, afflictionibus, & Dæmonum impugnationibus probantur

tur, quæ in humilitate, & charitate, potius quàm in aliis virtutibus splendent, quæ aliquando ad sustinendos labores à Deo maximis favoribus roborantur; probatur, illas non esse in ulla ex passivis purgationibus, sed in mera probatione ad proprium meritum, vel ad impetrandam proximis salutem. t. 6. num. 179. usque 183. Hæ animæ à Deo moventur, ut pro peccatoribus orent, patiantur, & imminentem divinæ justitiæ gladium, quo mundum everteret, suspendant. t. 6. n. 183. 185. & 186. Qualiter prædictæ animæ, & aliæ quæ in sensu extra purgationem patiuntur, sint medendæ, & dirigendæ? t. 6. n. 187. usque 192.

Lachrymæ bonæ, & activæ sunt magis, vel minus perfectæ, juxta perfectius motivum quod habent in anima. t. 5. n. 138. usque 144. Has lachrymas aliis videntibus debet anima reprimere, & in abscondito loco plorare, ac in Deum amatorie consurgere, ut sic cor ejus pacificari possit. t. 5. n. 145. Lachrymæ perfectæ, & passivæ, quarum causa omnino supernaturalis est, & infusa; nempe, supernaturale lumen infusum, una cum ardore charitatis, juxta statum perfectionis animæ sunt, vel doloris, vel pœnæ impatientis, vel amoris vulnerati; & hæc tria genera lachrymarum explicantur, cum practica doctrina in singulis. t. 5. num. 146. usque 152. Dæmon non potest hujusmodi lachrymas effingere, juxta earum motiva. Si tamen per sensus se in illis ingerat, per motiva, & effectus clare dignoscetur, & similiter si proveniant ab infirmitate debilis naturæ, & non ab infuso dono. t. 5. n. 153. & 154.

Languor divinus, sive ægritudo divini amoris, ab activitate ipsiusmet amoris procedit, & tanto crescit, & suavior redditur, quanto amor crescit, & perficitur, qui sic definitur. Affectio quædam de absente dilecto, amantem conficiens. Duplex est, unus proficientium, & alius perfectorum. t. 5. n. 262. & 263. Quos effectus in proficientibus producit? & si corpus ægrotat, qualiter sit medendum, & anima evacuanda? t. 5. nu. 264. 265. & 266. Languor perfectorum in causa cum antecedenti convenit; in effectibus verò, & statu ab illo differt. t. 5. num. 267. & 268. Iste consistit in pœnosissima quadam abstractionem, qua suspensa anima, & divino amore contacta, nec terrena quæ fastidit, vult sequi; nec cœlestia quæ ardenter appetit, ad votum suum consequi potest, unde delicatus languor in illa resultat: quos effectus producat? quæ damna afferat? & qualiter anima quæ illos patitur, sit medenda, & dirigenda? t. 5. nu. 269. usque 273.

Libros mysticos, & spirituales revolvere debet Magister, ut discat quod convenit ad instruendas animas in omnibus eventibus, statibus, exercitio virtutum. Man. n. 14. & 15. Hos nullatenus permittat legere illis qui jam viam supernaturalem ingrediuntur. tr. 5. num. 114.

Liberum arbitrium. Vide verb. *Voluntas*.

Locutiones per verba supernaturaliter à Deo infusa fiunt animabus in oratione, vel extra illam, & hæc verba sunt, vel successiva, vel formalia, vel substantialia. t. 5. num. 79. *Verba successiva* sunt, quæ videntur animæ in se ipsa recollectæ ab alio (licèt non clare) ei proferre, & mutuo colloquio cum illo versari circa aliquam veritatem quam intuetur: In his falaciæ Dæmonum, & proprii intellectus vivacitas possunt immisceri, maxime in mulieribus, & qualiter sint hæ locutiones discernendæ? t. 5. num. 80. usque 85. Magister doceat animas hæc verba, licèt bona sint, renuntiare, & assumpta eorum excitatione per simplicem cognitionem, & amorem in Deum assurgere, & hoc ratione probatur. t. 5. num. 86. & 87. *Locutiones per verba formalia* fiunt animabus ut in successivis; sed in eis clare percipiuntur, non à se, sed ab alio fieri, & finis eorum est, illam de re aliqua erudire, & effectus non sunt magni momenti, & in uno verbo plura comprehenduntur. t. 5. num. 88. 89. & 90. Possunt esse proprii conceptus, maxime in melancholicis, & aliquando Dæmonis fraudes, simulantis se per imaginationem, & quomodo hoc cognoscatur? t. 5. num. 91. usque

que 95. *Locutiones per verba ſubſtantialia*, quæ ſunt etiam formalia, fiunt ſicut antecedentes; ſed ab illis diſtinguntur in eo quod ſubſtantialia verba in anima vere imprimunt id, quod ſignificant, quin eorum receptionem, nec effectus poſſit anima impedire, & excelſam continent majeſtatem, & aliquando per totam vitam remanent ſculpta in animo. t. 5. num. 96. Mirabiles ſunt in anima hujuſmodi verborum effectus, & nec à Dœmone, nec à proprio intellectu poſſunt effingi. t. 5. nu. 97. & 98. Si Dæmon in horum verborum apparentia ſe diſſimulet, quomodo cognoſcatur? t. 5. num. 99. 100. & 101. Si aliquis ad Magiſtrum accedat, affirmans, ſibi factam fuiſſe aliquam ex his locutionibus ſubſtantialibus, qualiter debeat examinare, an vera ſit, vel falſa? & ſi vera, corticem doceat renuntiare, excitationem verò aſſumere, ut ad Deum anima per cognitionem, & amorem aſſurgat. t. 5. nu. 101. uſque 105.

M

Magiſter ſpiritualis maximopere eſt neceſſarius ad directionem animarum. Prolog. num. 3. Priuſquam aliorum ſpeculator fiat, ſe ipſum ſpeculetur, & in ſe debet intueri ingentem profectum in oratione, omnimoda mortificatione, exercitioque virtutum, & non aliter hoc munus ſuſcipiat niſi cum conſilio ſui Directoris, vel viri pii, & docti, qui nulla paſſione ductus ei conſilium præbeat. tr. 1. num. 23 & 24. In abſtractione creaturarum, internaque ſolitudine per multum tempus prius ſe exerceat. tr. 1. num. 25. 26. & 27 Sit docilis, & inaffectus, ut cum animæ altiori indigeant doctrina, quam ille ſcit, ad alios eas mittant. t. 1. num. 28. & 29. Sit modeſtus, & gravis, ſtrictique ſilentii obſervator, ne alicui dicat, quod in ſecreto ab animabus accepit, niſi quando ad ædificationem, vel aliorum utilitatem conveniat, & tunc ſuppreſſo nomine diſcipuli, & ſuo. tr. 1. nu. 31. 32. & 33. Sit in operationibus, verbis, & reſolutionibus temperatus, & ponderoſus. tr. 1. num. 34. Si negotiam illi conſultum ſit grave, tempus ſibi aſſumat ad illud Deo commendandum, ut ſecurius ſe determinet: Si ſtatim illud ſit agendum, in ſe ipſo recollectus petat à Deo conſilium bonum. t. 1. num. 35. Sit modeſte hilaris, circumſpectus, & ſolitarius; fugiat nimiam familiaritatem cum ſuis diſcipulis, nec eos frequenter in eorum domibus viſitet, & aſſidue inveniatur in loco confeſſionum, in cella, vel in domo. tr. 1. num 136. 137 & 138 Cum filiabus ſpiritualibus ſit magis circumſpectus, & abſtractus, quas nunquam viſitet, niſi urgenti neceſſitate. t. 1. n. 39. 40. & 41. Sit omnibus æqualis; ſi converſationi fœminarum ſit nimis deditus, illum movet occulta libido, & non eſt illis aptus. t. 1. num. 42. & 43. Sit ſine affectatione exultus, & mundus; immunditia enim exterior non eſt virtus, nec ſanctitatis ſignum. t. 1. num. 44. In Theologia ſcholaſt ca ſit ſufficienter inſtructus; in myſtica verò, & viis ſpiritus multum verſatus, & doctus; ad quod plurimos debet myſtarum revolvere libros, ut animas per vias illis proprias dirigat, ſe accommodando aptitudini, & capacitati cujuslibet. t. 1. num. 45. 46. & 47. Præditus ſit maxima prudentia, tam reſpectu ſui ipſius, quàm diſcipulorum; fugiat extrema, teneatque medium in virtutibus, mortificationibus, cæteriſque piis operibus, & ſpiritualibus exercitiis, obſervando tempora, loca, ſtatus, humores, profectum, labores, aliaſque quaſlibet circunſtantias. t. 1. num. 48. 49. 53. & 54. Orationis tempus viribus, ſtatuique animarum accommodet, ne ob longum, vel modicum tempus illis damnum inferat. tr. 1. num. 55. Illos qui orationem horrent, ſuavi lenititudine ad eam allicere debet, ut faltem per quadrantem ſua noviſſima conſiderent, vel ſe præſentent ante pedes Crucifixi, illum conſiderando, vel adorando, juxta eorum capacitatem. t. 1. nu. 56. Omnes occaſiones graviter peccandi omnino, in

no in animabus resecet ; deordinatas, verò passiones, non omnes simul ; sed de una in aliam, de facilibus ad difficilia procedere conetur. t. 1. n. 57. Non expavescat ob defectus incipientium, nec miretur aliquando illos in mortale peccatum incidisse, ne eos terreat, arceatque à debita lapsuum eorum manifestatione ; sed humaniter ad emendationem, dolorem, & perseverantiam in virtutes eos alliciat. t. 1. n. 59. incipientibus licèt tepidis, & remissis, numquam dicat, illos minime profecturos, ne illos exanimet, perturbet, & desperet ; sed caute confirmet, eos jam excusando, jamque efficaciter corrigendo. t. 1. n. 60. Aliquando sit lenis cum severitate, scilicet cum animabus jam multoties de suis defectibus correctis, & negligentibus ad media illis proposita assumenda. t. 1. num. 61. Sit magnanimus, dilatatique spiritus, & si à natura sua sit pusillanimis, sciat dissimulare, & cum libertate spiritus dirigat animas. t. 1. nu. 64. Animas in passivis purgationibus constitutas non affligat, nec oneret ; sed eas consoletur, confortet, & foveat cum spe futuræ tranquillitatis, & in rebus arduis, oret, libros revolvat, virosque pios, & doctos consulat. t. 1. nu. 65. & 66. Unitivam perfectionem ad quam animæ poterunt devenire, & earum vocationem, unde conjectari poterit? t. 1. n. 103. & 104. Solas illas animas sibi regendas assumat, quas possit commode, & solicite gubernare. t. 1. n. 109. Nullius directioni se offerat, sed tantum illas admittat, quas Deus illi miserit. t. 1. num. 110. Moneat animam ad suam directionem admissam, quod jam amplius non habeat velle, & nolle, sed in omnibus, & per omnia illi sit obediens, & non aliter eam admittat: Quod si sit pusillanimis ad hanc totalem subjectionem; eam per aliquod tempus probet; quæ si non resipiscat, illam rejiciat. t. 1. n. 111. Sit solicitus in animarum perfectione curanda, ne suum profectum parvipendant. t. 1. n. 120. Suæ commoditati non sit nimis deditus, deficiendo necessitatibus, & consolationibus animarum. tr. 1. num. 121. A suis discipulis nullum munusculum, vel donum quovis prætextu accipiat : aliter enim plurima in se, & discipulos damna inferet. tr. 1. num. 122. & 124. Postposita omni attentione, arguat, obsecret, increpet in omni patientia, & doctrina ; prudenter verò, & charitative. t. 1. num. 125. Singulis saltem hebdomadibus discipulis suis injungat, ut de omnibus suis ei rationem reddant : Si verò renuerint ei omnes suos defectus, & eventus manifestare ; illos charitative moneat : Quod si sæpius moniti non resipiscant, eos à se ejiciat. t. 1. n. 126. Rebus supernaturalibus extraordinariis non sit affectus, sed potius in se, & in aliis amet viam tritam, & securam, tendentem per mortificationem, exercitiaque virtutum. t. 5. n. 352.

Mariæ Sanctissimæ memoriæ, quæ in contemplatione animabus infunditur, si à bono spiritu procedant, passive, & humiliter sunt recipiendæ ; multum enim proficiunt, & contemplationi maximopere officiunt. Man. n. 72.

Martyrii desideria quæ sint vera, & quæ falsa, & quomodo in omnibus statibus sint cognoscenda, ut secure in illis se determinet magister? t. 3. num. 73. & 74. & 75.

Matrimonium spirituale animæ jam purgatæ cum Deo, juxta suum divinum beneplacitum, initiatur in hac vita, ut in futura perficiatur, & est quidam specialissimus, & præ cæteris omnibus altissimus Dei contactus, quo anima secundum omnes suas spirituales potentias sublimiter elevata, & disposita, ita intime, & totaliter unitur Deo, quod aliquo saltem modo deiformitatem induisse videatur. t. 5. n. 299. & 300. Mirabiles ejus effectus enumerantur per totum cap. 28. Magistro fere nihil cum hac anima restat agendum, siquidem regulariter à Spiritu S. in omnibus docetur, & gubernatur. t. 5. n. 315. Actus inchoationis illius regulariter fit per visionem imaginariam, licèt interdum per spiritualem, & si Dœmon in hoc aliquid effingat, quomodo cognoscetur. t. 5. nu. 313.

Meditatio non aliter relinquenda est, nisi quando à Deo movetur, vel vocatur anima ad tranquillam pacem, sanctum-

que otium in termino meditationis : Prolog. n. 6. & t. 1. n 93. Si sit assidua, generat habitum, quo faciliter in termino illius conquiescit anima, & hæc est activa contemplatio, à qua non est retrocedendum, dum sic occupata fuerit anima. Prolog. n. 7. & 8. Meditatio quæ ad contemplationem acquisitam non transit, aut infructuosa, aut periculosa est, siquidem illa se habet ut medium ad finem. Prolog. n. 10 In exordio vitæ spiritualis fere omnibus placet meditatio, & ex illa sensibilem extrahunt devotionem; Deus enim cum animabus se habet ad modum operantis, & recipientis, & ex hoc non sequitur, ineptas illas esse ad contemplationem. t. 1. nu. 101.

Memoria in actu primo, & secundo, quid sit? t. 2. n 95. & 96. Deus non indiget speciebus ad cognoscendum, nec habet memoria, quia semper est in actu cognoscendi. t. 2. n. 97 Species memoriæ unde excitentur quando de aliquo recordamur? t 2. n. 99. & 100. Distinguitur formaliter, & non realiter ab intellectu, per rationem scilicet, connotata, & officia, & quare sic? t. 2. n. 101. Domicilium illius est in parte extrema, vel occipitio captis; ibique intellectus exercet actus hujus potentiæ. t. 2. num. 102. Multum curare debet Magister cum suis discipulis in ordinanda hac potentia. t. 2. n 103.

Mystica Theologia, & Scolastica licet germanæ sint, mystica alia habet principia, & diversos modos, qui regulariter magis per experientiam, quàm per scientiam comparantur. t. 1. n. 47

Mulieres regulariter aptæ sunt sanctæ quieti, sed maxima cum cautela probet eas Magister, antequam in contemplatione constituat, nempe in exercitio virtutum, in mortificatione, & per multum tempus in sanctis meditationibus; quæ si affirment, se in otio, simplicique Dei notitia statim conquiescere, non faciliter sunt credendæ, quia à natura sua sunt desides, affectuosæ, pigræ, & humidæ, ex quibus illa quies oriri potest. Sunt etiam debilissimæ, imaginativæ, fallaces, inconstantes, proprioque judicio, & voluntati nimis adhærentes, & indigent in omnibus mortificari. t. 1. n. 80. Qualescunque illæ sint, in rebus supernaturalibus sunt valde suspectæ, & Dæmonis fallaciis, proprio acumini, & mendaciis plus aptæ, & dispositæ, quàm viri. t. 3. n. 353. Numquam eis permittat, quod visiones, revelationes, & alia hujusmodi mirabilia alicui manifestent, nec scribant, nisi ad majorem expressionem, & notitiam sui Directoris, & tunc statim comburat has relationes, & scripturas; nec earum virtutes, & dona scribat Director, nisi quando ad hoc fuerit à Deo inspiratus; sufficiunt enim tot scripta jam in Ecclesia approbata. t. 3. n. 354. usque 358.

N

Novissimorum meditatio peculiaris est statui incipientium viam purgativam, licèt interdum necessaria sit in aliis statibus. Man. n. 17.

O

Oratio mentalis qualiter edocenda est incipientibus? Man. n. 4. & 8. In his non sit diuturna, nec ultra duas horas permittat Magister illos meditari; qui si flexis genibus orare nequeant, sitent, vel sedeant. Man. n. 12. & 13. Proficientibus in via illuminativa ultra tres horas quotidie non permittat orare, quandoquidem duæ horæ sufficient. Man. num. 40.

P

Passionum moderatio, vitiorumque extinctio per cessationem propriorum actuum consequitur, & efficacius per actus oppositarum virtutum. t. 3. num. 24. Quare passiones ad malum inclinanter per

totam

totam vitam non auferantur? t. 3. nu. 27

Peccata anterioris vitæ, & maximæ iræ, &. luxuriæ non in particulari, sed in communi, & quasi importabile, & fœtidum pondus meditentur, ad dolorem illorum, propriamque confusionem. Man. n. 6.

Peccatum quodlibet potest ab anima committi, dum in hac vita degit, licèt in altissimo perfectionis statu sit constituta. t. 5. num. 344 Peccatum originale quot deordinationes, & vulnera intulit animæ, quæ ut cum Deo suo uniatur, evacuanda est ab inordinatione suarum passionum, & sananda quodammodo à vulneribus per originale peccatum illi inflictis; quod aliquo modo mediantibus passivis purgationibus consequitur. t. 6. n. 3. usque 7.

Perfectio christianæ disciplinæ consistit in cognoscendo, & amando Deum, eique serviendo. Prolog. n. 4.

Peregrinationes, devotionesque exteriores inutiles, in quibus aliquæ animæ parum, aut nihil proficiunt, per exercitium virtutum, orationem, mortificationem, prudentemque directionem debet Magister moderare. t. 1. num 94.

Pœnitentia corporalis non est finis, sed medium ad subjugandam carnem spiritui, ad quod maximopere juvat. t. 1. n. 49. Cum prudentia reguletur, ut cohibeantur inordinatæ passiones, juxta vires, genium, & statum animarum. t. 1. n. 15. & 113. Perniciosus est error eorum, qui omnino pœnitentias despiciunt. t. 1. n. 51.

Pœnitentia est virtus moralis, quam semper Beatissima Maria exercuit, & similiter omnes animæ debent illam exercere, licet altissima sanctitate sint præditæ, & licèt carerent fomite concupiscentiæ, & haberent passiones ordinatas rationis t. 1. n. 52. Pœnitentiis exterioribus extraordinariis non sit affectus Magister, nec suos discipulos illis oneret; multis enim, scandalis, & damnis sunt obnoxiæ: eligat ergo exteriores pœnitentias, & mortificationes prudenter, & in occulto. t. 1 n. 78. Hæc majores debent esse in incipientibus, quàm in proficientibus, & perfectis. Man. n. 10 & 11.

Præsentia Dei, modo intellectuali, & non imaginario, aut circumscripto habeatur, si commode fieri possit, credendo Deum ubique adesse per essentiam, præsentiam, & potentiam: ad quam anima per aliqua signa, vel jaculatorias curet excitari. Man. nu. 41. & 57.

Purgatorio passiva animę duplex est; una fit in sensibus exterioribus, & interioribus, ad hoc, ut pars inferior hominis non sit obstaculum superiori: Alia fit in spiritu, ut anima cum Deo perfecte uniri valeat: Alia etiam datur consumativa purgatio, quæ purgatio amoris dici potest: t. 6. n. 15. Harum purgationum principale instrumentum est lumen infusum, & ardor charitatis erga Deum, similiter ac in supernaturalibus favoribus; quia Deus ipso quo mortificat, vivificat, & quia hoc lumen, & amor superexcedunt animæ capacitatem, & quia intellectus reflexione caret, & nihil percipit; inde illi eveniunt obscurissimæ, & pœnosissimæ, tenebræ. t. 6. num. 8 9. & 10. Hoc lumen, & amorem aliquando Deus in anima modo illuminativo infundit, & tunc suam operationem, & perfectum clare cognoscit, & delectabiliter intuetur. tr. 6. num. 11. usque 14. Purgatio passiva sensus incipit in anima, postquam jam habitum meditationis acquisivit, & qualiter eveniat? t. 6. num. 18. 19. & 20. Magister animam in hac purgatione constitutam, ad modum auscultantis in oratione disponat. t. 6. nu. 21. Triplex signum proponitur ad dignoscendam hanc passivam sensus purgationem. tr. 6. n. 22. usque 27. Appetitus effrænesque passiones etiam sunt hujus puugationis instrumentum, & qualiter animam torqueant? t. 6. n. 28. usque 31. Magister quomodo cognoscet, animam non peccavisse in furentibus passionum motibus, & quomodo eam consolari, & dirigere valeat. tr. 6. nu. 32. usque 42. Similiter est hujus purgationis instrumentum Dæmonis astutia, qui (Deo permittente) horribiles in corpore, ejusque sensibus jactat illusiones, dolores, & tormenta t. 6. n. 47.

47. Anima in his tribulationibus patienter, & resignate se habeat, & Dœmonis fallacias despiciat, & quomodo Magister illam instruet? t.6.num.48.usque 52. Si fuerit famula alicujus domini, qui illam à se rejicere velit, quid aget Magister? t. 6. nu. 53. usque 57. Si illa se suo Magistro dissimulet, vel hoc possit timeri, qualiter sit probanda, & corripienda? 6. n. 59. & 60. Si fuerit malo spiritu possessa? vide verb. *Energumenus*. Commoda hujus passivæ purgationis sensus enumerantur. t. 6. nu. 82. usque 86. Tempus quo hæc purgatio durat, non est in omnibus æquale; hoc enim fit à Deo, juxta majorem, vel minorem imperfectionem animæ purgandæ, & juxta gradum perfectionis, ad quem est elevanda. t. 6. num. 87 Quare ab hac purgatione, quæ solet esse animarum stagnum paucissimæ animæ resiliant? & quomodo dignoscatur, animam laboribus afflictam esse, vel non esse in hac purgatione? t. 6. n. 88 89. & 90.

Purgatio passiva spiritus fortior est præterita, quæ non statim ac absoluta est illa, hæc incipit; sed magis, vel minus procrastinatur, juxta comparatam animæ fortitudinem, & dispositionem. t. 6. n. 92. & 93. In intervallo temporis inter unam, & aliam purgationem, qualiter anima in spiritualibus soleat versari, & Magister eam debeat dirigere? t. 6. num. 93. usque 99. Cum anima est jam disposita ad hanc passivam purgationem, & illa cum suo Sponso dulciter conquiescit, repente ei supervenit hæc horribilis nox, palpabili, & pœnosissima tenebra contexta. t. 6. n. 100. Lumen, & amor hujus purgationis diversos, ac in antecedenti effectus causant in anima, siquidem ad illorum infusionem illam quasi importabili pondere oppressa, succumbit, deficit, & maximopere torquetur, & quos alios effectus producant? t. 6 n. 101. usque 116. Creaturarum commercium est pœnosissimum hujus purgationis instrumentum, & quare? t 6. nu. 117. usque 125. Rari sunt quibus hanc purgationem attingunt, & qui in illa purgantur statum spiritualis matrimonii assequuntur. t. 6. numer. 126. Signa hujus purgationis spiritus enumerantur. tr. 6. cap. 14. per tot.

Purgatio passiva amoris tota dirigitur ad voluntatem, licèt illius motiva recipiantur in intellectu. t. 6. n. 158. Hanc dari purgationem probatur. t. 6. n. 159. Anima in hac purgatione, non ab immunditia, aut vitio purgatur, quod non habet; sed ab inquietudine, & habitu dissimilitudinis impediente introductionem perfectæ deiformitatis. t 6. num. 160. Per illam disponitur anima ad spirituale matrimonium, & cur ad hoc sit iterum purganda? tr. 6. num. 161. usque 167.

Q

Quietistarum, & illuminatorum abominabile otium in quo consistat. Man. n. 61. usque 67.

R

Raptus supernaturaliter infusus est violenta quædam motio spiritus, qua subito mens hominis rapitur, vel extra finem suæ inclinationis, vel extra naturalem suum modum operandi; in quo differt ab ecstasi, & materiali deliquio, & sæpius fit in homine in diversa occupato, & ad illius infusionem turbatur, pavescit, & nescit quomodo hoc fiat. t. 5. num 215.. usque 218. In illo interdum percipiuntur aliqua verba, sed valde delicate, & profunde, cum penetrativa eorum intelligentia. t. 5. num. 219. Interdum hic impulsus corpus aliquantulum elevat, & frequentius in terram illud projicit, & hoc à lumine, & charitatis flamma procedit. t. 5. num. 220. & 221. In vero raptu Dœmon non potest se ingerere; sed per imaginariam visionem potest fallere animam, cui videatur rapi; quod per amborum effectus clare discernit Magister. t. 5. n. 222. usque 228.

Regu-

Regulares juxta eorum regulam, & exercitia dirigat Magister, & curet ut illa omnia perfecte adimpleant. tr. 1. num. 114. 116. & 117. Curet etiam ne in substantia, vel in modo eorum regulis, & communitatis actibus inficiant, sed quod in illis perfecte, & irreprehensibiliter se habeant; fugiantque in publico singularitatem, & sint magis interiores, quàm exteriores t. 1. n. 115. & 117.

Revelatio est: detectio alicujus occultæ veritatis; vel manifestatio alicujus arcani, vel mysterii, & detectio, vel est veritatis nudæ de his jam per fidem revelatis, vel tantum est arcanorum manifestatio. Quæ sunt nudæ veritatis, si sunt erga Deum, à dono sapientiæ procedunt: si erga creaturas, sapidæ sunt, sed non sicut antecedentes, & in eis Dœmon non potest se immiscere, & quomodo ambæ fiant? t. 5 nu. 107. usque 110. Si Dœmon in illis se ingerat, quomodo cognoscatur? t. 5. n. 111. & 112. Revelatio quæ est arcanorum manifestatio circa id quod Deus est in se, & circa id quod est in suis operibus, plurimis est Dœmonis fallaciis exposita, maxime in fœminis, & idiotis: & quomodo cum his se gerere debeat Magister? t. 5. n. 113. usque 117.

S

Sanctitas substantialis consistit in omni justitia, radicata in gratia sanctificante, quæ est radix omnium virtutum, & donorum Spiritus Sancti, & gradus major, vel minor illius consistit in majori, vel minori virtutum exercitio, quem gradum solus Deus in animabus mensurare potest. t. 1. n. 85.

Scrupulosus quomodo valeat cognoscere si in motibus appetitus sensitivi erga objecta luxuriæ, & iracundiæ præbuit consensum voluntate sua superiori? t. 2 n. 6. & 46.

Sensus incapax est rerum spiritualium. t. 2. num. 3.

Sensatio externa objecti absentis, vel non existentis potest dari in quinque exterioribus sensibus, & in imaginatione, & quare? t. 2. num. 10. Et hoc modo contingit illis qui dicunt, se vidisse Indiam, aliasque regiones longinquas, & illuc vere, & realiter fuisse translatos, & probatur, non ita semper evenisse. t. 2. n. 11. Similiter probatur errare, dicentes, quod in spiritu relicto corpore transportantur in aliquem locum, & objectionibus satisfit. tr. 2. numer. 12. usque 19.

Sensificationes spirituales, & infusæ fiunt animæ recollectæ in sensibus exterioribus, & hoc cum maxima corporis, & animæ fruitione, quæ in sensus à superioribus potentiis redundat, licèt interdum fiant animæ non recollectæ per species in sensibus infusas. t. 5. num. 118. usque 123. Anima debet has sensiles delectationes resecare, & assumpta excitatione ad Deum, in illum nude, & spiritualiter consurgere; multum enim nocent si appetantur. t. 5. n. 124 Dœmon effingere potest has dulcedines; nempe, sensus cum illis impinguando, & quomodo per effectus sunt discernendæ veræ à falsis? t. 5. n. 125.

Singularitas opposita est prudentiæ, & est omnino extirpanda, ut contigit B. Catharinæ Senensi, cum Fr. Raymundo de Capua ejus directore. t 5. num. 94. Singularitatis amatores, non medium virtutis, sed extremum consectari appetunt, quod certe vitiosum est. t. 2. n. 18.

Sitis Dei inextinguibilis: est quidam affectus animæ, atque intimum Dei desiderium, quod medullas spiritus arefacit, & tanto avidius excitatur, quanto divini amoris torrente inundatur; quæ licèt interdum comites habeat impetus, sed sæpius in interiorem ardorem, & hydropem convertitur. t 5. n 254. Causa illius, licèt in spiritu lateat, solet in corpus redundare, & diversis illud doloribus, & infirmitatibus afficere, ex assidua divini amoris, & luminis infusione: Quos effectus producat? & quomodo Magister circa illam se geret? t. 5. n 255. usque 261.

Somnus, *sive Sopor divinus* à Deo in anima infunditur, & accidit ad instar

 somni

somni naturalis, à quo excitatus homo, nihil eorum quæ dormiens egit, recordatur, & in hoc differt ab ecstasi. t. 5. n. 230. Somnus iste animam in oratione constitutam invadit, & non alio tempore: In eo nihil percipitur, & mirabiles sunt ejus effectus. t. 5. nu. 231. usque 235. Anima quomodo se gerere debeat circa illum? & Magister qualiter eam instruat? t. 5. num. 236. In quo differat ab intima spiritus recollectione? t. 5. nu. 237. usque 240. Magister quomodo discernet hunc somnum, à naturali, & diabolico? t. 5. num. 241. & 242.

Species impressa in genere quid sit? t. 2. nu 47. 48. & 49. Si fuerit materialis, à quo producatur? & quantum duret? t. 2 nu. 50. & 51. Si sit spiritualis, quomodo formetur ab intellectu? t. 2. n 52. Aliæ species impressæ sunt, tam materiales, quàm spirituales, quæ sunt supernaturales, & à Deo infusæ in sensu, vel in potentia, ordine naturali inverso. t. 2. nu. 53.

Spiritus est: illud invisibile, quo homo interius ad aliquem actum humanum incitatur. t. 4. n. 137. Dividitur in divinum, diabolicum, & humanum, t. 4. num. 138. Si aliquis prædıtus sit dono discretionis spirituum, illum animæ consulant, tam in dubiis, quàm in rebus incognitis: Si autem non inveniatur, Magister orat Deum, & ad regulas Sacræ Scripturę recurrat, consideret effectuum, & impulsuum fines, aliasque omnes circunstantias, ut inter hos spiritus, vel motus, possit bonum à malo separare. tr 4. nu. 141. *Spiritus divinus* est: motio interior, quæ à Deo procedit, inspirando scilicet nobis, bonum aliquod amplecti, vel malum fugere, & hic impulsus, vel sit à Deo, vel ab Angelo, vel à propria conscientia, vel ab exhortatione Prælati, vel Magistri, vel Senioris, vel Viri pii. t. 4. n. 142. 143. & 144. Qui sint fructus boni spiritus? t. 4. num. 146. usque 149. *Spiritus diabolicus* est: impulsus, quo nobis malum suggerit; nempe, cum mens nostra à concupiscentia abstracta, & illecta, ad aliquid legi Dei contrarium appetendum inflammatur; quod etiam, aliquando à mundo, & à carne oritur. t. 4. num 150. & 151. Qui sint fructus diabolici spiritus? t. 2. n. 152. usque 159. Si anima nihil curat de extirpatione vitiorum, vel vitia occultat, vel saltem unum deliberate vult conservare, & illud spiritualibus exercitiis unire, à malo spiritu ducitur. Si autem habeat unum, vel plura vitia licèt voluntaria, sed tamen curat ea omnia vincere, & superare per orationem, & mortificationem, licet ob fragilitatem interdum prolabatur, non veniat à malo spiritu damnanda. t. 4. n. 161. & 162. Si anima vitia sua occultat Magistro, quomodo hanc hypocrisim, vel simulationem cognoscet? t. 4. n. 164. usque 171. *Spiritus humanus* est: impulsus, qui à natura jam originali peccato infecta emanat, & quos effectus producat. t. 4. n. 172. usque 175. In alio propriori sensu est: impulsus ille quo circa res supernaturales homo à se ipso movetur, falso putans, se à Divino Spiritu moveri; & quomodo cognoscatur, non à Deo, sed ab hoc spiritu hominem moveri in communicationibus supernaturalibus? t. 4. n 177. usque 180.

T

Tactus substantiales infusi, qui à Deo immediate in animæ substantia fiunt, & in ejus potentiis redundant, sunt communicationes perfectissimi status, & ex hoc contactu, & divina approximatione valde locuples remanet anima, & quomodo hoc evenit? t. 5. n. 125 usque 127. Nequit Dæmon hujusmodi tactus affingere, & animæ quibus fiunt, utpote omnino jam purgatæ, & perfectæ, clare cognoscunt, qui à Deo, & qui à spiritu nequam sint, & sciunt hoc explicare. Magister doceat eas passive, gratanter, humiliter, & resignate consentire infusioni horum mirabilium tactuum. t. 5. n 163.

Via

V

Via purgativa, statusque incipientium durat, usque dum anima ita inviscera-tum habet timorem sanctum, quod quælibet peccata saltem mortalia faci-liter propulset, & quodcumque malum patietur, antequam Deum graviter of-fendat, & tunc à consideratione No-vissimorum in vitæ, & passionis Domini considerationes poterit transire. Man. num. 17. Ex una in aliam viam absque manifesta Dei vocatione nunquam animam transferat Magister; ad quod solet esse signum, cum jam anima ex meditatione Novissimorum nullum fer-vorem capit, & continuo sentit se mo-veri ad considerandam vitam, & pas-sionem Jesu Christi Domini Nostri Man. n. 18. & 19.

In via illuminativa anima per virtutum exercitium ornari procurat; ad quod peculiaris hujus viæ est consideratio vi tæ, & passionis Domini. Man. nu 20 usque 23. Hæc consideratio qualiter sit exercenda? man 24 usque 34 in hoc statu solent animabus evenire visiones imaginariæ, materialia deliquia, & impetus, in quibus Magister, assum-pto exercitationis dono, ad purum spiri-tum illas reducat: alioquin plurimis erunt damnis obnoxiæ. Man nu. 36. & 37. Si in lethalem culpam inciderit ani-ma illuminata, qualiter sit medenda? Man. n. 38. His animabus non permittat Magister, quod ultra tres horas quoti-die orationem mentalem exerceant. man. nu. 40. Purgatio passiva sensus in hac via incipit, & quæ sint signa ut ani-ma ex hac via ad unitivam possit transi-re? Magister non impediat animam dis-positam introire, neque non paratam ad illam permittat ascendere, alioquin ipse, & anima maxima damna incur-rent. Opera pœnalia debent in hac via exerceri. Man. n. 43. usque 46.

Via unitiva, statusque perfectorum pe-culiare est exercitium charitatis, & in omnibus, & per omnia hujusmodi cha-ritatem exercere debent, & in hoc sta-tu perseverant usque ad passivam spiri-tus purgationem. man. num. 48 Ma-gister qualiter animam ad interiorem spiritus solitudinem, sanctumque otium diriget? man. num. 49. usque 54. Debet curare, ut animæ istæ à proprietate re-rum omnium, tam naturalium, quàm supernaturalium evacuentur, & solici-te eas ad passivam unionem disponere. man. num. 58 59 & 60 68. & 69. Quare rarissimæ sint animæ, quæ ad purgatio-nem spiritus, passivamque unionem ac-cedant? & satisfit objectionibus illorum, qui animas in simplici Dei intuitu con-stitutas, otiari dicunt, & in quo consi-stat abominabile quietistarum, & illu-minatorum otium? man num. 61. usque 67. Hic status, antequam animæ ad pas-sivam purgationem spiritus accedant, solet per multos annos perdurare, & aliquæ nunquam ad illam transeunt; imo & ab hoc statu retrocedunt man. num. 73.

Unitorum status ille dicitur in quo anima prætergressa jam purgatione spiritus, frequentissime in infusa contemplatio-ne, unioneque passiva versatur, & in-cipit à consummatione purgationis spi-ritus, man. num. 75. & 86. anima in hoc statu desponsationem cum Deo contra-hit, postea que matrimonium consum-mat, & maximis favoribus & dotibus peromatur à Deo, & in hoc statu per flammam amoris purgatur, & disponi-nitur ad totalem deiformitatem. Magi-ster debet omnem consolationem, & pro-prietatem ab illa solicite eradicare, & in humilitate, obedientia, paupertate-que spiritus eam conservare. man. n. 77. usque 88.

Virtus in communi definitur. t. 3. n. 1. & 2. Virtutes intellectuales quarum habi-tus in intellectu subjectantur, quæ, & quales sint? t. 3. num. 3. Virtutes morales, & cardinales, quæ sint? & earum habitus ubi subjectentur? tr. 3. num. 4. usque 9. Virtutes theologicæ sunt fides, spes, & charitas, & earum habitus ubi subjectentur? t. 3. nu. 10. Virtutes intellectuales non sunt inter se connexæ, & ideo potest quis unam sine aliis habere. t. 3. n. 12. Morales ve-

rò è

rò è contrario, sunt in anima cum quadam concatenatione, taliter quod prudentia nequeat esse sine cæteris moralibus, & hæ omnes æqualiter crescunt, & decrescunt in anima: & licèt aliqui præcelluerint magis in una, quam in alia, hoc fuit quoad usum, non quoad habitum. tr. 3 num. 11. 13. & 14 Virtutes non in extremo, sed in medio consistunt, & hoc juxta regulas prudentiæ, quarum est inseparabilis comes: Unde colligitur error illorum qui singularitates, & extrema appetunt. t. 3. n. 17. 18. 20. & 21. In virtutibus theologicis extrema in illarum intensione non sunt vitiosa t. 3. num. 19. Virtutes morales necessariè sunt ad moderandas passiones, & dispositive pertinent ad vitam contemplativam. t. 3. n. 22. Virtutis habitus quomodo det facilitatem ad actus, & unde procedat difficultas bene operandi? t. 3. n. 25. & 26.

Unio Mystica, & totalis animæ cum Deo consistit in respectiva totali assimilatione intellectus, & voluntatis humanæ, cum intellectu, & voluntate divina; quod fit per fidem, vel juxta fidem, & charitatem. t. 1. n. 10. Hæc unio dividitur in activam, & passivam: *Activa* fit per gratiam ordinariam, sanctificantem, & per habitus supernaturales fidei, & charitatis, quotiescumque homo voluerit; sed in illa diu perdurare nequit, nisi per strictam mortificationem exercitium virtutum, & exactam animæ purgationem. t. 1. num. 11. & 14. usque 17. *Unio passiva*, & omnino supernaturalis in substantia eadem est ac activa, sed homo eam ad libitum suum habere non potest, nec retinere, utpote quia à Deo liberaliter, & citra proprium meritum illam recipit: Distinguitur ab activa in modo, & intensione; in modo, quia illam homo recipit, & non agit; in intensione, quia lumen quod recipitur in illa est altius, & validius, & amor, fortior, ardentior, & suavior. t. 1. n. 18. & 19. Indiget anima disponi multimodis, purificationibus, & horribilibus purgationibus in sensu, & spiritu ad recipiendum hoc infusum lumen, & amorem, quibus mediantibus passive cum Deo uniri possit, & omnia rarissima, & extraordinaria, ut sunt ecstases, raptus, elevationes, &c. medio hoc infuso lumine, & amore Deus in anima operatur. t. 1. n. 19. & 20. Variis methaphoris, symbolis, & nominibus à mysticis appellatur hæc unio; sive hoc infusum lumen, & amor, quibus mediantibus, & non aliter, Deus animabus se communicat. t. 1. n. 21. & 22. Ad unionem mysticam vacuandus est humanus intellectus, & voluntas, & indiget homo elevari supernaturalibus auxiliis, ut possit illam adipisci. t. 5. nu 1. 2. & 3.

Visiones supernaturaliter infusæ dividuntur in externas materiales, imaginarias, & intellectuales; quarum *materiales externæ* impulsu supernaturali prætermisso, possunt ab anima repudiari, & quomodo fiant? t. 5. n. 18. usque 21 Hæ externæ, & materiales fieri solent animabus incipientibus, quamvis non repugnet aliquando fieri proficientibus, & perfectis. t. 5. num 21. Quæ à bono, & quæ à malo spiritu procedant? quos effectus in animabus producant? t. 5. nu 22. usque 25. Infusio hujus visionis nequit ab anima impediri; prætermissa tamen ejus efficacia, poterit ad libitum operari. t. 5. num. 26. Accepta illarum medulla, vel excitatione in Deum, quamprimum possit, debet anima corticem, sive accidentia illarum (suaviter tamen) renuntiare; quod auctoritatibus, & ratione probatur. t. 5 num. 33. & 34 Si ad elevationem sacrosanctæ Eucharistiæ viderit aliquis Puerum Jesum in hostia contentum, quomodo eum instruere debet Magister? t. 5 num. 35. Magister spiritualis instruitur circa ea quæ docere debet anima, in modo quo se habere debent in his visionibus t. 5. n. 36. 37. & 38.

Visiones imaginariæ sunt à Deo, infundente immediate in imaginatione species objectorum, quæ cito transeunt; sed illorum imago remanet tenaciter impressa in potentia, & anima ad illarum infusionem contremiscit, & non potest eas diu intueri, & interdum improvise, & celeriter ei eveniunt, & regulariter fiunt incipientibus, & proficientibus; quarum effectus

ctus similes sunt antecedentibus, & istæ majoribus quam illæ sunt expositæ fallaciis, & illusionibus. t. 5. n. 39. usque 43. In illis instruendæ sunt animæ similiter ac in præteritis; quæ si non illico renuntientur, Diabolus propter animarum proprietatem, eas pervertere, & fabulationes ingerere curabit. t. 5. nu. 44. usque 47. Fœminæ plusquam viri sunt obnoxiæ his visionibus, & quomodo cum eis se gerere debeat Magister? t. 5. n 48. & 49. Anima renuntiare debet has imaginarias formas visionis, licet à bono spiritu procedant, quia plurimis sunt expositæ fallaciis, & damnis, & sumendo ex illis excitationem in Deum, ad illum per cognitionem fidei, & amorem charitatis assurgere conetur. tr. 5. nu. 50. usque 57. Hæ visiones non sunt pretio aliquo habendæ, quia ex natura sua sunt communicationes spiritus imperfecti; quia licet aliquando fuerunt factæ perfectis, & sanctis, pro tunc juxta divinam dispositionem fuerunt status perfecti. t. 5. n. 58 & 59.

Visio intellectualis est: quædam altissima notitia supernaturaliter donata intellectui, vel per species acquisitas, vel de novo à Deo productas, & ab illo immediate intellectui hominis applicatas, absque sensuum, & imaginationis medio. tr. 4 num. 60. Causa efficiens illius est solus Deus, absque Angelorum ministerio. t. 5. num. 61. Causa instrumentalis potest esse lumen fidei, & donorum sapientiæ, & intellectus t. 5 num. 62. Species infusæ, vel sunt ex his quæ erant in memoria, vel sunt de novo productæ tr. 5. num. 63. Modus illius, vel est ad instar repentini fulguris in nocte; vel dum orat anima repente suspenditur; & instruitur, & velocissime transit, relinquendo fixam in intellectu notitiam quam Deus vult illi infundere tr. 5. nu. 64. 65 & 66 Ejus effectus sublimes sunt, & pretiosissimi tr 5 num 67 Plerumque fit hæc visio circa substantias corporeas; circa incorporeas verò raro evenit. t 5 num. 68. Signa adhibentur ad dignoscendum an visiones sint intellectuales, vel imaginariæ. tr 5. n. 64. usque 72. Quando sunt à Dœmone per imaginationem, & non intellectuales visiones? t 5. nu. 73. usque 76. Aliquando sunt vehementes imaginationes subjecti, & non visiones, & omnes adductæ sunt in ordine ad creaturas, & non in ordine ad divinam essentiam. t. 5. n. 77. & 78. Visiones, revelationes, & omnes supernaturales communicationes quæ animabus contingunt, nec applaudat, nec despiciat Magister, nec ostendat eas in aliquo pretio habere, licèt bonæ sint; sed dissimulet, observet, & cautè examinet, & in eis animas ordinet; nec operari permittat sine solicito examine t. 1. n. 62. Si à Dœmone factas fuisse clare cognoscat, non dicat animabus à Dœmone deceptas fuisse (nisi quando tenaciter illas defendant), sed quod illas renuntient, & signo crucis se muniant. Si à Deo factas fuisse clare cognoscat, similiter eis hoc non manifestet; sed quod sanctitas in gratia, & charitate consistit, & non in his rebus tot Dœmonis illusionibus expositis. t. 1. n. 63.

Voluntas hominis superior definitur; ejus objectum est bonum, & malum: Bonum est triplex, nempe honestum, utile, & delectabile: Malum similiter est triplex illis oppositum. t. 2. n. 104. Potentia hæc est cæca, nihil enim potest velle, vel nolle quin id el ab intellectu tanquam bonum, vel malum prius proponatur. t. 2. n. 105. Voluntas, vel est libera à servitute, vel à coactione simpliciter, aut secundum quid; vel est libera à necessitate, & hac indiget ad suum meritum, vel culpam; in qua liberum arbitrium consistit, quod definitur. t. 2 n 106 usque 111. Hæc libertas est quadruplex. t. 2. nu. 112. usque 115 Requisita hujus libertatis, ut possit dici, voluntatem in peccatum consensisse. t. 2. n. 116. usque 123. Voluntatis princeps actus, est amor, qui quadruplex est. t. 2 n 124. & 125. Licèt non possit amare, nisi quod ante cognovit intellectus, sed circa objectum cognitum plus potest amare, quàm intellectus cognoscere: In objectum incognitum, nec divinus potest ferri, & quare? t. 2. nu. 126. 127. & 128. Voluntas cæteras vires, & potentias animæ ad libitum suum gubernat, & ducit, & hujus

hujus operationis modus explicatur. t. 2. numer. 131. usque 136. Situs illius probabilius est esse humanum cor. t. 2. num. 137.

Vulnus divinum, sive viva plaga amoris consistit in quodam subtilissimo, & ardenti tactu Dei in animæ substantia, à quo suaviter, & repetitis ictibus vulnerata inflammatur, & novo semper vulneris dolore afficitur; sed tranquille, utpote jam omnino purgata. t. 5. n. 274. & 275. Hoc vulnere diffulminati fuerunt S. Franciscus Assisius, & B. Theresia à Jesu, non solum intus à Deo in anima, sed etiam exterius à quodam Seraphim in corpore. t. 5. n. 179. 280. & 281. Hoc vulnus nequit à Dœmone infligi, licèt possit Seraphim effingere, & aliquando erit propria imaginatio; quod ab effectibus, infusione, & statu animæ clare dignoscetur, maxime in fœminis. t. 5. n. 282. & 283. Si aliquis ad Magistrum accedat affirmans, sibi dolores, & stigmata Christi Domini in sextis feriis, vel alio tempore fuisse communicata; & interius, exteriusque impressa (ut accidit aliquibus ancillis Dei, quæ memorantur) non facile illud credat, quia potest esse propria imaginatio, vel Dœmonis illusio, quod patebit perpendendo statum animæ, ejusmodi infusionem, ejusque effectus t. 5. num. 284. 285. & 286. Si vera fuerit hæc altissima communicatio, qualiter hæc anima sit dirigenda? t. 5. nu. 287.

F I N I S.

Libri qui præter alios prostant venales apud Jo: Baptistam Recurti Bibliopolam Venetum sub signo Religionis.

JOannis Stephani Menochii Doctoris Theologi, *e Societate Jesu, Commentarii Totius Sacræ Scripturæ ex optimis quibusque Auctoribus Collecti. Editio novissima, diligenter post ultimam Parisiensem recognita, Duobus Tomis Comprehensa, quorum alteri accessit supplementum à Doctissimo ejusdem Societatis Theologo concinnatum, quo continetur quidquid ad plenam Sacræ Scripturæ intelligentiam facile parandam desiderabatur, uti pagina Præfationem proxime antecedens indicabit. fol. tom* 2. *L*.36.

Anacleti Reiffenstuel Jus Canon. Univer sum clara methodo juxta titulos quinque Librorum Decretalium, in quæstiones distributum, solidisque responsionibus, & Objectionum solutionibus dilucidatum fol tom.3. L. 45.

Ejusdem Theologia Moralis Brevi simulque clara methodo Comprehensa, atque juxta Sacros Canones, & novissima Decreta Summorum Pontificum diversas Propositiones Damnatas, ac Probatissimos Auctores succinctè resolvens omnes materiales Morales. L. 6.

Francisci Mariæ Campioni Congregationis Matris Dei in Urbe Cleri examinatoris Apostolici &c. Instructio pro se præparantibus ad audiendas Confessiones Proficua, & utilissima Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, & Clericis, ac cæteris Theologiæ studiosis In duas Partes Distributa. Editio secunda Veneta post secundam Romanam aucta, à mendis expurgata & meliori Methodo concinnata 4 L. 4.

D. Aurelii Augustini Hippon. Episcopi Confessionum Libri XIII cum notis & Argumentis singulis Libris Henrici Wangnereck Societatis Jesu 12. L. 4.

Card. Bonæ Tractatus Asceticus de Sacrificio Missæ, cui accessit ejusdem Testamentum, quo se continuò præparavit ad mortem. L. 1 : 4

Ejusdem Manuductio ad Cœlum, ac principia, & documenta vitæ Christianæ. L. 1 : 10

L'Ozio in Trattenimento fatica del Padre Muti Domenicano distinta in Elogi, Orazioni, e Sonetti sopra varj Soggetti. L. 1 : 4

D. Salviani Massiliensis Episcopi Opera: cum ampliori ejusdem vita, & adnotationibus locorum difficilium, & singulorum librorum, necnon epistolarum argumentis, quibus additum fuit D. Vincentii Lirinensis Commonitorium. L. 3:

S. Fulgentii Afri Ruspensis Episcopi Ecclesiasticorum Veterum Doctorum, Patrumve nulli non conferendi: Opera subtiliora & Ingeniosiora, quæ extant: addita nuper ejusdem S. Viri Vita breviori methodo elaborata, cum indice rerum observatione digniorum. L. 3.

Repertorium Morale utriusque Fori in quo mille variæ Interrogationes brevesque responsiones ad casus conscientiæ pertinentes continentur, ob commodiorem usum in duas partes distributæ. Episcopis, Parochis, Regularibus, cæterisque Ecclesiasticis personis valde utile, ac necessarium. Auctore Rev. P. Octavio Maria à S. Joseph Tusculano, Augustiniano excalceato S. Theologiæ Professore in 12. tom.2. L. 3.

Decisiones duæ novissimæ altera de Cambio, altera vero de Concubinariis. Auctore Jo: Clericato Præposito Patavino Juris utrisque Doctore, olim in curia Episcopali Advocato, ac Promotore Fiscali; deinde Auditore, ac demum Vicario Generali. Quibus adduntur monita quædam pro Confessariis, &c. in 4. L. 1 : 4

Trecenta, & Decem Dubia communi Confessariorum, & Ecclesiasticorum uti-

utilitati facili methodo explanata à R. P Octavio Maria à S. Joseph Tusculano Theologo Augustiniano Excalceato. Pro supplemento aliarum mille Interrogationum, & Repertorii Moralis utriusque fori ab eodem Auctore jam in lucem editorum. L. 1:

Collegii Salmanticensis cursus Theologicus Moralis speculativus in duas partes divisus, complectens Tractatum XXII de Sacramentis in genere, & Tractatum XXIII. de Eucharistia in fol. tom. 2. L. 15:

Ejusdem Tomus XII. de Pœnitentia Virtute, & Sacramento secunda pars complectens à Quæstione XC. Tertiæ Partis Divi Thomæ usque in finem fol. L. 12.

Epitome Canonum omnium qui in Conciliis Generalibus, ac Provincialibus, in Decreto Gratiani, in Decretalibus, in Epistolis, & Constitutionibus Romanorum Pontificum, usque ad Alexandri VII. annum quartum continentur. Auctore Laurentio Brancato de Laurea S. R. E. Tit. Basilicæ SS. Apostolorum Presbytero Cardinali Bibliothecario in fol. L. 8:

Notitia Conciliorum Sanctæ Ecclesiæ, in qua elucidantur exactissime tum Sacri Canones, tum veteres, novique Ecclesiæ ritus; tum præcipue partes Ecclesiasticæ Historiæ: Auctore Joanne Cabassutio Aquisextiensi Presbytero Congregationis Oratorii Domini Jesu in 8. L. 2. 10

Onomasticum Urbium, ac locorum Sacræ Scripturæ ex D. Hieronymo, Eusebio, Adrichomio, ac Iacobo Bonfrerior e S. J. in commodiorem ordinem juxta vulgatam lectionem Alphabetice redactum. Studio ac labore P. Ludovici Maracci Lucensis Congr. Clericorum Regul. Matris Dei in 8. L. 2:

Eloquentiæ Præludia seu compendium eorum, quibus institui, & exerceri solent, qui litteris humanioribus dant operam, & Rhetoricæ initiantur; ex Aristotele, Tullio, Quintiliano, aliisque Auctoribus collectum à P. D. Demetrio Supensio Clerico Regulari Barnabita. Addito demum Tractatu de Historia in 12. L. 2:

Vindicatæ Philosophiæ Examen Rationale; In quo Philosophandi Præjudicia dereguntur. Auctore Prospero Berselli Philosophiæ Doctore. L. 5:

Opus morale in quæstiones de Officiis ad Parochos, Juristas, & Confessarios: Auctore Quintilio Balista J U.D. Brentonici Archipresbytero, Examinatore synodali, & pro suo Episcopo, ac Sanctæ Inquisitionis Tribunali Vicario Foraneo. L. 4:

Ænigma Theologicum, seu potius Ænigmatum, & obscurissimarum Quæstionum Compendium, nunquam hactenus prorsus solutum, nec solis viribus ingenii planè solvendum, expeditissimè enodatur, modo, nova quadam via, & singulari cogitatione: Qua solidè, & profundè stabilita, veluti ex radice feracissima lucis, oritur clarissima, & universalis explicatio plurium implexissimarum difficultatum tam intra fines arcani Trinitatis, & Libertatis Divinæ, quam extra, scholasticorum mentes torquentium, & in factiones oppositas vehementer comminantium: ita ut ea doctrina semel firmata, admissaque vel omnino disppareant, & exulent à Theologia nostra, vel apertissime dissolvantur, in unumque deinceps in præfatis Tractatibus conspirent omnes: perinde ac si alma Pax magna ex parte ille exisset Orbi literario. Authore R. P. Albaro Cinfuegos Societatis Jesu, nunc S. R. Ecclesiæ Cardinali fol t. 2. 52

Analyses in Psalterium Davidicum ex Commentariis in Psalmos P. Thomæ le Blanc Societatis Jesu ad faciiem Psalmorum intelligentiam. Opusculum utile tum Sacerdotibus, tum concionatoribus, &c. in 4. L. 3.10

Joannis Tritemii de Sacerdotum vita instituenda cum notis. Item Epistola Adventoria, in quo occasiones Statui Sacerdotali perniciosiores, proponuntur, &c. in 12. L. 1:4